


GAUDEO

Autor antea edidit libellum cui titulus: Monumentum historicum 1. de Majoribus nostris 2. de Voitlandis Nariscis. apposita illustratione Domus Brandenburgicæ. quod tentavit Christophorus Philippus a Waldenfels Eques Voitlandus. Curiæ Variscorum 1662. in 12. plagulæ 16.
Directa est Dedicatio ad Christianū Ernestum Marchion. Brandenb.
Hunc libellum postea auxit et emendavit in hoc opere, aliumque titulū præfixit. omissa tamen illustratione de Domo Brandenburgica, et tabulis tribus æneis nullius momenti. Diligentiam in hoc libro agnoscere possumus, sed nescio an non dici possit misera, etiam si autor in hoc majori opere, male tornatos incudi reddere versus, voluerit

SELECTÆ ANTIQUITATIS LIBRI XII.

De Gestis primævis, item de Origine Gentium Nationumque migrationibus, atque præcipuis Nostratium dilocationibus,


Ex

Sacræ Scripturæ, aliorumque gravissimorum Autorum monumentis collecti;

Indice quoque sufficiente adimpleti

à

CHRISTOPHORO PHILIPPO de WALDENFELS.



NORIMBERGÆ,
Sumtibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI, & JOHANNIS ANDREÆ ENDTERI Hæredum.
ANNO M. DC. LXXVII.



PRÆFATIO
De Laude Historiarum.



Historiarum radios quàm latissimè dilucere, est in aprico positum. Præcipua & antiquissima creditur HISTORIA SACRA, ubi ipsum Divinum Numen, ejusdemque opera & creationes rerum, totius hujus mundi pulcherrimi theatri, Elementorum, luminum, stellarum, plantarum, animantium, atque naturæ ipsius humanæ ortus, gesta item primæva, Patriarchæ & Gentium Fundatores percipiuntur.

Quæ omnia DEUS à nobis adspici & impressa illis Divinæ bonitatis & sapientiæ vestigia considerari imponit. Quorum contemplatione circumspicuâ, penetrabile Magni Opificis Numinis ipsius Divini indicium, in animis contemplantium generari liquet, *Sap. 13. per tot.*

Hanc sequitur HISTORIA PROFANA sive Mundana, pleraque in mundo gesta, populorum progressorum descriptiones ac conditiones, regnorum & temporum series periodosque comprehendens.

Imò, quod maximum, in genere & absolutè sic dictum, tota Theologia, sive doctrina de Deo historiarum insigniis gaudet. Jus Civile maxima ex parte ex historiis veterum Rerumpublicarum, Romanis Legibus, Edict. Prætor. Responsis Prudent. & Constitutionibus Principum, conflatum esse, celebris illa ac plurimis historiis referta lex Pomponii ostendit. *L. Pomp. de Orig. Jur. in pr. ff.*

Quid de Physica dicam, cujus præcipua jucundissima & utilissima pars est, historia animalium & stirpium. Itaque citatus Plinius toti operi suo, quô universam rerum naturam complexus est, historiæ naturalis titulum indidit. Moralem quoque Philosophiam, historiarum gestis plurimùm illustrari; & multò efficaciùs exemplis, animos ad virtutem, quàm nudis præceptis, impelli posse, omnes experimur. Unô verbô, omnis fermè notitia fundamentô historiarum nititur. Pluribus additionibus in re tàm manifesta, non opus esse arbitror.

Ex hisce omnibus prædictis historiarum extensionibus, tractationem de gestis primævis ac de origine gentium, ex studio antiquitatis, præcipueque historia sacra, decerptam singulari affectu, impulsuque naturali eligere feror. Etenim non jucundum duntaxat, sed utile quoque, necessarium, debitum ac honestum imprimis æstimandum, notitiam ortus sui indubitatam gerere.

I. JUCUNDITAS exserit sese intuitu statim momentaneô. Jucunda aliàs historia inter cæteras competentes periphrases etiam *Medicina animi* & quidem aptissimè vocatur. Animus humanus enim, quando omnium aliorum susceptorum pertæsus est, desideratam sublevationem & recreationem, indagine rerum memorabilium ac scrutinio quærit & assequitur. Unde autem, post sacram scripturam, jucundior, ac in illa materia, ubi primaria DEI Altissimi beneficia, tam ante-quàm post diluvium generi humano distributa; ubi initia, dilatationes, progressusque omnium gentium; ubi consimul multarum nationum regnorumve mutationes, cum variationibus commonstrantur; reperiunda? Illa insuper materia ad fidei confirmationem conducit, præcipuè quando percipimus Divinum vaticinium Japheto annunciatum: *Dilatet Deus Japhet, & habitare faciat gloriam ejus in tabernaculis Semi, h. e. Melchisedeci præfigurato sacerdotio &c.* excellenter revelatum. Alibi

licet

licet terrarum Christiani sive hypocritæ potius, diversimodè reperiantur ; Japheti tamen posteritatem principalem, Galatas nimirum & Tuiscones fidem orthodoxam (DEO sit perennis gloria!) suscepisse ac retinuisse dispalescit. Jucunditas itaque prædictæ materiæ contemplationis , cum utilitate saluberrima, quæ jure meritoque medicina animæ nuncupanda , splendidè refulget. Quis præterea gentium in diversam abeat partem, quin exoptabilis semperque desiderabilis laudatissimorum & de nobis optumè meritorum Majorum contemplatio & animadversio, perlustrantes tantò intimiùs exhilaret, quantò ulteriùs pervestigandi stimulos iis relinquat flagrantissimos ? Pascitur animus, quotiescunque in considerandam antiquissimorum memoriam sese abdit. Nec quicquam bonæ menti jucundius esse credo, quàm totius humani generis ortum & propagationem, populorum migrationes, ac omnium temporum, Monarchiarumve series, singulas denique insignes mundi mutationes in historiis expositas , mente considerabunda intueri ac in conspectu & ob oculos semper habere. Venia profitendi concedatur, operibus historicorum integram vitam in hoc arridenti ardentique labore sagacissimè depastorum, hujusmodi profectò, summa suavitate suscepisse, neque diligentiæ unquam pœnituisse, contestabuntur.

Hic est fructus historiarum optimus, hæc medulla, hoc commodum amœnissimum. Quid enim beatius, in hac miseriarum valle, rebusque mundanis vanis, optari excogitarique potest, quàm, si moderno seculo progeniti cum antiquissimis & inclutissimis Patriarchis gentium fundatoribus , ad colloquium quasi divinitùs consecratum descendunt ? Et hi longævô tempore perfuncti cum posteritate dilecta colloquuntur correspondentque ? Hoc est , quod Suidas de Zenone Clarissimo Philosopho prædicatum : *Vitam optimam & perfectissimam in conversatione mortuorum consistere*, annotavit. Hoc nimirum historiarum apprimè

antiquitatis ſtudium, omnia reliqua, plerumque inania oblectamenta antecellens, indigitavit, eò collimavit.

II. UTILITATEM ex ſtudio hiſtorico præſertim antiquitatis coruſcantem, calamo ſatis ſubdere poſſe, neminem accuratè conſiderantem ſtatuturum autumo. Diligens cultor propediem obviam excipiet. Quantò igitur graviora & altiora vanis, ſeria jocoſis præſtant, tantò chariores hiſtoriæ de origine & geſtis avorum tractantes, præ illis oculos tantummodò legentium permulcentibus. Quis præterea eſt, qui ignorat, quàm ſæpenumero acies inclinatæ relatione & explicatione antiquæ animoſitatis reſtauratæ ſint ? Nihil ſolidius conſternatos animos confirmare ſtatuitur , quam poſt invocatum Divinum Numen , penetrantia exempla ſimilibus olim in caſibus vel durioribus periculis præſtita , ad animos militantium revocare. Unde autem ea melius , atque à propriis majoribus deſumenda ? Quia & validiora & honeſtiora, ne horum inopia obtrudi queat.

Proſiliat ex vetuſta memoria gentis noſtræ liberator celeberrimus Arminius, qui commilitones olim ſuos ad capeſſendam fortitudinem adhortaturus , talem potiſſimum uſurpavit vocis materiam : *Si patriam, parentes* , *antiqua mallent, quàm Dominos & colonos novos ; Arminium potius gloriæ, quàm Segeſtem flagitioſæ ſervitutis Ducem ſequerentur.* Tacit. *Annal. 1. c. 59. v. 7.*

O incluta adhortatio & ſuavis de antiquis memoria! Comprehenſa enim ſunt in his verbis & priſcorum virtus & poſteritatis incitatio ardentiſſima. *Si patriam*, inquit Princeps in patria laudatiſſimus : *Si antiqua* præ novationibus flagitioſis *mallent*, ardorem Ducis flagrantiſſimi virtutis æmuli ſequerentur. Vigor ſententiæ intùs meliùs conſiderandus, quàm externô ore proferendus ; cujus effectum & operationem, ſtrages hoſtium trium legionum, & liberatio patriæ indicârunt. Progredere in medium cum egregio enco-

encomio tuo, gravissime Sallusti! qui præclaram hanc doctrinam fideliter nobiscum partiturus sic exclamasti: *Sæpe audivi Q. Maximum P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere: cum Majorum imagines intuerentur, vehementissimè, animum sibi ad virtutem accendi; scilicet non ceram illam neque figuram, tantam vim in se habere, sed memoriâ rerum gestarum ab egregiis viris eam flammam in pectore crescere, neque prius sedari, quàm virtus earum famam atque gloriam adæquaverit.* Sallust. *bell. Jugurth. c. 4.*

Si quis cupiditate gloriæ accensus, imitatione alienâ caperetur, benè Themistoclis ardorem æmularetur. *Quem stimulis virtutum agitatum & ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus quid cogitaret? Sic respondisse produnt: Me tropæa Miltiadis de somno excitant. Marathon nimirum & Artemisium & Salamis, navalis gloriæ fertilia nomina, tacitis facibus animum ejus incitârunt.* Plutarch. *in vit. ejus & apopht.* Cic. *Tuscul. quæst. lib. 4.* Val. Max. *lib. 8. c. 15. de cupidit. glor.*

III. Ante omnia NECESSE est, nosse & intelligere Primitivorum nomina & proventus, ad lectionem S. Scripturæ & Prophetarum rite capiendam. Ubi Patriarchæ & populorum fundatores loco inde progressorum, in divinationibus præfigurantur; quod & profani interdum historici imitati. Summopere in genere necessarium, ne omnis notitia humanæ conditionis pereat. Planè etenim extingueretur memoria mortalium, ac rerum maximarum ante nostram ætatem in hoc mundo editarum, nî literarum & historiarum monumentis consignarentur. Itaque DEUS ipse primas & antiquissimas historias per Mosen & Prophetas consecravit. Atque inclutissimus historicorum Pater Herodotus, qui è vestigio Propheticis monumentis successit, eô fine se historiam scripsisse: *Ne ea, quæ in mundo gesta sunt, cum tempore exolescant*, testatur. Herod. *lib. 1. in pr.*

Cicero

Cicero Vir disertissimus proprietates veræ historiæ necessarias, talibus punctis lib. 2. de Orat. declaravit: *Historia est testis temporum* monstrans seriem annorum ab initio ad nostram usque ætatem delapsorum: *Vita memoriæ* vel, (ut Lipsius) *anima memoriæ*, consecrans ac nutriens memoriam illustrium Personarum & rerum insignium; *Magistra vitæ* proponens ad normam exempla rectè ac secus factorum vel imitanda vel fugienda: *Nuncia vetustatis*, docens nos de plurimis rebus à nostra patrumque memoria remotis. Omnibus sepositis paulò attentiùs expendemus, quod *Magistram vitæ* Cicero historiam appellet. Quæ laus in Ecclesia DEI vel soli DEO vel voluntati & legi Divinæ tribuitur. Necessitas adhuc exigit, notitiam originis diligenter observare, ne Barbari, feri, incuriosi & erga promeritissimos Majores ingrati videamur. Quum mortalibus in hac vanitate & inconstantia rerum agentibus dedecus afferat & opprobrium, in humanis conditionibus ceu peregrinos hospites apparere; Necessariò nobis incumbit, ne ipsimet denique, seculo literis damnoso ingruente, extinguamur; multaque absurda de progenie nostra circumstrepere patiamur; tametsi Majores nostri præclarissimi, nullis virtute cedentes excelluerint, adstipulantibus tàm sacris quàm profanis scriptoribus testimoniaque administrantibus. Plurimorum insuper populorum ortus (sicuti invidiosa vetustas omnia consumit, cunctaque tacitis moriuntur ab annis) penitus fermè vel propter Majorum ἀνιςορησίαν vel propter negligentiam delituisse; tandemque tàm obscuro in cinere (ut ita di am) præumbratos, & ad nauseam usque fabulosissimè, delineatos fuisse, adest in propatulo. Abominosæ quoque vetustatis durissima rubigo & umbrosa æva, tum Majoribus nostris, tum aliis gentibus præsertim Septentrionalibus multa non intellectu tantùm, verùm etiam auditu gravia obtruserunt.

Ex istis ergò perpeti memoria dignissimis populis & egregiis

egregiis eorum factis ſtylo non aſſignatis & idcircò extinctis, nihil in hoc mundo perennare conſtat : non laureas, non aras, non triumphos, non ſtatuas, non egregia illa artificum monumenta cælo vel affabrè ducta, vel oblita pigmentô vel aurô decorata perdurare; ſed quotidiè vel terræmotu, aut incendiô, aut ævô denique prolixiore obſoleſcere delectabilem illum oculorum florem. Cùm cernamus, virtutes etiam per ſe immortales, vetuſtate obliterari. Contra vetuſtatem verò lethæam conducit hiſtoriarum fomentum & ſcriptorum, qui cuncta reperta ſacris & æternantibus literis reddiderunt, ingenuorum autoritas. Quibus deſignatoribus omnes Gentiles primitùs caruiſſe, haud clam eſt; ac niſi benignitate ſacrarum hiſtoriarum, memoria eorum introducta foret, univerſorum ortus, ſub altiſſima oblivionis morte obrutus, & denſa ſeculorum nocte ſepultus, ſilentiique cineribus occultus manſiſſet. Equidem quid miror? quale diſcrimen inter ſceptrum & ligonem? quale inter Regis & viliſſimi ex plebe cinerem, niſi à benevolo calamo? Quis candido ſtylo conditus non vixit æternum, & contra hoc privatus in infimo profundo latet? Si iſtud populorum lumen maximè neceſſarium tolleretur, quorum Regum & Regionum nota manebunt nomina? E millibus vix unum invenies, ita, ut nihil aliud, niſi triſte illud: *Fuimus*, *Fuimus*, ingemiſcendum reſtaret. Veniunt mihi hæc conſideranti in mentem, verſus illius Lyricorum principis:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illacrymabiles
Urgentur; ignotiq; longâ
Nocte, carent quia vate ſacro.

Horat. *lib. 4. Carm. Od. 9.*

IV. DEBITUM quoque requiſitum eſt, talem antiquis gratiam retribuere, eorum nimirum memoriam, quantùm poſſumus, juſtis conſecrare monumentis. Summum

mum ipsum Divinum Numen, recta ratio & jus naturæ, id ut justum nobis officium imponunt, cernentibus haud incassum, juxta Dei Omnipotentis institutum & perfectæ rationis usum, omnia ordine & discretione gaudere. Ipse DEUS, qui seriei & rectitudinis autor fautorque cluit, singulari beneplacitô constituit; rerum maximarum memoriam, mundi inprimis & Ecclesiæ initia, generis humani originem, lapsum & reparationem, item Messiæ promissiones cæterasque Divinas patefactiones; nec minus exempla horridæ iræ Divinæ, pœnam Diluvii, atque rursus redintegrationem terrestrium; omnium imò rerum qualitates & vicissitudines conservari & ad posteritatem transmitti. Ut miracula inde, infinitæ potentiæ, justitiæ & misericordiæ Divinæ cognoscantur; ex opposito verò, causæ calamitatum humanarum præmonstrentur, juximque solamina & remedia in Mediatore JESU CHRISTO repræsententur certissima, per quem liberabimur ab his malis & restituemur justitiâ ad vitam æternam. Ideoque conditum est genus humanum ad gloriam nominis Domini celebrandam. Insimul vult DEUS, primos parentes eorumque conditiones retinere; ut, quò progressi sumus, sciamus, atque exempla admonentia & dehortantia, quæ sequamur & fugiamus, habeamus. *Spectate*, docet Syracides, *exempla veterum & observate. Syr. 2. v. 11.*

Jure humanô & naturali, Majoribus hunc ultimum honorem decernere tenemur, ob merita potissimùm eorum præstantissima. Ipsi enim celeberrimi gentium Fundatores nihil recusârunt sustinere, quod ad salutem posteritatis attineret. Nostrates, præcipuè media secula colentes, vitam alioquin dulcissimam, domos haud secus cunctaque chara (si non pro vera religione tunc temporis destituta) pro libertate conservanda, famâ invictæ virtutis propagandâ, æternoque nomine, ipsis desideratissimo nobis ornatissimo, acquirendo, ex amore posteritatis impenderunt.

Ab antiquo candore regula progreſſa floret: *DEO & patriæ nati ſumus.* Unde verò poſt religionem, exoptatius gratiſſimam exhibituri ſumus mentem ? quàm memoriam antiquorum præclaram, & perluſtrantibus amœnam, repetendo.

Ea eſt gratia, quàm meritiſſimis Majoribus debitam retribuere poſſumus. Is eſt extremus honor, ultra quem alius præſtari nequit: Summa quidem cum laude & utilitate. Omnis enim virtus noſtra cum dignitate, facta memorabilia, generis excelſitas, gloria immortalis & incitatio poſterorum efficaciſſima, heic conſiſtunt.

Cæteroquin nimis vanum arbitror, in aliquo opere, quod æternitatem non ingreditur, gloriolam quærere. Ipſimet noſtri Anteceſſores non minus antiquitatis decantatores, ac virtutum imitatores extitêre fideliſſimi. Teſte Tacitô: *Celebrant antiquis carminibus, quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt, Tuiſconem Deum Terrâ editum & filium ejus Mannum, originem Gentis Conditoresq́ʒ.* Tacit. *in Germ. c. 2. v. 3.*

Ejusmodi etiam carminibus, facta heroum & Ducum proſequebantur; ut idem Tacitus de Arminio: *Canitur adhuc Barbaras apud Gentes.* Tacit. *Annal. 2. c. 88. v. 5.*

Ipſi in conventibus & conviviis, egregia Majorum opera, ſimplici quidem genere comprehenſa, intendebant; quô ad ea imitanda juveniles animos alacriores redderent. Quid hôc laudabilius ? quid etiam utilius ? Priſcis ſuum honorem aſſignabant, & ætate grandes juventutem actuoſam vitam aggredientem, virtutum nutrimentis incitabant. Barbari & literarum expertes accuſantur, ſed quas Athenas, quam ſcholam, quæ alienigena ſtudia, huic perquam antiquo mori prætulerim ? Quid nos Chriſtiani hocce ſeculum degentes, qui politiores doctioresque audimus, ab Ethnicis vincimur! Hodie enim (proh indignitatem ineluctabilem!) ſymbola & convivia, ab Adoleſcentibus nullum in ſeniores

 & ſa-

& saniores respectum habentibus frequentata, consumuntur plerumque cum blasphemiis & obscœnis scandalis, sine pudore, sine observantia DEI; nedum factis Majorum justâ ac debitâ mentione recensitis. Quantò igitur, hac in parte, majores Ethnici, nobis præstantiores.

Plerique scioli atque nasutuli antiqua derident, ac ejusmodi laborem tanquam simplicem & inanem cavillantur; de alienis extraneis ac multoties nihil ad se pertinentibus curiosiores. Quum tamen, quando externa præcolunt, ipsi interea intermoriantur.

V. Quoad HONESTATEM: Peculiaris quondam DEO gratia, habita, si cui genti contigerat honos, perfectum genealogiæ ducere callem. Populi & Magi Orientales, certam prærogativam, certamina, imò divinationes arcana & abstrusa mysteria inde excerpsêre. Qui mos in abusum & vanas imaginationes prolapsus ab Apostolo prohibitus est. Epist. ad Tit. 3. v. 9. it. 1. Tim. 1. v. 4. *Ubi ejusmodi genealogias infinitas vocat.*

De incertis nimirum genealogiis sermo ejus erat & fallibilibus, quales ab otiosis Monachis permultæ olim sunt confictæ. Cæterum electus DEI populus Israelitæ, singulari beneficiô genealogiam tam accuratam & incorruptam retinuisse, Deo prælaudato, sibi gratulabantur. Quia promissio Divina de MESSIA & redemptore generis humani ex semine Abrahami processuro ibi requiescebat. Olim de antiquitate, acerrimô studiô etiam inter Ethnicos decertatum, deprehendimus; apprimè apud Majores Scythas: *Quos diu de generis antiquitate cum Ægyptiis, donec superatis, contendisse* tradunt. Vid. Justin.

Monumenta quondam Majorum in saxis & metallis, ad æternam duritiem, exquisitissimâ curâ, applicata offendimus. Liceret nunc sine pudore rubicundissimô, alienæ industriæ & virtutis nudi admiratores adsistere? Procul sit à progenie nostra, procul à sanguine nostro.

Hanc

Hanc igitur materiam summæ dignitatis, jucunditatis & utilitatis laude conspicuam, præ cæteris, graphidi meæ perquam crassæ subjicere, animus meus, amabilitate hujus plusquam inescatus & allectus, elegit.

Equidem sufflaminare hoc propositum possent eruditi tantum non omnes, perhibentes materiam intricatissimam esse & à nemine nondum satis extricatam; ut taceam suadentes, mihi & doctrinæ & bibliothecæ curtam esse supellectilem. Conatum tamen quum sua non excidere laude noverim, etiam in difficillimis vadum invenire non vereor.

DEUS, qui omnis boni fons & scaturigo, pro benignitate sua hisce meis clementer annuat conatibus, eosque benedictione sua ad propositum finem, qui est originis gentilitiæ vera indagatio, provehat, ratosque esse jubeat.

TANTUM.

Ad

Ad Lectorem.

B*Enevole Lector! hoc substratum non solùm priore locupletius & auctius, quin imo alio penitus modulo formatum reperies.*

Si priori forsan opellæ, cui nec dimidium ac huic inditum, alieni quid & perversi, sive erroris aut hallucinationis, ex improviso, irrepserit; fallibili potius variorum scriptorum discrimini, nequé minus sphalmatibus typographicis, quam proprio errori assignabis.

Seduci quidem, falsamq́ ad opinionem impelli, multis etiam excellentissimis contigit Magistris, juxta illud commune tritum: Nonnunquam bonus dormitat Homerus. Verum recognoscere sententiamq́ probabiliorem recipere, haud indecorum.

Quod discrimen autorum concernit, summâ identidem mentis consternatione admiratus: quam diversos illi permixtim sese exhibuerint; & quam apertos manuq́ palpabiles inspersos interdum errores foverint. Et quod mirificum stuporem auxit, nullus ferme autori autor consentit;

alter

alter alterius potius depravator nonnunquam est & corruptor, quàm explanator.

Si quis historicus populos nonnullos certis denotavit nominibus, alter alienis & perversis interrupit titulis; fidesq; cui tribuenda, fuit anceps. Ast propter ambitionem, mortalium confusiones subsecutæ; absint igitur transeantq; autorum censuræ.

Veritas, quæ nunquam extincta, sed obscurata modò, ex sacris petenda. DEUS itaq; fundum veritatis summis devotisq; votis implorandus est, quî generis humani vera ac germana germina & propagationes, solidæ solitæq; suæ clementiæ radiis illustrare, dignari & adversus cunctorum seculorum barbariem custodire velit.


In hisce priscam memoriam percurrenti mihi, primum equidem illud, quod singuli scriptores singulas habuerint opiniones, stupendam considerationem auxit. Fateor me maluisse aliorum heic expectare judicia, quam meum provulgasse. Ast condonabitur fortasse, paucas cogitationes aperuisse, non in comparatione studii & sapientiæ eorum, qui ingenii subtilitate me longè præstant; verùm, ut meis hisce conatibus, doctiores & sapientiores ad perspicaciùs inquirendum, excitentur. Veluti

ineptus fidium lusor ad meliorandum, perfectiorem plerumq; instimulat.

Eundem circa susceptum perexiguis ingenioli mei viribus non omnimodè confisus; Sed Eruditorum aliorum consiliis, ac præcipuè Reverendissimi ac Nobilissimi Domini Josephi Friderici Heusingeri à VValdegg, *jam VVunsideliensis SS. Ecclesiæ Archidiaconi orthodoxi meritissimi, Viri Doctissimi, & linguarum Orientalium peritissimi, ope, quod ingenuè fateor, usus nonnunquam sum quam fidelissimè.*

Ad materiam ut revertar, compendii loco præmonstrabo, quomodo in hoc tractatu, gesta primæva, item nomina populorum patronymica, virtuosa & acquisita, gentiumq; præsertim nostratium aliorumvé insignia contineantur. Quorum singulorum tractatio singulis capitibus comprehensa monstrabitur. Interea Vale & Fave.

LIBER



LIBER I.

De

GESTIS PRIMÆVIS, ITEM DE REBUS ANTE ET CIRCA DILUVIUM PERACTIS.

Quæ quidem, nisi quantum Moses tradit, fide donanda pauca extant; singula tamen utcunq; supersunt, percurrere placet.

CAPUT I.

DE CREATIONE RERUM.



NOn prolixa Ethnicorum deliria: de mundi æternitate, nec de ejus confluxu, neq; de rudi indigestaq; mole, Chao scil. figmenta tractabo. Non sciolorum quorundam de Præ-Adamitis somnia attendam.

Unicè examussim sacris literis accedam: *In principio DEUM cœlum & terram creasse:* non frustra profitentibus. Gen. 1. v. 1. & seq.

Creatio autem totius Sacrosanctæ Trinunitatis ad extra opus præcipuè ex originali charactere dilucescit.

בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים אֵת הַשָּׁמַיִם וְאֵת הָאָרֶץ׃

Bereschith bara Elohim eth haschschamajim veeth haarez:

i. e. *In principio creavit DEUS cœlum & terram*, & Spiritus Dei ferebatur super aquis.

Ac licet perversi Judæi ex contentis istis: Spiritus Dei ferebatur super aquis, ventum detorquere conentur, Regius tamen Propheta Spiritum Sanctum, & totam Sanctam Trinunitatem splendidè dilucidavit, ita:

בִּדְבַר יְהוָה שָׁמַיִם נַעֲשׂוּ וּבְרוּחַ פִּיו כָּל־צְבָאָם׃

Bidbbar Jehova schamajim naasu ubruach pif kol zefaam.

Juxta Benedicti Ariæ Montani verſionem: *In verbo Domino cœli ſunt facti, & in ſpiritu oris ejus exercitus eorum.* Pſ. 33. v. 6.

Quinimò aliis Veteris Teſtamenti locis Sacroſancta Trinunitas luculenter apparet, ut penes formationem protoplaſtorum, quando Sacroſancta Trinunitas inquit:

נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ׃

Naaſeh Adam bezalmenu Kiddmuthenu.

Faciamus hominem in imagine noſtra, vel ſecundùm noſtram ſimilitudinem. Gen. 1. v. 26.

Item alibi: *Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, lucere faciat Dominus facies ſuas ad te, & miſereatur tui: elevet Dominus facies ſuas ad te, & ponat tibi pacem.* Num. 6. v. 21. & ſeqq.

Item: *Benedicat nobis Deus, Deus noſter. Benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Pſ. 67. v. 7. 8.

Item Eſaias Trinuni DEO, TER SANCTO hac reverentia benedixit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus DEUS Zebaoth.* Eſa. 6. v. 3. Confer Jacob. Martin. de Tribus Elohim per tot.

Ex Novo Teſtamento perinde Sacroſancta Trinunitas manifeſtatur quàm clariſſimè, ſuaviſſimè, ut Matth. 28. v. 19. Rom. 11. v. 36. 1. Joh. 1. v. 7. &c.

Ita ut tota Sacra Scriptura per ſe nullius obſcuritatis, niſi à Judæis aliisq; perverſis, qui Spiritui Sancto usq; refragantur & credere nolunt, argui poſſit.

Ad creationem ut revertar. Creatio plerunq; DEO Patri (non excluſis tamen reliquis duabus perſonis) adſcribitur, quia DEUS Pater ipſe in opere creationis ſe quàm maximè manifeſtavit.

Sic & Divus Paulus opera Sacro-Sanctæ Trinunitatis in unum DEUM quàm ſolidiſſimè & decenter concinnare voluit, effatus: *De Eo* ſcil. Patre, *per Eum* ſcil. Filium, *& in Eo* Spiritu Sancto, *omnia ſunt; Ipſi gloria ſit in æternum.* Rom. 11. v. 36.

Quæ notitia celebratiſſima omnibus deſiderantibus manifeſtisſimè patefacta. Interea tamen elegantis compendii gratiâ Clariſſimi Viri D. Fabricii verſiculos de creationis diebus mutuari allubeſcit.

Prima dies lucem profert: locat altera Cœlum:
Poſt hanc ſtat tellus: quartâ duo lumina lucent:
Quinta replet vaſtum variis animalibus orbem:
Adam parq; DEO formatur imagine ſextâ.

Reli-

Reliquorum de Paradiſo, de lapſu protoplaſtorum, de propagatione prioris mundi, item de prioribus Patriarchis perluſtrandorum, curioſus Lector & affectans ad Sacri Codicis primaria capita & commentaria ſeſe reflectat.

CAPUT II.

De antiquitate literarum.

A DEO Omnipotente, à Patre luminis Omniſapiente, ut omnia dona bona & omnia dona perfecta illuminationis tanquam à cauſa principali deſcendunt; ſic etiam literaturæ condonationem & inſpirationem promanâſſe, indubitatò conſtat.

Inſtrumentalis verò cauſa, per quam, ſuggeſtione & manuductione Divinâ, mediante causâ formali ſtudiô Mathematicô, jam celebratæ literæ (prima elementa, characteres, grammata, prout nominare placet) primitùs productæ & lineatæ fuerunt, Adamus primus hominum, communi Eruditorum ſententiâ, ſtatuitur.

A DEO igitur Optimo Maximo primævi homines ad Aſtronomiæ & aliarum rerum ſcientias ſtylo comprehendendas, & ad poſteritatem transmittendas, diuturnâ longævitate donati ſunt. Aſtronomiam enim haud completè percipere potuiſſent, niſi 900. annos, per quot annorum curricula Magnus Annus revolvitur, vixiſſent.

Proinde Adam ex inflatu Divino de operibus Magni Numinis, de mundi & omnium rerum creatione, item de Aſtronomia texuit hiſtoriam & Enocho proſequendam tradidit; Enochus autem Lamecho & Noæ continuandam reliquit. Noa verò poſt diluvium Chaldæis commendavit; à quibus ſoli Ebræi accuratam veritatem conſcripſerunt. Unde & Gentiles hiſtoriæ Chaldaicæ cum Ebraicis ſæpiſſimè concordant; proptereaque Moſes, à Maſea Phœnice & Hieronymo Ægyptio, aliquoties teſtis adducitur, ut aſſerit Joſeph. lib. 1. Antiquitat. Judaic. cap. 4. Item in libell. contra Apion. vel Appion. Grammat.

Porrò ſanctus Propheta Enochus (qui juxta Moſis computationem florente Adamo & 622. annum agente, ante diluvium 1034. natus eſt) teſte Judâ Apoſtolô cognomine Thadæo, in ſua Canonica Epiſtola vaticinatus eſt de judiciis futuris, tam aquarum diluvii, quàm ultimæ conflagrationis. Quod Flavius Joſephus articulatiùs recenſet: *Eum vaticinia ſua duabus columnis inſcripſiſſe, unâ areâ, alte-*

râ lateritia, quò neq; diluviô neq; incendiô perire possent. Epist. Jud. v. 14. Joseph. lib. 1. Jud. c. 3.

Plinius ob summam antiquitatem, *Assyrias literas ab æterno fuisse*, inquit; *atq; literas Ægyptias, quæ aliàs antiquissimæ habentur, longè post Assyrias fuisse; Assyriarum verò nec principium nec autorem inveniri, sicut Ægyptiarum. Ex quo* (refert) *patet, æternum fuisse usum literarum.* Plinius lib. 7. Natural. Historiar. cap. 56.

Sed notetur contra Plinium, quod ejusmodi consequentia haud procedat: *Non invenitur autor & principium literarum Phœniciarum sive Assyriarum, &c. Ergò sunt æternæ.* Quia oppositum consequentis stat cum antecedente. Similiter assumtum, *quod non inveniatur principium*, est falsum: quoniam teste Diodoro Siculo: *Chaldæi licet mundum fuisse æternum opinentur, tamen principium Astronomiæ & literarum se nactos fuisse asserunt ante adscensionem sive Monarchiam Alexandri 43. millibus annis.* Diodor. Sicul. lib. 3. & seq.

Cæterùm attestante Xenophonte: *Annus in antiquitate literarum à Chaldæis Lunaris minor accipitur, per lineam medii motus Lunaris.* Quo pacto 43. millia annorum Lunarium circiter 3634. annos solares reddunt. Xenoph. in libell. de æquiv. circ. med.

Inde necessarium consequens, quod Chaldæorum Phœnicumq; literæ sub conditione Adami cœperint, quia à Monarchia Alexandri ad Adamum tot anni solares colliguntur; ut patet colligenti annos publicorum annalium diluvii & Monarchiarum. Vid. Joh. Ann. Viterb. in procem. comment. in Beros.

Quod etiam Beatum Hieronymum non latuit, quando inquit: *Chaldæorum veterum traditio est: visibilis hujus & formati mundi antea fuisse invisibilem & informem præjacentem naturam sempiternam à nullo productam. Quam posteriores Græci Hylen Chaosq; vocârunt. Moses verò Abyssum. Hanc materiam Chaldæi ad visibilitatem & formam fuisse à meliori natura deductam confitentur. Atq; (uti Moses) primo sceptro, stellis ornari cœlos ex tempore, non ab æterno produnt: Inde terram plantis & animantibus, postea piscibus aquas, volucribus aërem, postremùm hominem, Dominum mundi factum. Quæ omnia Ovidius Naso in opere magno à Chaldæis accepto ad unguem prosecutus est. Quin etiam Chaldæi annos & viros, à quibus orti sunt, ante regnum Macedonum sub Alexandro annis circiter quatuor & triginta super sexcentos & tria*

tria millia prodûnt. Quod profectò Moses in omni eorum disciplina atq; historia eruditus conscripsit, & quod erroris erat, in ipso initio elisit. D. Hieron. in comment. super illud Apostoli ad Ebr. 11. v. 3. *fide credimus adaptata fuisse secula, ut ex invisibilibus visibilia fierent, &c.* & seq.

Quod ab Adamô literæ & disciplinæ cœperint, non ex fide tantûm, sed etiam historia Gentilium & traditione Chaldæorum, qui se Astronomiam & literas habuisse ante Alexandri Magni Monarchiam 3634. asserunt, notissimum. Epigenes quoq; *septingentos annos & amplius ante Ninum & Phoroneum ait: Babyloniæ inventos laterculos coctiles inscriptos pro siderum observatione.* Quare multò longè ante terrarum inundationem, antiquissimo erat in usu ars coctilis & impressoria, atq; inscriptiva, & literæ Phœnices, & Astronomia, & hujuscemodi. Vid. Epigen. suo loc.

Alii literas non unô eodemq; tempore, sed successivô inventas fuisse contendunt. Nam ut rudes homines tabulas & parietes notis quibusdam & figuris, quæ meminisse volunt, consignare; postea, quò alia ab aliis certò dignosci possint, singulares indagines imaginari solent: sic veteres olim ejusmodi signa & characteres (veluti in vetustis Ægyptiorum hieroglyphicis diversarum animantium figuræ reperiebantur) excogitâsse; deinde propter eorundem tenorem & valorem convenisse atq; consensisse. Hinc secutam memorabilem ad varios rerum usus industriam; donec tandem ex verborum consonantia ad sonos, non confusos instar bestiarum, sed distinctos, translato quasi ad oculos aurium sensu, accommodatæ literarum notæ. Quibus decenter conjunctis, ut est oratio vivum quoddam cogitatarum rerum simulacrum, similiter & literarum signa, ad notabilem quandam picturam atq; similitudinem, ut perhibent, relata forent. Haud aliter, quàm si cogitantes, loquentes aut differentes inter se, manifestè animadverterentur.

1. Verò contra hanc opinionem notandum: DEUM Omnipotentem, sicut Adamo ante lapsum, ut omnibus rebus creatis, nomina eorum naturæ congruentia, perfectо sermone imponeret, immediatâ & perfectissimâ memoriâ indidit; ita etiam post lapsum ex mera misericordia (veluti corpus vestimentis adjuvit) ad memoriæ labilis subsidium, pari modô literarum monumenta, varias ob causas utilissimas, instillâsse, ex seipso evincitur.

Quæ immediata DEI dona, qualia literarum monumenta vigent, per se & ab initio perfectissima, solidissima & completissima

ſunt. Ejusmodi immediati DEI doni evidentiſſimum in Novo Teſtamento exemplum refulſit, cùm Spiritus S. in Feſto Pentecoſtes illuſtratos Apoſtolos illicò omni doctrinæ & linguarum perfectione replevit. Act. 2. per tot.

Quis proinde non admiretur, conſiderans: non amplius, quàm 23. vel 24. literis, multiplices omnium cogitationes linguarum, item & ſermonum varietates, quæ infinitæ ſunt, ab omnium rerum memoria, in omnem poſteritatem perpetuari poſſe.

Eſt profectò admirabile literarum inſignium inſtar linguæ ſermocinantis ad auras; manibus per cooperationem animæ impreſſum quaſi & adoptatum DEI bonum, ad oculorum captum & intellectûs directum.

2. Adamo jamdum literarum & omnium doctrinarum notitiam innotuiſſe, ex graviſſimorum, ut ante demonſtratum, Autorum teſtimoniis confirmatur.

3. Diſtinguendum eſt inter divinitùs inſtillatas literas, & inter illas Ethnicorum inventiones, atq; obſcura, intricata ac fallibilia hieroglyphica; quæ literarum nomen & appellationem non merentur.

Quanta enim poſt diluvium barbaries ex neglectu religionis & doctrinæ evenerit, neminem fugit. Unde deſideratis veris & antiquis literis, nova captioſa monſtra irrepſiſſe; vel ex invidia, ne unusquisq; præfractorum Ethnicorum commentitia arcana legere & comprehendere poſſet, alia prodigia transfigurata fuiſſe, concedendum. Ipſe Iſidorus; *Alias apud Ægyptios literas habuiſſe Sacerdotes*, inquit: *alias vulgus. Sacerdotales* ἱερὰς *eſſe; vulgares* πανδήμους. Iſidor. lib. 1 orig. c. 3.

Poſteriores literæ, quæ Cadmo Agenoris filio (unde & Cadmi nigellæ filiæ per adagium dictæ) item Palamedi, Simonidi, Melico, Pythagoræ Samio &c. adſcribuntur; illæ à Phœnicibus vel Ægyptiis deſumtæ, mutuatæ ſive deportatæ, forma ſaltem & lineatura differentes. De variis autem antiquarum & exoticarum literarum formis vide Scalig. lib. 6. de cauſa ling.

CAPUT

CAPUT III.
De prima urbe Hanoch ſive Enos.

CHaldæorum æternitatem frequenter affectantium regimina, eorundemq; Regum ſucceſſiones, ab Aloro quodam ad Xiſuthaim ſive Ζίσυθρον nobis Noam, quæ Abydenus & Apollodorus gloriantur; Ægyptiorum item antiquitatis tradita, prorſus fabuloſa ſunt. De quibus conſule Georg. Cedren. in compend. hiſt. it. Georg. Horn. in introduct. ad hiſt. univ. in pr.

Imperium unum memoratur fundatum à Caino, cujus regia ſedes fertur ex ſuo nomine appellata urbs Cainon; ubi poſt multiplicatam impendiosè peſſimam gentem, Tyrannorum aliquot ſucceſſiones usq; ad diluvium ſucceſſerunt, ut Auguſtinus refert. Sed hujus urbis & ejusdem ſitus deſcriptio baud admodum claret.

Cæteroquin civitatis Chanoch ſive Hanoch, à Caino ex filii nomine conditæ, expreſsè Moſes reminiſcitur: *Egreſſus eſt Cain à facie Domini* (ſcil. cum ſorore in conjugem aſſumta) *habitavit profugus in terra Nod* (Joſepho Noidâ) *ad Orientalem plagam Eden, cognovit autem Cain uxorem ſuam, quæ concepit & peperit Chanoch ſive Hanoch. Et ædificavit Cain civitatem, vocavitq; eam ex nomine filii ſui Hanoch.* Gen. 4. v. 17.

Profanis Scriptoribus Beroſo & aliis eſt *Enoſa.* Meminit quoq; Joſephus ejusdem. *Cain multas regiones unà cum uxore emenſus, tandem Noidam, id regionis nomen eſt, condidit, atq; illic ſedem optavit, ubi etiam liberos procreavit. Primus agrorum terminos fixit, urbem exſtructam & communitam, coactis in unum domeſticis & clientibus habitandam tradidit Enoſo nomine impoſito, ab Enoſo liberorum natu maximo.* Fl. Joſeph. lib. 1. ant. Jud. c. 3.

Conditor igitur hujus urbis, quæ prima habetur, primus notatur crudeliſſimus latro & fratricida Cain, à facie DEI & cœtu juſtorum malæ conſcientiæ furiis agitatus, ſeſe excommunicans.

Ebræi & omnes Interpretes, Cain impiâ prole ac crebrâ Apoſtatarum ad ipſum defectione maximè exauctum, ſucceſſivô progreſſu immenſam illam & firmiſſimam urbem Enos, in regione Eden, ad excurrendum & ad juſtos, ex poſteritate pii ac benedicti Sethi invidiosè ortos, opprimendos, ædificâſſe aſſerunt.

Explicatur Eden plaga delicioſa regio Damaſcena prope, ut cenſetur, Paradiſum ſecluſum, erga Orientem ad montem Libanon, de qua etiam Moſes prædixit. Gen. 2. v. 8.

Ubi

Ubi adhuc rudera firmissimæ olim & aheneæ urbis *Enos*, maximâ & ingenti rudimentorum mole cerni, & vocari ab incolis civitatem Caim, nostri mercatores & peregrinatores referunt. Perspicaciùs vid. Joh. Ann. Viterb. in Comm. Berof. lib. 1. in pr, Fl. Joseph. lib. 1. ant. c. 3.

Alii contra conjiciunt: *Hanoch sive Enos eò loci sitam fuisse*, ubi posteà Babylonia exstructa. Consulatur de hac B. Luth. in Tom. Jenens. in Gen 11. de urb. Babyl.

CAPUT IV.

De primis ante diluvium seculis.

1.

PRimum statim post statum innocentiæ, seculùm fuit πατρικὸν sive paternum; sed, heu bonitatis neglectum! neq; latè extensum neq; diuturnum. Ubi S. Patriarchæ reverentiam aliquandiu retinuerunt. Seculum sanctitatis, candoris, amoris, justitiæ, ac compendiosè dictu, omnium virtutum, inter fideles, plenum. Temporis propterea ejusdem cultores summâ tranquillitate, aureâ pace & pretiosâ frugalitate fruebantur. Id commodè propriè q; paternum cluit præsidium. Veluti enim pater liberos curat, pro eis orat, nihil onerosum eoq; minus intolerabile imponit, ac filii pii & obedientes eâdem reverentiâ patres prosequuntur; sic eodem brevi tempore Ecclesia à Tyrannide libera fuit, atque fideles mutuô amore, & sincerô DEI cultu, benedicti florebant. Hoc aureum seculum ante-diluvianum denotari posset; de quo etiam multa Gentiles ac insigniter Ovidius:

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullô
Sponte suâ, sine lege, fidem rectumq; colebant.

Ovid. lib. 1. Metam. fab. 3. in pr.

2. Hoc insecutum aliud quodammodo decedens & ad malitiam inclinans, Caini posteris seductoribus. Cultus DEI tamen utcunq; observatus, & homines severi juxtimq; justi versati; quod argenteum seculum foret declarandum; de quo iterum Ovidius citatô locô.

3. Deinde erupit strenuum, sed minus religiosum, ubi excelluit Machina bellica & gloria mundana. Subjectio ingruebat; & oppressio inferiorum, cum Sanctorum contemtu, inceperat. Libidinibus quoque & voluptatibus magis inserviebatur quàm antea. Quemadmodum

modum à virtutibus leviore viâ ad vitia grassantur, nec desinunt ubi incipiunt. Atq; hoc æneum seculum nuncupandum; de quo rursus antesignatus Vates.

Seculum æneum non ita præcisè tyrannicum declarandum, sed inclinativum saltim, δεσποτικὸν nimirum, hoc est, dominium imperiosum.

Δεσποτικὸς autem derivatur à δεσπόζω, dominor, prædominor, dominium aucupor; unde δεσποτικὸς τῶν ἀνθρώπων, imperiosus, dominandi cupidus, astutus, politus.

Quantum ad descriptionem imperii δεσποτικȣ̃ attinet, est secundùm Aristotelem δεσποτικὸν δίκαιον, herile jus, vel δεσποτικὴ δύναμις, herilis potestas, quam potestatem δεσποτικὸς τῶν ἀνθρώπων, seu imperiosus, juxta Xenophontem exercet in personas vel res sibi subditas, quò solus tandem Monarcha evadat. Conf. Theod. Reinking de regim. sec. & Eccl. lib. 1. class. 1. p. 2. Tob. Pauermeister à Kochstett Tract. de jurisd. Rom. Imp. p. 18.

Vel est coërcitio tam circa causas civiles, quàm criminales, ita tamen ut δεσποτικὸς per accidens solum personarum illarum & rerum utilitatem intendat. Conf. Matth. Steph. de jurisd. Rom. Imp. lib. 1. p. 77. Cellar. politic. p. 71.

4. Successit pessimum Magni ipsius Numinis Divini contemtrix, omnibusq; vitiis imbutum. Quod Flavius Josephus ita describit: *Superstite etiam tum Adamo, Caini soboles sceleratissima evasit; dum posterior quisq; fit deterior, nec solùm imitatur priora vitia, sed & superat. Interim nec à bellis nec à latrociniis temperabatur; & qui à cædibus abstinebant, alioquin avarè & superbè inter suos vivebant.* Fl. Joseph. lib. 1. Antiq. Jud. c. 3.

Antecesserunt profectò miserabilem illum aquarum cataclismum, sceleratissima impietas, diabolica magia, sævissima tyrannis, scurrilis incestus, scandala enormissima, & infanda, unô verbô, nefanda. Qualia autem propriè fuerint, Sacrâ Scripturâ ex verecundia mussitante, adhuc latet. Is tamen justus magisq; in recessu considerabilis, quàm scelerum evulgatione profusa apertus, hoc stupore conquestus emergit: *Cùm cœpissent homines multiplicari super terram, & procreassent filias; viderunt filii Dei filias hominum, quod elegantes essent, & ducebant sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* De quo explanatiùs seq. cap. Genes. 6. v. 1. 2. & seq.

Hoc fuit perdurum sive ferreum seculum, ubi atrocissimæ tyrannidi scelera quæq; & libidines concatenata erant; sicuti ferrum licèt durissimum, impuræ tamen rubigini plurimùm potissimùmq obnoxium. Idem Ovidius citatô locô non abludere videtur.

CAPUT V.

De Niphilim vel Niphlim sive Gigantibus ante diluvium.

DE Gigantibus ante diluvium Rabbini aliiq; rerum antiquarum nugatores multa mirabilia compegerunt.

Sed ad primarium S. Codicis Notarium Mosen me convertam, ita annotantem: *Cum cœpissent homines multiplicari super terram, & procreassent filias, viderunt filii DEI filias hominum* mundanorum, Cainitarum, impiorum & magicorum, *quod elegantes & delicatæ essent, & ducebant sibi uxores ex omnibus* sine discrimine dolosè & malitiosè, *quas elegerant. Fuerunt autem in diebus illis NEPHILIM sive Gigantes in terra. Postquam enim ingressi sunt filii DEI ad filias hominum, facti sunt potentes viri à seculo famosi.* Gen. 6. v. 1. & seqq.

Chaldæus Berosus hosce Gigantes aliter assignavit, ita exordiens: *Ante aquarum cladem famosam, quâ universus periit orbis, multa præterierunt secula, quæ à nostris Chaldæis fideliter fuerunt observata. Scribunt enim illis temporibus, circa Libanum fuisse ENOS urbem maximam Gigantum: qui universo orbi dominabantur ab Occasu Solis ad Ortum. Hi vastitati corporis ac robori confisi inventis armis omnes opprimebant, libidiniq; inservientes, invenerunt papiliones & instrumenta musica & omnes delicias. Devorabant homines, & procurabant aborsus, & in edulium præparabant. Et miscebantur matribus, filiabus, sororibus, masculis & brutis. Et nihil erat sceleris, quod non admitterent contemtores religionis & Deorum.* Beros. lib. 1. Antiq. in pr.

Multò remotius horum Gigantum mentionem intulit Fl. Josephus: *Angeli Dei* (quidam fabulatores & Talmudistæ perquam crassè genios sive spiritus nominant) *cum mulieribus congressi, progeniem procreârunt insolentem, & fiduciâ roboris omne jus & fas contemnentem. Quorum facinora non absimilia his, quæ de Gigantibus Græci memorant.* Fl. Joseph. lib. 1. Antiq. Jud. c. 4.

Verùm,

Verùm, omnes hi errant, qui per filios DEI Angelos vel Dæmones propriè intelligunt. Certissimè comprehenduntur Sethi, Enosi, & Sanctorum DEI electorum posteritas. Qui, veluti à Christo nos Christianos audimus, filii DEI nominabantur. Hi de vera religione desciscentes, impiæ Cain familiæ sese immiscuerunt. Unde adhuc, quotiescunq; viri regulares amore delicatarum mulierculaꝝ capiuntur, reservatum adagium, vel potiùs dicterium: *Ecce filii DEI videbant filias hominum.*

Nephilim istos sive Niphlim vertit Symmachus βιαίους, violentos raptores, Aquila ἐπιπίπτοντες, irruentes, Lutherus Tyrannos. Alii defectores, Apostatas, qui per impietatem à DEO deficientes, prædones, feroces & truculentos agere consueverant; ut explicat Piscator, Goropius Becanus, Merula, Damascenus, Chrysostomus, Junius, Cornelius à Lapide & recentiores plerique. Vid. Phil. Henr. Fridlib in obs. Bibl. ad h. l.

In hunc textum B. Lutherus quæstionem quasi formavit: *Quum solùm DEI filiorum nefario cum irreligiosis mulieribus congressu, Nephilim sic dicti procreati exprimantur, specialiterq́ recenseantur; mirabundus imaginaretur quis ac si ex impiorum filiis perinde progigni haud potuissent?* Verùm 1. unius positionem non statim alterius exclusionem necessitare, heic opponendum. Vel 2. ita intelligendum: postquam residui & pauci fideles donisq; Divinis excellenter ornati Ecclesiæ Præsides, præpotentium Cainitarum & infidelium conjunctionibus & connubiis se perversè adhuc immiscuissent, immensiùs ac impensiùs propterea malorum potentia augebatur. Quemadmodum usq; & semper Apostatæ sui ordinis persecutores deterrimi fiunt, ut B. Lutherus consentit. Vel 3. postquam S. Patres, Sacerdotes, populi Rectores, morumq́; censores ac vitæ Magistri, impiæ sectæ adhæsissent, juvenes omnesq́; corrupti, in nequitia accrescebant; Hæc fuit primaria causa accrescentium Nephilim & sceleratissimorum hominum. Vel 4, quæ sententia est propriissima, majoris admirationis & considerationis gratiâ: *Postquam ingressi sunt filii DEI ad filias hominum, facti sunt Nephilim, &c.* Tanquam S. Scriptura indicaret: de puris, putis, impiis non fuit mirum, postquam verò pauci adhuc superstites fideles imitarentur vel superarent impiorum facinora, tunc universa terra omninò coram DEO abominosa facta est. Vel 5. per Ironiam quandam ambitiosi Apostatæ ita arguti: *Postquam ingressi sunt filii DEI ad filias hominum, facti sunt potentes viri à seculo famosi.* Veluti Adam man-

datum Divinum transgressus tali encomiô animadvertitur : *Ecce Adam factus unus est ex nobis.*

Quosdam equidem, ab universitatis rerum principiis, Giganteâ viguisse proceritate non ausim refragarier, cùm & innumerabilia gravissimorum Autorum testimonia ejusmodi confirment. Vid. Theodor. Zwing. vol. 2. lib. 2. passim.

Heic verò omnes & singulos Nephilim nominatos, Cyclopes extitisse & Centauros, consentaneum non est.

Theologi sapientes statuunt : S. Codicem enormia sceleratissimorum hominum monstra non articulatiùs, nisi per horrendos Gigantes, repræsentare maluisse. Propriè autem subinnuuntur Præsides Ecclesiæ & Rerumpubl. Magnates.

Alioquin tam probitate quàm pravitate excellentes (veluti olim Tyranni) circumscribuntur indifferenter Gigantes. Quod in textu nostro per Catachresin in malam partem planè transumitur.

In bona parte accipitur, cùm ipsemet Salvator noster JESUS CHRISTUS dilectissimus *Gigas geminâ substantiâ* intimatur. Item:

Sponsus Redemptor, Conditor
Suæ Gigas Ecclesiæ.

Sic & Divus Fortunatus Christum antiquum Gigantem ex Virgine Maria natum in suo carmine celebrat:

Anniculum portans agnum antiquumq́ Gigantem,
Deq́ Tribu Judæ qui Leo fortis erat.

D. Ambros. in Hymn. Eccles. de Advent. Christ. item in Commun. Hymn. Eccl. Fortunat. lib. 1. de part. Virg.

CAPUT VI.

De Diluvio prænunciato.

נֹחַ Noach requies, à radice נוּחַ Nuach, requiescere in Hiphil הֵנִיחַ Heniach, fecit requiescere. Unde & נַחַת Nachath quies, à quo nonnulli Germanicum Nacht oriri statuunt; nox enim divinitùs quieti est destinata.

Noachus enim à Patre Lamecho sic dictus fuit à sperato effectu זֶה יְנַחֲמֵנוּ dse ienachemenu, hic consolabitur nos, hoc est, præstabit quietem ab istis Gigantibus & Tyrannis; vel à laboribus & hujus mundi miseriis, ubi confer Apoc. 14. v. 13. Alii de vero Redemptore

ptore, qui fuit Jesus Christus temporis plenitudine in carnem venturus, præmaturè supputatum fuisse volunt.

Noa igitur filius Lamech, juxta Mosen, Flavium Josephum & alios, è posteris religiosis Adami decimus, probus atque sincerus Numinis Divini cultor permanserat.

Deus propterea justissimus Annô Mundi 1536. ipsi præmonstravit: *Non contendet Spiritus meus cum homine, eò, quod caro est, erunt eidem dies* (tempus resipiscentiæ) *centum & viginti anni. Fuerunt autem in diebus illis Nephilim in terra. Videns autem Dominus, quod multa esset malitia, & quod omne figmentum cordis humani duntaxat intentum esset ad malitiam, pœnituit Eum* (ἀνθρωποπαθῶς sic dictu, quò humano captui divina indignatio communicetur) *quod fecisset hominem, & contristavit in corde suo. Et dixit Dominus, delebo hominem, quem creavi, à superficie terræ, tam hominem, quàm jumenta, tam reptilia, quàm volatilia cœli, pœnitet enim me fecisse eos. Noa autem nactus est gratiam in oculis Domini.* Gen. 6. v. 3. usq; 8. & seq.

Viginti annis, quod obiter notandum, post divinam allocutionem præterlapsis; Noa jamdum quingentennis, etiamnum ἄπαις & improlis, ut Chronologia mundi testatur, extiterat.

An in cœlibatu; an in matrimonio sterili vixerit; quum Sanctorum nuptiæ sacris literis parum consuetæ, expressè haud declaratur. Potiùs tamen hoc præsumendum: Noam prius abstinentiam conjugii prorsus vovisse, ne proles sua à mundo seducatur immundo; postea verò inflatui Divino ad alterum genus hominum propagandum obtemperasse.

Cæterùm Annô Mundi 1556. Noam ætatis suæ 500. præcisè seculo superstite ante diluvium primogenitum accepisse, & deinde duos posteriores filios S. Scriptura articulatim revelat. Gen. 5. v. ult. & 6. v. 9.

Unde claret, Noa castissimè maritantis juvenis quasi miraculum, ac continentiæ rarissimum, quod unquam legitur, exemplar. Idcircò à Luthero aliisq; præclaris Theologis justissimus celebratur simul & castissimus.

Volunt quidam Noæ uxorem Sibyllam nominatam, quin & Sibylla Babylonica ipsa se in arca fuisse testatur. Epiphanius, *Gnosticos Scriptores Noæ uxorem Noreiam intimare* memorat. Ille ipse se postea opponit, & eâdem firmitate *Partheniam* vocatam fuisse contendit. Berosus *Titaam* nominat. Ast ulteriùs, quam S. Scriptura decernit,

cernit, sapere non est nostrum. Sibyll. Babyl. lib. 1. Orac. Epiphan. Beros. lib. 1. 2. & 3. pass. vid. & Fridl. ad h. l.

Ad fontem iterum hujus historiæ S. Scripturam accelerabo, & contenta Genesis breviter, licèt non semper verbotenus, excerpta referam. DEUS itaque Noæ dixit: *Ego disperdam hominem cum terra, fac tibi arcam* (cujus forma in textu copiosè describitur) *de lævigatis lignis Gopher* (quod species abietis censetur) *& bitumine intus & extus obline. Ecce! Ego adducam defluxum aquarum ad perdendam omnem carnem, in qua est spiritus vitalis sub cælo; quicquid est in terra, exspirabitur. Et confirmabo fœdus meum tecum: veniesq; in arcam tu & filii tui, uxor tua & uxores filiorum tuorum tecum. Interea autem introduc omnium animalium genera tam terrestria quàm volatilia cæli. Tria paria & unicum* (scil. ad holocaustum separatum) *sicq; septem mundanorum, & singula paria immundorum animalium, assumtis quoq; cibis & pabulis necessariis. Quod fecit Noa juxta omnia, quæ præcepit ei DEUS.* Gen. 6. v. 14. usq; ad fin. it. c. 7. v. 1. & seq.

Tale Flavius Josephus monumentum ex antiquitate condidit: *Noa autem facta eorum pessimorum hominum molestè & indignè ferens, suadebat, ut in melius voluntates & opera transmutarent; verùm cùm videret, illos sibi non parere, totos vitiorum dulcedini succumbentes, veritus, ne & se & familiam suam interimerent, secedens cum suis in aliam regionem migravit. Tunc DEUS viri justitiâ delectatus; non solùm seculi ejus homines extremæ malitiæ damnavit, sed &, cùm decrevisset, universum genus humanum extinguere, aliudq; novum & à vitiis purum instaurare, primùm vitam eorum breviori spatiô coërcuit* (quod ex tempore pœnitentiæ ad spatium vitæ humanæ malè distortum) *deinde continentem terram in pelagi formam transmutavit; atq; ita genus illud abolevit universum. Noa autem solus servatus est, Divino Oraculo viam evadendi edoctus talem: Arcam quatuor contignationum exstruxit, longitudine cubitorum 300. latitudine 50. patentem in altum cubitos 30. In eam cum matre liberorum suorum, eorumq; conjugibus conscendit, impositis prius, quæ ad vitam sustentandam usui forent. Et omne genus, ad seminarium conservandum, jugatim pro sexûs ratione introductis; atq; quibusdam ex his ad septenarium usq; numerum. Erat autem arca tam tectô quàm lateribus firmis contra omnem vim tempestatum & undarum insultum. In hunc modum servatus est Noa cum familia gentium, successione*

cessione ab Adamo decimus. Contigit hæc vastitas annô ætatis Noæ 600. mense 2. Fl. Joseph. lib. 1. Antiq. Jud. c. 4. & seq.

In hypothesi autem subsequente, quâ Josephus Mosen contesturus: Mundum priorem 2656. stetisse reposuit, deceptus est.

CAPUT VII.

De Diluvio ipso.

ANnô Mundi 1656. die 17. Aprilis (computat enim Moses pro more anni sacri, dum de re sacra & miraculo divino hîc agitur, ita, ut mensis secundus, aliàs Misan, nostro Aprili respondeat; alii quidem aliter volunt: sed cuilibet, pro lubitu, sit opinandi voluntas) grande illud & horribile irruit suffocationis tormentum, centum & viginti annis pœnitentiæ nimirum impletis, & arcâ omnibus requisisitis instructâ.

Dixit autem DEUS Noæ: Ingredere tu & omnis domus tua in arcam: quia vidi te justum coram me in generationibus tuis. Intra 7. adhuc dies Ego pluam super terram 40. dies & 40. noctes, & delebo è terrâ omnem substantiam, quam feci. Gen. 6. v. 1. & seq.

Noa igitur jam sexcentennis cum uxore sua, & tribus filiis uxoratis, imperio DEI obsecutus inq; arcam ingressus est. *Et factum est, postquam arca* ab ipsius DEI justissimi manibus conclusa optumèq; munita prius fuisset, *venerunt aquæ diluvii super terram; rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt. Stagnavit diluvium super terram, & aquæ invaluerunt nimis, 15 cubitis super omnes montes excelsos, qui fuerunt sub cœlo. Et ita auctæ manserunt 150. diebus. Et arca ferebatur sub aquas, donec perierunt omnia, quibus spiritus vitalis inerat.* Citat. loc. vers. 11. & seq.

Ipsa S. Scriptura luctum ineffabilem universalis interitûs, multiplici doloris repetitione, ob certitudinem verissimam, sic intimare voluit, à vilioribus sic incipiens: *Et exspiravit omnis caro, quæ reptabat super terram; item volucrum, jumentorum & bestiarum: universi deniq; homines; & quicquid erat, in cujus naribus spirabat flatus vitæ. De omnibus, quæ in sicco degebant, mortua sunt. Deletum est omne, quod subsistebat in superficie humi, tam homines, quàm jumenta & reptilia, volucres deniq; cœli. Ita ut solus Noa*

super-

superstes manserit, & quæ cum eo erant in arca. Ibidem circa finem.

Quàm mœstè & mysticè Divus historiæ Scriptor truculentam hanc atq; horribilem cladem deploret, intelligere & recensere haud par sum. Quomodo sermonem amarissimos luctus satis exprimentem vix excogitare potuerit, & quàm sæpissimè immanissimæ stragis amarulenta verba repetierit, nemo fermè sine lachrymis reiterare potest. Jam enim incipit tertiatis verbis miserabiliter lamentari: *Væ exspiraverunt & consumta sunt omnia, quæ vigebant & virebant; nedum bestiæ, universi deniq; homines.* Jam singultit querelam: *Quicquid erat, in cujus naribus spirabat flatus vitæ, immò omnia, quæ in sicco & aëre degebant, proh dolor! mortua sunt.* Tandem tristissimam vocem concludit: *Immò omne, quod subsistebat, vah! prorsus omne deletum est, quicquid erat in superficie humi. Deleta, inquam, sunt omnia.*

Hæc sunt verba confusi & tristissimi cordis ex acerbo desiderii impetu repetita; perturbati instar Regis Davidis interitum Absolomi crebris reiterantis suspiriis. Certissimè quò abstruso mœrore & angore Noa toto diluvii tempore afflictus fuerit, neminem sibi imaginari posse, meritò cum B. Luthero, Luca Osiandro, ac multis aliis præclaris Theologis consentio.

Fuit quidem impiorum, inemendabilium & in turpissimis peccatorum latebris grassantium interitus. Quos enim antea obstinatos nec concio flectere, nec comminatio frangere poterat, ingruente jam aquâ & jugulum arripiente, horrendis gemitibus vociferabantur, & ejulatu dolorem suum declarabant. Sed serò nimis; ira enim DEI jam exarserat, veniæq; nullus dabatur locus, indultis 120. annis, convenienter ad emendationem vitæ uti debuissent. Attamen pia mens & misericors haud robur præcordiis, quin communem condoleat dolorem, induere potest.

O venenosa peccatorum lues! O styx damnosa & lerna malorum! quæ immensa damna causaris? Heu fallacia Satanæ irritamenta! qualia perniciosissima venena, quàm dulcissima suppeditatis!

Quæstio heic: An omnes, qui in diluvio perierunt, damnandi? subnascitur.

Negat Pererius, *quenquam fuisse beatum, exceptis tenellis infantibus.* Sed Chrysostomus, Hieronymus & alii rectiùs statuunt: *Multos adultos etiam, ingruente jam vitæ periculo, in gratiam DEI iterum fuisse receptos.*

1. Quia

1. Quia in universalibus & publicis pœnis ita contingere solet: ut permulti pœnitentiam agentes, corpore quidem intereant, sed animâ salventur. *Traduntur nonnulli Sathanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi.* 1. Corinth. 5. v. 5.

2. Chrysostomus monet: *DEUM non simul, sed per totos quadraginta dies ac noctes depluisse, ut quicunq; vellent moveri, converterentur ac resipiscerent.*

3. Veluti non omnes corporaliter in arca servatorum (impius enim Chamus eôq; mediante posteri ejus interfuerunt) beati dicendi; sic non omnes, qui extra arcam fuerunt corporaliter puniti, æternâ morte sunt correpti. Vid. Philipp. Henric. Fridl. in not. Bibl. ad h. l.

CAPUT VIII.

An diluvium Ethnicis innotuerit.

Augustinus, universale hoc diluvium in ullorum Ethnicorum notitiam venisse, haud concessurus, propter multifarias innexas fabulas, obstaculum forsan rapuit. Augustin. lib. 18. de Civ. Dei c. 8. & 28.

Sed Eusebius contra affirmat, atq; Alexandrum Polyhistora, Melonem, Euphemum & alios adducit.

Plato quoq; concisè: *Quomodo Ægyptius Sacerdos ex mysteriis eorum Soloni aperuisset, præ illis Græcis cognitis alluviebus, aliud immensissimum & incomparabile grassatum diluvium, totumq; orbem subruisse &c.* adducens contestatur. Alii etiam Ethnici verum illud diluvium, variis licèt Noæ appellationibus obscuraverint, indigitârunt; uti Xenophon: *Inundationem novimestrem* tempore & appellatione Ogygis Prisci, i. e. ipsius Noæ ob oculos depinxit. Euseb. in Chron. Plat. in Timæo. Xenoph. de æquiv.

Flavius Josephus: *Hujus diluvii & arcæ meminerunt omnes Barbaricæ historiæ Scriptores.* Et paulò post: *Hieronymus Ægyptius, qui antiquitates Phœnicum conscripsit, & Maseas Phœnix, & alii plures, quin & Nicolaus Damascenus diluvii meminerunt.* Flav. Joseph. lib. 1. Ant. Jud. c. 4.

Quàm luculentissimè Berosus Ethnicus Chaldæus hanc historiam declaraverit, ipsimet perlegentes animadvertant: *Unus inter*

Gigantes, qui Deorum venerantior & prudentior cunctis, reliquus ex probis erat in Syria. Huic nomen Noa cum tribus filiis Semo, Japheto, & Chem; & uxoribus Titæa magna, Pandora, Noela & Noegla. Is timens cladem, quam ex astris futuram prospexerat (cum 42. annis antea & ipse & filii in varias mundi partes ablegati, diluvium prædixissent, & lapidibus futuras calamitates incidissent, ut vult D. Wilhelmus Widenbach) *Annô 78. ante inundationem navim instar arcæ fabricari cœpit. Deinde ex improviso exundavit Oceanus, & omnia maria Mediterranea, fluminaq; ac fontes ab imo ebullientes inundaverunt supra montes; accedentibus atq; impetuosissimè supra naturam à cœlo copiosissimis imbribus, multis diebus corruentibus. Itaq; omne genus humanum aquâ suffocatum, exceptô Noâ cum familia sua, quæ navi excepta est.* Berosf. lib. 1. antiq. circ. med.

Lucianus (qui an Gentilis an Christianus rectiùs nominetur, ambigitur) à Græcis tradi scribit: *Traditur à Græcis, hanc hominum generationem, quæ nunc est, ab initio haud quaquam fuisse; sed eam, quæ tunc fuit, totam interiisse. Hos autem homines, qui nunc sunt, secundi generis esse; ejus, quod rursus à Deucalione in tantam multitudinem excrevit. De prioribus autem hominibus ejusmodi quædam narrantur: cùm efferi admodùm essent, nefaria opera eos perpetrâsse, neq; jusjurandum servâsse, neq; hospites recepisse, neq; supplicum misertos esse; ob quam rem ipsosmet maximam calamitatem subiisse. Statim enim & tellus multam aquam effudit, & imbres magni fuerunt, & flumina solitô majora decurrerunt, & mare eò usq; adscendit, dum omnia aquis involverentur atq; omnes perirent. Deucalion verò solus relictus fuit in secundam videlicet generationem, prudentiæ simul & pietatis gratiâ. Servatus autem fuit hoc pactô: Arcam quandam magnam, quam ipse confecerat, impositis in eam & liberis & uxore suâ conscendit. Venerunt ibidem & apri & equi, & leonum genera & serpentes, aliaq; quæ tellure pascuntur, bina ex quocunq; genere cuncta. Ille verò recepit ad se omnia, atq; ea ipsum haudquaquam lædebant; sed maxima inter eos, Jove* (rectiùs Jovâ) *ita dispensante, concordia erat. Unaq; omnes in arca navigabant, quamdiu aqua superabat.* Lucian. in libell. de Syria Dea.

An Ovidii Metamorphosin aliquid profanorum operum superet, anceps hæreo. Ille tam articulatim circumstantias diluvii & generalem interitum, ac si ipsemet proprlis oculis adspexisset, descripsit.

psit. Verùm itidem Deucalionis imbres, ad universale Noæ diluvium detorsit, ac postea Gentili more inter alias plures ambages: *Quomodo Deucalion cum conjuge Pyrrha, qui ex cunctis mortalibus superstites, Themidis Deæ oraculo, ossa magnæ terræ, id est, lapides post terga jecissent; postmissi à Deucalione in masculos, à Pyrrha verò in fœmellas transmutati forent, &c.* confinxit. Ovid. lib. 1. Metam. fab. 9. & seq.

Mera hîc confusio & duarum historiarum inutilis commixtio. Concedendum quidem est, homines post diluvium in montibus aliquandiu & speluncis sparsim habitâsse; donec Noa rursus cœtus ad condenda habitacula instituerit; atq; sic dictu lapidibus retrojectis, hoc est, speluncis relictis, homines reparaverit. Istud Ethnici, præcipuè Ovidius, longè aliter Deucalionis jactibus adscripserunt, elegantissimâ tamen allegoriâ: Themidis oraculo, quæ apud Græcos lex seu jus naturæ significat; cujus instinctu vitæ civilis est institutio inventa.

Prima præterea conservatorum hominum urbs, apud Græcos λᾶς vel λαὸς, quod vocabulum & lapidem & urbem consignificat, describitur. Quare egressus primorum hominum ex urbe Lao, per fabulam ex lapide confingitur. Veluti Pindarus ostendit: *Missa fac bellum & omnem pugnam, quæ longè remota à Diis; sed feras urbi, in qua primùm facta est hominum generatio, sensum. Ubi variè tonante fatô Jovis, Pyrrha & Deucalion è Parnasso descendentes primam domum posuerunt, & sine cubili fœtum saxeum, qui simul in populum coaluit, acquisiverunt, qui λαοὶ, id est, lapides dicti.* Et paulò pôst: *Ferunt enim vim aquarum diluvio obruisse nigram terram; sed Jovis consiliô subitò absorpta est unda. Ibi primi fuêre nostri progenitores, Japeti & puellarum Saturniarum posteri, indigenæ Reges.* Pind. Oda 9. Olymp.

Nervosum alii humanæ naturæ emblema inde excerpsêre, ad significandam eorum, tanquam ex lapidibus factorum, duritiem. Quale & Ovidii ibidem canentis indicium eò directum:

Inde genus durumq; sumus patiensq; laborum,
Et documenta damus, qua simus origine nati.

Ovid. lib. 1. Metam. fab. 11. in fin.

Sic & Virgilius Maro:

Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus.

Virgil. lib. 1. Georg.

Cæteroquin, quis Deucalion ejusq; imbres fuerint, ex aliis historicorum monumentis notissimum versatur. Ovidius ipse *Deucalionem Japeti quin Promethei posterum* intimat; nihilominus tamen universale diluvium eidem irrogavit. Ovid. lib. 1. Metam. fab. 10. vers. ult. it. fab. 11. v. 24. passimque.

Deucalionem propriè prudentissimum & sapientissimum Thessaliæ Regem floruisse annô post diluvium 784. exploratissimum habetur. Vid. Euseb. in Chron. item Abraham. Bucholz. in Chronolog.

Exceptô autem primô & κατ' ἐξοχὴν generali diluviô, ab aliis profanis historicis subsequentes plures aquarum confluxus numerantur. Quorum cum Noachico illo maximo 5. usq; Prometheum Ægyptium recensentur. Sed plerunq; Ethnici Scriptores alluvies illas speciales cum generali diluvio confuderunt.

Xenophon omnes 5. cataclismos hâc rotundâ sententiâ expressit. *Inundationes plures fuêre.*

1. Novimestris inundatio terræ sub Prisco Ogyge, i. e. Noa. Et hæc est generalis, cujus etiam Plutarchus, Suidas, Stephanus & alii meminerunt.

2. Niliaca menstrua sub Hercule & Prometheo Ægyptiis, ut & Diodor. lib. 1. indicavit.

3. Bimestris. Sub Ogyge Attico in Achaja. S. Jacobi Patriarchæ temporibus, ut Pererius annotavit; ubi regio Attica tam vehementer devastata, ut prope 700. annis, nullus Rex eam coloniis iterum replere ausus fuerit.

4. Trimestris Thessalica sub Deucalione, sola circa Parnassum, unâ hyeme, ut Aristoteles lib. 1. Meteor. scribit, & ipse Ovidius cit. loc. Circa id tempus, quo Israëlitæ ex Ægypto egressi sunt, post diluvium 782. vel ut Eusebius testatur, 784.

5. Par præcedenti Pharaonica sub Prometheo Ægyptio in raptu Helenæ. Xenoph. in libel. de æquiv. in pr.

Nihilominùs tamen Gentiles, Deucalionis alluviem ad circumstantias maximi diluvii detorserunt. Quidam eruditissimi Viri diluvium universale ideò Deucalioni adscriptum fuisse conjiciunt; quod antiquissimus Rex & inclutus sapientiæ Professor excelluerit, ac forsan imbribus tunc temporis ingressis, Thessalos suos pristini diluvii commonuerit; sicq; talis memoria ab eo retenta & deinde confusa. Vid. Solin. in collectan. Achiloch. de temp. Justin. lib. 2. c. 7. Oros. lib. 1. c. 9.

CAPUT

CAPUT IX.

De admirabili Noæ in arca permansione, donec exitus DEO erat perplacitus.

NOa A. M. 1656. die 17. Aprilis arcam est ingressus, *atqui die 17. Mensis septimi* (i. e. Septembris) *requievit arca super montes Ararat.* Ergò totos quinq; Menses, vel 150. dies; priusquam modo altissima montana attigit, procellis agitatus. Gen. 8. v. 4.

In jam dictis montibus Ararat, & quidem in cacumine Noa 77. dies commoratus, priusquam juga reliquorum montium apparuerunt, ut textus continuat: *Aquæ autem decrescebant usq; ad decimum Mensem.* (Decembris) *Decimò enim Mense, primâ die Mensis, visa sunt cacumina montium.* E. montana Ararat altissima omnium contistunt; & 77. dies præterlapsi completè resultant. Ibid. v. 5.

Multò mirabilius est: Noa jamdum in Ararat appulsus, perquàm diu alia remota cacumina montium contuitus, nunquid tentaret, excogitat. Verba subsequentia produnt: *Factum est autem post 40. dies* (scil. 10. Januarii) *ut Noa fenestram arcæ recluderet, & corvum* (terræ explorandæ gratiâ) *emitteret.* Ibid. v. 7.

Eaquepropter 17. Jan. columbam, (quæ deficiente adhuc consedendi qualitate reversa est) post 7. dies emissô corvô, ablegavit, ut textus subsequens hisce verbis ostendit:

Porrò cùm expectâsset alios adhuc 7. dies, rursus emisit columbam, quæ veniens ad eum sub vespere, ramulum oleæ gestabat. Cognovit ergò Noa, quod aquæ imminutæ essent super terram, videlicet 24. Januarii.

Expectatis autem adhuc 7. diebus aliis, rursus emisit columbam, quæ ultrò non est reversa ad eum, circa 31. Jan.

Mirificentissimum est, quod omnibus jam tentatis & compertis periculis Noa ex onusto angoris carcere non eruperit. Textus enim sacer talia porrò verba concinnavit: *Factum est 601. annô ætatis Noæ* (1. Martii novô Ebræorum annô) *exsiccatæ sunt aquæ de terra.*

Aperuitq; Noa operculum arcæ & prospexit, & ecce superficies terræ erat exsiccata. Noa tamen valdè licet exambulandi desiderans, non eruperat, sed emissionem DEO beneplacitam expectavit.

Porrò in Mense secundo (27. Aprilis) *arefacta est terra. Lo-*

cutus est autem Dominus ad Noam: (apprensis quasi manibus eum educens) *egredere ex arca tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum.* Noa ergò post ultimam emissam columbam 87. soles (quinimò diutius, si Omnipotenti ita placuisset) transire passus. Ab 31. Januarii per integros fermè tres Menses usq; ad 27. Aprilis 87. dies, ubi Noa in liberationis expectatione perduravit, supputantur. Ibid. v. 13. usq; 17.

Conjunctim igitur Noa 375. dies sive integrum annum & 10. dies arcæ inclusus voluntatem DEI expectavit.

Alii contrariantur: Noam in arca commoratum fuisse duodecim Menses Lunares & undecim dies epactos, qui integrum annum solarem constituunt. Sed hâc ratione:

1. A die 17. Mensis secundi, usq; ad diem 17. Mensis septimi, non præcisè 150. dies præterfluxissent, ut Gen. 8. v. 5. expressè extat; sed tantummodò 147. quod S. Scripturæ non convenit.

2. Initium diluvii describitur 17. die Mensis secundi sive Aprilis. Noæ verò liberatio annô superatô 27. ejusdem. Totus igitur annus & 10. dies resultant.

Miranda profectò continentia Noæ, qui nec vi, nec instrumentis adhibitis, cupiditatem egrediendi expleverit; nec signis attractus eruperit; sed se & omnia soli DEO committens, ejusdem manifestum mandatum & eductionem, summâ cum fiducia expectaverit. Quanto igitur cum impetu putes leones, ursos, tigrides, pardulos, elephantos & alia horribilia animalia, terræ jam vacuefactæ & desertæ inhiâsse? Quanto cum desiderio recenti aëre fruitum volucres? Quanto cum gaudio reptilia?

Inidem suboritur quæstio: Cur DEUS non citiùs terram exsiccaverit, ac Noam cum suis tantâ ex angustia liberaverit? Ubi

1. Non insipidè reponendum: quia Omnipotenti non citiùs placuit.

2. Causis Physicis obviandum, ob melius viventium commodum, quò humor fœtidus ex cadaveribus aliisq; putridis materiis ortus, indies evaporesceret.

3. Ut vernali flore apparente, tam homines quàm jumenta eò faciliùs victum acquirere possent.

4. Ratione sacrâ & potentissimâ, quò Noæ & suorum continentia atq; constantia, eò certiùs probaretur; ac in angore diu suspensos, liberatio cum solamine alacriores atq; in DEUM gratiosiores redderet.

CAPUT

CAPUT X.

De montibus Ararat.

ARarat, quorum priùs mentio facta est, disparia inter Eruditos judicia excitant. Duo autem præ cæteris; 1. de Imao, 2. de Gordiæis Armeniæ montibus præcellunt.

Targumica versio Onkelos nominat montes Cardu; non autem explicat. Targum Hierosolymitanum hoc addit: *Et quievit arca Mense septimò super Tauro Cedrorum. Nomen Tauri unum est in Carduania: nomen Tauri unum est in Armenia; ubi ædificata est civitas Armeniorum in terra spaciosa, h. e. Armenia majori.* Targ. Hierosol. ad h. l.

Josephus similiter montes Armeniæ explicat, ita scribens: *Ἀποβατήριον, id est, Egressorium Noa, Armenii referunt, quod nimirum egressus ibi sit Noa ex arca.* Joseph. lib. 1. antiq. Judaic. c. 4.

Eusebius perinde montes illos *superiori Armeniæ, in Persarum confinio,* assignat. Cui & adstipulatur Hieronymus. Euseb. in Chron. Hieron.

Berosus Chaldæus nomen Cardu vel Cordu per montes Gordiæos interpretatus sententiam de Armenia comprobavit, Beros. lib. 1. antiq. in pr.

Epiphanius scribit: *Arca requievit in montibus Ararat, per mediam Armeniam & Carduensium terram, in monte Lubar appellato.* Cedrenus verò pro Lubar legit Juban. Epiphan. lib. 1. tom. 1. in pr.

Plinius *Adiabanos Armeniæ* jungit; *Et Adiabanis*, inquit, *connectuntur Carduchi quondam dicti nunc Cardueni &c.* atq; iterum circa Armeniæ Majoris loca *Arariaticos populos*, ab Ararat fortè nomen habentes collocat. Plin. lib. 6. c. 9. 13. & 14.

Inveniuntur tamen: Ararat Imaum altissimum montem ibi denotare, obnitentes. Sin minus, sequeretur: Noæ posteros, in terram Senaar profectos directò occasum (non Orientem ut Gen. 11. dicitur) retinere oportuisse.

B. Lutherus in hunc textum ita annotavit: *Pernecessarium est, perscrutari montes Ararat. Pleriq; quidem Doctores de promontoriis Armeniæ, prope arduos Asiæ Minoris montes, Caucasum & Taurum recensent. Mihi verisimilius apparet, heic denotarier montem supereminentissimum Imaum, qui Indiam disterminat; cujus compa-*

comparatione, reliqua montana, vix radices, censenda. Atqui ipsam Arcam super ejusmodi tale praealtum cacumen necessariò requievisse, indicium est illud: quod decrescentibus aquis, post tres fermè menses, tunc demùm reliqui montes, Libanus, Taurus, Caucasus apparuerint; quia brachia quodammodò sunt supereminentissimi Imai. Ubi, tanquam in exaltata specula, Noa praedictos montes eminùs obtueri potuit. Quemadmodum montes Graeciae distenta brachia habentur Alpium ad Hercyniam usq; nostram radicantium. Perspicax enim contemplator montana ista mirabiliter inter se pertingentia, mutuòq; se apprehendentia animadvertit. Confer. Luther. Tom. Jen. Germ. ad h. l.

Lucas Osiander ita commentatus: *Ararat qui montes fuerint, nihil certi sacris ex literis affirmari potest. Conjiciunt autem quidam Eruditi, quod intelligatur mons Indiae altissimus Imaus, ex multis montibus longissimô tractu cohaerentibus compositus. Immensae altitudinis alicubi, latissimèq; sese protendens. De quo vide Plin. lib. 5. c. 27.*

Caeteroquin montes Ararat, ubicunq; etiam reponantur, ad altissimam loci summitatem referri oportet; quod apparet inde: quod decrescentibus aquis diluvii, longè supra duos Menses reliquorum montium cacumina conspecta fuerint. Luc. Osiand. in Gen. 8. ad h. l.

D. Philippus Heinricus Fridlibius ita consignavit: *Ararat scribunt nonnulli, esse editissima montana Imai vel Caucasi, qui Scythiam ab India dispescunt, & Scythiam ipsam in duas partes dissecant, cujus brachia sunt Libanus, Caucasus, Taurus, Tapura, &c. Probabilior est 70. Interpretum sententia, qui intelligunt montes Gordiaeos in Armenia Majori. Sunt autem Montes editissimi, pars Tauri; qui varia, locis diversis, nomina obtinet, ubi imminet Ciliciae & Araxi fluvio.* Philip. Henr. Fridl. in not. Bibl. ad h. l.

Has ambas opiniones conciliat una distinctio, inter generaliora & specialiora transposita. Ararat generaliter Taurum vel Imaum vel (prout nominare mavis) Caucasum, qui multos alios montes continentes in se comprehendit, in lingua Orientali significat; specialiter verò pro Cardu vel Cordu sive Gordiaeo Armeniae monte per Synecdochen totius pro parte, transsumitur. Targum ipsum Hierosolymitanum testatur: *Ararat esse Taurum variorum nominum, ut & Carduaniae Armeniaeq; participem.* Targ. Hierosol.

Ad me-

Ad meliorem intellectum conducit, Ararat sive Tauri in genere latitudinem demonstrare: *Taurus mons Asiæ totius longè maximus, qui ab Indico mari exsurgens, vastè satis attollitur; dein dextro latere ad Septentrionem, sinistrô Meridiem flectitur. In Occidentem rectus; perpetuô jugô multarum gentium terminus ac arbiter. Sed, pro Gentium ac linguarum varietate, diversa nomina occupat.* Juxta Plinium: *Primâ parte Imaus dicitur, mox Emodus, Paropamisus, Circius, Phambades, Pharphariades, Chaatras, Oreges, Oroandes, Niphates, Taurus. Atq; ubi se exsuperat Caucasus, ubi brachia mittit tentanti maria similis, Sarpedon, Coracesius, Cragus iterumq; Taurus. Aliaq; aliis in locis assumit nomina, in universum tamen à Græcis Ceraunius appellatur.* Plin. lib. 5. c. 25. & seq.

(Ascenæ quoque sive Ascanii Noæ pronepotis memoria ibidem quoque retenta, quæ *Ascanimia* juxta Ammianum vocatur.) Strabo Gordium inter ejus nomina expressè refert. Dionysius alicubi nominat *Armenium.* In sacris literis *Ararat* nuncupatur: Ariâ Montanô & Becanô testibus. Strab. lib. 5. Geogr. Vid. & Dionys. Pompon. Mel. Q. Curt. it. Carol. Steph. Hist. sub nom. Taur.

Prætereaq; quando Ararat pro Cordu, Cardu vel Gordiæo Armeniæ monte, ubi tanquam in altissimo Tauri jugo arca Noæ requievit, specialiter sumitur; non adversatur migratio Orientem versus in terram Senaar, ubi Babylonia condita. Etenim haudquaquam in illo vertice semper hæsisse, atq; illicò & directò digressos esse; sed circumjacentia prius coluisse, pressaq; tellure tunc demùm prope Mediam erga Orientem istuc venisse, conjiciendum. Multas imò circumstantias penes hanc migrationem contigisse verisimile. Insuperq; claret Armenia latissima regio, latitudine etiam Orientem attingens.

Sæpè citatus Plinius *in Caucasiis portis montes Gordiæos* collocat, & alibi: *Tigrim fluvium in Majori Armenia ortum, montes Gordiæos lustrare indeq; Babyloniam devolvi*, commemorat. Atq; Nicephorus, *Euphratem in Ararat montibus Armeniæ oriri*, scribit. Quorum ductus Noæ nepotes in itinere secutos esse, non absurdum. Plin. lib. 6. c. 11. & 17. Niceph. lib. 9. c. 19.

Quare cum hac interpretatione non pugnat, sed maximè illorum sententia concordat, qui Ararat per Taurum, Imaum vel Caucasum explicant; & iterum, qui per Gordiæos Armeniæ montes, generali posito pro speciali, ac vice versa interpretantur.

Aristoteles, *Caucasus*, inquit, *mons est eorum, qui ad æstivum Solis ortum vergunt, multitudine pariter ac celsitudine maximus.* Atq; iterum teste Plinio: *Armenia Major versus ortum Caspio mari, quod totum Caucasiis montibus cingitur, clausa est.* Arist. lib. 1. Meteor. c. 13. Plin. lib. 6. c. 9.

Pulchrè tandem cum hac expositione convenit, quod in historia Sennacheribi commemoratur: *Cùm Rex Assyriorum Sennacherib adoraret in templo Nischroch, filii ejus Adramelech & Sareser interfecerunt eum, & profugerunt in terram Ararat, sive,* ut Onkelos reddit, *in terram Cardu,* tanquam in vicinam regionem. 4. Reg. 9. v. 37. & Esa. 37. v. ult.

Expressè etiam regna Ararat, tanquam cum Medis vicina, contra Babyloniam excitantur. Jer. 51. v. 28.

Contra verò in Ararat, quatenus ad Indiam vergit, genus reparatum esse mortalium, nec consentaneum, nec unquam à Priscis statutum; cùm in Armenia ubiq; comprobatum vigeat.

Præprimis Berosus ingenuè intimat hisce verbis: *Chaldæi & Scythæ scribunt, siccatô ab aquis orbe, non fuisse, nisi dictos octo homines in Armenia Saga,* (i. e. Scythia) *& ab his omne genus in terris disseminatum.* Beros. lib. 2. in pr.

Quæ sententia confirmari videtur ex disceptatione, quam Scythæ adversus Ægyptios de generis antiquitate habuerunt. Justin. lib. 2. Pausan. in Att.

Omnes quoq; Ebræi, Chaldæi & Græci Interpretes usq; & semper per Ararat Armeniam Majorem, & per regnum Meni sive Menæorum Armeniam Inferiorem sive montosam intelligunt, ut constat ex Targumim interpretatione. Jer. 51. v. 28. vid. Salom. Gesn. comment. in Gen. 8.

De reliquiis arcæ Noæ in montibus Armeniæ Gordiæis Berosus hæc mirabilia tradidit: *Arca Noæ elevata ab aquis in Gordiæi montis vertice quievit; cujus dicitur adhuc aliqua pars adesse; & homines ex ea bitumen tollere, quô maximè utuntur ad expiationem.* Hunc contestatus Josephus, *hoc bitumine vice amuleti, loci ejus homines uti solere,* recitat. His etiam Epiphanius adstipulatur: *Adhuc reliquiæ arcæ ostenduntur in Carduensium regione, ac si quis omninò quæsierit, reperiet & reliquias altaris.* Beros. lib. 1. circ. fin. Joseph. lib. 1. ant. c. 4. Epiph. lib. 1. tom. 1.

Ipsa autem Armenia regio est antiquæ Scythiæ ad mare Caucasum usq; protensa.

Gor-

Gordiæos montes Caſpios Geographi interpretantur, & ratione ſitus & ſuâ naturâ altiſſimos, non procul à ſcaturiente fluvio, qui ſimiliter ab Ebræis Ararat, à Græcis verò & Latinis Araxes citatur. Ubi Noa cum ſuis, primos lares poſuiſſe, & habitaſſe, profertur.

Pontem ab Alexandro M. ſuperſtructum impetus amnis iterum ruperat. Unde illud Virgilii:

Et pontem indignatus Araxes.

Virg. lib. 8. Æneid.

CAPUT XI.

De fabuloſa conſervatione extra arcam.

Antiquitatum Collector Flavius Joſephus, exceptis Noachicis, plures homines in altiſſimo quodam Armeniæ monte, qui nomine Baris, diluvii tempore ſervatos fuiſſe, infirmum ſanè indicium ex Barbaro Gentili Hiſtorico Damaſceno ſic dicto, ſatis quidem vetuſtè, ſed & fabulosè compoſitum, profert: *Quin & Nicolaus Damaſcenus lib. 96. de his rebus narrat: Et ſuper regnum Miniarum mons magnus in Armenia nomine Baris, in quo multos profugos diluvii tempore ſervatos ferunt. Et quendam arcâ vectum in hujus vertice hæſiſſe, ac reliquias lignorum ejus longô tempore duráſſe. Qui fortaſſis is fuit, de quo etiam Moſes ſcribit Judæorum Legislator.* Hæc ex Damaſceno deſumſit. Flav. Joſeph. lib. 1. antiquit. Jud. cap. 4.

Quod verò poſt ſequitur, propriô Joſephi ſtylô profluxit: *Semas, Japetus & Chamas, primi relictis montibus, planiciem habitare cœperunt, & aliis, recentis tum cladis memoriâ pavidis, nec audentibus à celſioribus locis deſcendere, idem faciundo, autores & exemplum fuêre.* Ibid. paulò poſt.

Hoc fucô intricatum fragmentum Sexti Aurelii Victoris expreſſa verba retinuit: *Quidam autem tradunt, terris diluviò coopertis, paſſim in multis diverſarum regionum montibus, ad quos confugerant, conſtitiſſe. Ex quibus quosdam ſedes quærentes, pervectos in Italiam, Aborigines appellatos, Græcâ ſcilicet appellatione, à cacuminibus montium, quæ illis ὄρα ſonant. Alii volunt eos quod errantes eò venerint, primò Aberrigines, poſt mutata una litera, & altera demta, Aborigines cognominatos.* Sext. Aurel. Victor in fragm. de Viris illuſtr. in pr.

Enormissimè prorsus Talmudistæ falsiloqui & mendaces, contra divinas literas, more suô fingunt: *Diluvium non attigisse montem Sion.* Falsiori argumentô probantes, *quod inventum sit ibi post diluvium semen Gigantum, qui Titanes Gigantes procreassent.* Judæor. Talmud.

Quæ vana figmenta ne dicam Theologus & testimoniis divinis instructus, sed unusquisq; naturali ratione præditus, propositâ rerum qualitate facillimô negotiô refellere potuit. Etenim, si velocibus avibus, grandis nimborum torrens, nullum per ardua concessit refugium, multò minùs tardioribus terrestribus. Quamvis insuper confictis eorum Gigantibus altissimus mons eminentiam suppeditâsset, in impetu procellarum fame interiissent. Ac licèt victum de appulsis cadaveribus arripuissent, confluxus tamen aquarum nec somnum nec requiem undiq; apprehensis indulgens, mortem attulisset. *Aqua enim 15. cubitos super omnes montes excelsos stagnavit & 150. dies desæviit.* Gen. 7. v. 19. & 20.

Ast! quid refutatione ex causis Physicis longè opus est? Sacra Scriptura omnia reliqua scripta incomparabiliter exsuperans, generalem interitum exceptis Noachicis, tam in Veteri quàm Novo Testamento sæpiusculè ostendit. Genes. 6. 7. 8. 9. pass. & Luc. cap. 17. v. 27.

Profani etiam Scriptores: *Diluvium illud universale novimestre fuisse totosq; 40. dies depluisse*, asserunt. Præ omnibus Ethnicus Berosus ex multifariorum Gentilium consensu comprobavit, ita inferens: *Omnes Chaldæi & Scythæ, octo saltem homines ex diluvio ereptos fuisse, scribunt.* Plura, si requireretur, tam sacra quàm profana afferri possent argumenta & testimonia, sed in re tam clara supervacaneum foret. Beros. lib. 1. & 2. pass. Vid. & Solin. in Collect. it. Xenoph. in Æquiv.

CAPUT XII.

De Iride.

DEUS Optumus Maximus erga pios perquàm misericors; gratiosâ quamvis liberatione Noachicos exhilarâsset, iisdemq; benedixisset; quinimò de ulteriore diluvio securè præcavisset, pro sua tamen bonitate infinita nondum satisfecisse ratus, pignore adhuc & ostentô Divinô, arcu cœlesti in nubibus positô, sigillatim sese obligare

gare voluit. Ter autem formula: *Dixit DEUS, hoc erit pactum & fœdus meum vobiscum & omni carne*, penes constitutionem Iridis, expresſè pronunciata. Gen. 8. & 9. paſſ.

De hujus arcus vel Iridis formatione diſcretæ proferuntur diſſertationes. 1. An ſit novum DEI productum opus, quod nec in creatione nec ante diluvium ſubſtiterit. Vel 2. an nova ſingularis cujusdam ſpeciei (*admirabilium enim DEI operum quamplurima juxta Syracidem nobis ſunt incognita*) apertura & monſtratio, quæ antea occulta & in nullius ſignum fœderis, ut nonnulli inaniter diſtinguunt, extiterit. Syr. 43. v. 12. usq; 36.

Lucas Oſiander talia diſerta verba adornat: *Iris videtur ante diluvium haudquaquam fuiſſe; Et licet excogitari poſſint Phyſicæ Iridis cauſæ, tamen & illæ ſimul à DEO tunc primùm ita ſunt ordinatæ, ut inde Iris appareat. Lutherus quoq; Iridem poſt diluvium primò fuiſſe ortam & ante illum nunquam fuiſſe ſtatuit.* Luc. Oſiand. & Luth. ad h. l.

Et hæc ſententia probari poteſt inde; quia 1. novum fœdus novô erat ſignô & quaſi ſacramentô confirmandum; novum id autem non fuiſſet, ſi ante diluvium perinde extitiſſet. 2. Perturbatiſſimi afflictorum animi non tam efficaciter erigi, metuq; aliorum diluviorum liberari potuiſſent, ſi hoc ſignum antehac conſimiliter conſpectum foret. 3. DEUS Omnipotens hunc arcum inferens oratione utitur in forma præſentis & futuri: *Hoc ſignum eſto fœderis, quod Ego* נֹתֵן *Nothen, i. e. dans ſive conſtituens ſum inter Me & vos Ego.* ὁ ἐγὼ δίδωμι vertunt LXX. Interpretes. Gen. 9. v. 12. Vid. & Philip. Henr. Fridl. in not. Bibl. ad h. l.

Contrariam ſententiam tuentur Calvinus & ejus ſocii, *Iridem jam æq; ante diluvium, ut tunc poſtea, & nunc usque, fuiſſe* contendentes; *ſed antea non ſignum fœderis.* Lambertus Danæus obſerit: *Non ſatis firmô utuntur fundamentô, qui Iridem novum DEI opus concludunt; nec meliori, quàm ſi quis boves ante ſacrificia lege Moſis præcepta, vel aquam ante baptiſmum non fuiſſe colligat; vel panem & vinum, ante inſtituta à Domino noſtro JESU Chriſto ſacroſanctam cœnam. Illa enim, quæ fuerunt res naturales, tunc primùm à DEO, in ſigna ſacra, nobis conſtituta & data ſunt.* Lambert. Danæus in Phyſic. Chriſt. tr. 2.

His eſt breviſſimis reſpondendum. 1. Boves heic ante ſacrificia planè incongruè inferuntur, quia ab illis ſacrificia deſiſtere, remanere & abeſſe poterant; minimè verò ab Iride ſacramentum *fœ-*

deris, utpote substantiale quid, separari potest, quia ipsa Iris est substantia quantitas & qualitas in se ipsa talis sacramenti quatenus talis. 2. Distinguendum est inter sacramenta confirmatis & confirmandis data. 3. Distinguendum est inter sacramenta mysteriosa salvifica, & inter manifestum illud sacramenti vel divini pignoris momentaneum ostentum, totius posthac terræ parcendæ gratiâ productum. Mysteriosa denominantur, quorum media, per quæ instituta saltem naturalia & cognita; ipsa verò sacramenta penitùs abscondita & fide accipienda sunt. Manifestum autem Iridis ostentum non ita propriè ut priora, sed impropriè quasi sacramentum ad sigillum fœderis vel obligationis appositum æstimandum. 4. Distinguendum est inter sacramenta arcanè consecrata, & inter illud ostensivum & oculorum sensu capiendum; quod propriè ostensiva assecuratio nuncupanda foret. 5. Dinstinguendum est inter superiora sacramenta animabus; & inter illud quatenus tale, corporibus datum, omnium imò animalium & totius mundi gratiâ productum, ut patet Genes. 9. vers. 10. & seq.

Quod alioquin Danæus cœnam Domini, ut signum duntaxat, æstimat; de eo sapientes Orthodoxi Theologi sentiant ac judicent. Si enim sacram cœnam nudum signum σημαντικὸν & significativum statuit, à veritatis cœlestis & S. Scripturæ tramite aberravit: Sin illam signum insimul μεταδοτικὸν & exhibitivum & obsignativum statuit, nihil à veritate alienum protulit.

Urgent præterea Antagonistæ 1. Causas generationis. 2. Hanc consequentiam: *Nisi Iris fuerit ab initio, sequi; DEUM absolutô Hexamerô, novi aliquid procreâsse.*

Ubi iterum haud incommodè responderi potest ad 1. Iridem non opus esse merè Physicum; sed & miraculosum. Non semper enim, quoties rorida nubes soli opposita est, apparet Iris; sed quando liberrimæ DEI voluntati id visum est, quæ ante diluvium hanc apparere noluit. Contra, quandoque fit, etiamsi rorida nubes soli non sit opposita, neque tempestas nec pluviæ proveniunt, ut nihilominus Iris, etiam noctis tempore appareat. Vid. Aristot.

Ad 2. Iris, propriè loquendo, non tam creatura est, quam creatum quippiam; non corpus solidum, sed φαινόμενον: non substantia nova, sed accidens in prædicamentis quantitatis, qualitatis & relationis, pro diverso sui respectu. Quin & nati Christi tempore substantialiter novam stellam creatam esse, non dubitant asserere Doctores probatissimi.

Chri-

Christus tandem benedictissimus in extremo igneo die, Iridi inesse aliquid miraculosum, super conscensam eam adventurus, demonstrat. Vid. Phil. Henr. Fridl. in not. Bibl. ad h. l.

Plures insuper Iridis circumstantiæ & significationes colorum supersunt, quas pertractandas aliis relinquo. Interim fidei, sive affirmentur sive negentur, in suo esse nihil decedit.

Unicum, quod illustravit Augustinus, consideremus: *Licet arcus diversorum sit colorum, principaliter tamen duobus, aquæ scilicet & ignis, quibus mundi interitus insunt, resplendet.* Cui sententiæ & B. Lutherus aliiq; præclari Theologi, licet nonnulli secus interpretentur, adhærent. Augustin. Homil. 2. in Apocalyp. Vid. & Luth. in Gen. 8. & 9. ad h. l.

CAPUT XIII. Extraordinarium.

De Auguriis.

DIvinæ Majestatis opera à perverso Diabolo nunquam intacta & intentata mansêre. Unde proverbium: *Ubi DEUS ecclesiam ædificat, ibidem Satanas fanum adstruere conatur.*

Profanationum idcircò & Idololatriarum genera à vero DEI cultu & religione, quamvis planè per accidens, orta ductaque, obtentui plerumq; & pro forma, nomen ac autoritatem ex sacris assimilantia, magis magisq; in paganismum deinde concreverunt.

Semper (inquit Georgius Hornius) *à condito mundo egit Diabolus, ut DEI gloriam & S. historiæ veritatem, confictis fabulis obscuraret; unde tot Deos & tot Deorum nomina antiquis Ethnicis obtrusit, non aliunde, quàm ex sacris petita. Inprimis creationis historiâ pessimè abusus est; cùm enim in principio cœlum & terram condita sciret, primos Deorum cœlum & terram finxit. De quo Lactantius & Eusebius passim. Unde & ipsa Deorum nomina desumsit: à Schemaim enim Belsamum denominabat. Inde in nequitia progressus cætera quoq; corrumpere cœpit. Cùm enim S. Scriptura addat: terram fuisse Tohu va Bohu, id est, desertam & inanem, utrumq; hoc ad singulares, nescio quos Deos, traduxit.* Georg. Horn. Philos. Hist. lib. 1. in pr. & seq.

Quod DEO Omnipotenti Patrifamiliâs contigit, domesticis quoq; fidelibus haud vacâsse facilè ratu. Unde & B. Lutherus conqueritur: *Ita genus humanum magis magisq; ad Idololatriam descivit,*

servit, Solem, Lunam, & Stellas adorando. Quæ Idololatria procul dubio à vero DEI cultu & adoratione deflexum cæpit. Religiosi enim Patres filios docuerunt: manè, exoriente Sole, preces gratesq́; in DEUM effundere, pro tanti luminis usu, quô non solùm omnia illustrantur, sed etiam nutriuntur & sustentantur. Cæterùm posteri in Idololatriam id verterunt; veluti Chaldæi etiam ignem adorârunt. Luther. Tom. Jen. Germ. in Gen. 10. in fin.

Consimiliter Divo Patriarchæ Noæ auguria & eorum auspicia assignantur. Noam etenim in montibus Ararat, ad statum terræ, rationibus Physicis explorandum, corvum & tres columbas emisisse, antea perceptum. Hoc posteros in paganismum prolapsos, ex mero abusu & idololatria ad sacrum imaginarium augurium profanâsse, à nonnullis traditur.

Plutarchus suppositìtiam Deucalionis personam pro Noa forsan intelligens, scribit: *Columbam ex arca Deucalionis emissam attulisse indicium regressi diluvii, & auguria inchoâsse.* Plutarch. in lib. de industr. animal.

Et procul dubio hinc etiam illud est, quod Herodotus à Sacerdotibus Dodonæis se audisse commemorat: *Duas columbas è Thebis Ægyptiacis venisse, quæ humanâ voce locutæ sint, & oraculorum templa instituere cœperint.* Herod. in Euterp. sive lib. 2. circ. med.

Unde quod Ægyptii statim post diluvium, inter cætera profana, etiam de corvo & columba varias superstitiones dissipaverint, non est dissonum. Ac deinde magis magisq́; pravitate adauctâ, auguria & observationes volucrum divulgaverint, Doctores communiter consentiunt. Vid. Phil. Melanchth. in lib. 1. Chron. Carion. in pr.

CAPUT XIV. Extraordinarium.

De Beroso.

BEros quoque, cùm testimonia ejus multoties subinde allegabuntur, reminiscendum; qui juxta Flavium Josephum patriâ fuit Babylonicus, dignitate verò Chaldæus sive Sacerdos, ut & Diodorus Siculus asserit: *Chaldæi eundem gradum in sua republica obtinent, quem Sacerdotes in Ægypto.* Flav. Joseph. lib. 1. Ant. c. 3. & in libell. contra Appion. Diodor. Sicul. lib. 3.

Fuit igitur Notarius & Scriba publicus, quia penes Sacerdotes solos

solos publica erat fides annalium, & Regum successionum, ut Autor est Metasthenes. Metasth. in libel. de jud. temp.

Quamobrem omnem Chaldaicam defloravit historiam, & tanquam publicæ fidei Notarius, transumsit omnia tempora ac antiquitates, in quibus etiam meminit veri diluvii, nominans Noam & filios ejus. Proptereaq; ipsi ut fidelissimo & publico antiquitatum transscriptori publica fides data est, ut idem Metasthenes cit. loc. Autor est.

Floruit autem Berosus 300. annis ante Christum paulò ante Monarchiam Alexandri Magni.

Græcam calluit linguam perfectissimè, atq; Athenis disciplinas Chaldaicas, Astronomiam præcipuè, in qua cæteros anteibant Chaldæi, professus est. Universæ Græciæ charissimus extitit, adeò, ut, teste Pliniô, Athenienses illi statuam inauratâ linguâ in Gymnasio publico, ob divinas ejus prædictiones, posuerint. Vid. Plin. lib. 7. natural. Hist. Athen. lib. 14.

Chaldaicam & Ebraicam historiam sæpissimè convenire, antea ostensum. Non est igitur mirum, si Moses & Berosus, qui ex eodem historiæ fonte combiberunt, collimenti, appropinquent, consentiantque. Joh. Ann. Viterb. Comment. in Beros. lib. 1. in pr.

Observandum adhuc: Ludovicus Vives licet, Beatus Rhenanus, & forsan alii, de hodierno Beroso, qui cum Annii Viterbiensis Commentariis circumfertur, an illius Berosi, qui vixit ante Alexandrum, cujus statuam Athenienses, Josephô, Pliniô, Senecâ & Athenæô testantibus, auratâ linguâ posuerunt, opus sit, non frustrà ambigant: Istos tamen antiquitatum libellos cum Annii notis non inutilem aut insuavem esse, quin & multis Bibliorum locis, item Diodori Siculi, Dionysii Halicarnassæi & aliorum scriptis, lucem singularem afferre, manifestum. Vid. David Chytr. in lect. hist. in pr. it. Bod. in libel. de ver. hist.

Permagnum quoq; attestatum est Beroso Fl. Josephi Berosiana allegatio, quæ cum Originali concordat. Neque superioribus seculis, tam eruditi, atq; Græcæ & Chaldaicæ linguæ periti, qui in hisce linguis (cujusmodi est textus Originalis Berosi, nimirum Chaldaicus) confabulatores agere potuissent, extiterunt.

Majoris insuper autoritatis ergò inclutissimus JCtus Dionysius Gothofredus inter 27. antiquos Scriptores, ex quibus veteres historias collegit, Berosum antesignanum posuit. Dionys. Gothofred. cit. loc.

Item Münsterus & alii incomparabilis autoritatis Viri, hodiernum superstitem Berosum, insigniter & excellenter commendârunt. Vid. Münster. lib. 3. Geogr. pass.

Probatus quidem Autor Archaicus ingentes corruptiones posthumas perpessus est; vel depravationes ex paganismo collegit; sincera tamen semper & ubiq; veritas irradiat.

Cæterùm, si Berosus unquam corruptionem posthumam (nullus enim Ethnicorum Autorum perfectus) acceperit, in genealogia Nimrodicorum quatenus Babyloniæ residentium, accepisse videtur. Siquidem permultas primæ Monarchiæ mutationes, statim post conditam Babyloniam subsecutas fuisse, certissimum est. Vid. infr. lib. 4 c. 20. de Assur.

Quod ambiguum est in Beroso, venia danda est Gentilitati; gravius aberrârunt alii Græci Latiniq; Autores. Nonnunquam etiam bonus dormitat Homerus. Omnes enim Ethnici in propriis suis genealogiis & primordiis perperàm vagati, ut non mirum, si quis hodiernos libros suppostitios eorum esse, sibi imaginaretur.

Quid de Ethnicis dicam, nostris imò seculis, quam diversos Autores sese exhibuisse, haud satis demirandum. Quàm facillimè ergò antiquus Berosus Nimrodicos falsò pro Assyriis primæ Monarchiæ successoribus inserere potuit,



LIBER

LIBER II.

De

REBUS NOACHICIS POST DILUVIUM,

de ſecunda nimirum hominum generatione, de admirabili auctione & transmigrationibus Gentium, de ſelectis imò memorabilibus ſub Duce & Patriarcha Noa, qui nobis inſtar Adami, ſuſceptis.

CAPUT I.

De nominibus propriis Patronymicis.



Æterùm noſſe prius refert, qualitatem & differentiam populorum nominum: Quæ vel *Patronymica* & innata vel *Acquiſita* & innovata dignoſcuntur.

Patronymica ab antiquiſſimis Patriarchis & Gentium fundatoribus poſteritati relicta celebrantur: ut à Noa omnes denominandi Noachici, à Japheto deſcendunt Japhitæ, à Semo Semitæ, à Chamo Chamitæ, ab Aſſur veniunt Aſſyrii, ab Elam Elamitæ, ab Eber Ebræi, ab Aſcena ſive Tuiſcone die Teutſchen/ & ſic deinceps.

Non admirandâ profectò ſatis conſideratione amplectendum, quomodo Primævorum poſt diluvium nomina haud ſimpliciter, obiter aut incidenter appoſita; ſed omine plerumq; fatali, vel, quod propinquius, divinâ inſpiratione adrogata & adornata; quibus conformiter fermè perſonarum ſucceſſus, progreſſus & eventus reſponderunt. Exempli gratiâ: Japhet importat Auguſtum, dilatatum item convertibilem &c. atq; hujus poſteritas ampliſſima evaſit, ac tandem pars principalis ad veram fidem eſt converſa. Sem, i. e. poſitus, ſancitus, beſtättiget/ vel etiam inſignitus, namhafft/ item conſecratus, eingeheiliget/ beatiſſimam confeſtim benedictionem adeptus. Unde adagium illud à vetuſtate derivatum eſſe, colligitur:

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

Offt bringt ein guter Nam ein gute Art mit sich.

Contra verò anceps nomen Chami, i. e. æstuosi, nigri vel atri, atrum genus & atrocibus sceleribus pollutum reliquit. Quæ appellationes non necessitant; sed inclinant & eventum saltem ominantur. Juxta institutiones verò studia, conatus, & virtutes personarum, etiam sortes diriguntur, ac sæpissimè transmutantur. Sicq; è diverso, contraria identidem personarum gesta, nominum perinde contenta fefellerunt. Hoc fallere idem est, quod alioquin proverbialiter *genium defraudare* dicitur. Vid. Luth. Tom. Jenens. Germ. in Gen. 10. ad h. l.

Ex *Patronymicis* porrò nominibus propriis, etiam *Gentilitia*, quia Gentes eò cognoscuntur, fieri increbescunt. Quæ nonnunquam prout grammaticè vel historicè reciprocantur, propter emergentem confinitatem, & æquipollentiam promiscuè transsumi confundiq; adsolent.

CAPUT II.

De nominibus propriis acquisitis & virtuosis.

Acquisita nomina sunt vel 1. virtuosa, vel 2. transformata, vel 3. imposita. Vel aliis modis, aut ex memoria promeritorum Majorum, aut à regionis accultæ qualitate (quemadmodum Celtiberorum nomen censetur compositum) adaptata.

1. Virtuosa nomina ob virtutes, studia, gesta & mores assumta clarent & adscita. Exempli gratiâ: Chaldæi ab arte Philosophiæ magicæ, & summo apud eosdem philosophandi studio sic nuncupati; genealogicè verò ab Arphaxado propagati. Similiter Scythæ, die Schützen / Sagittarii arcu valentes, ut apud Prophetam definiuntur, bellicosô ita insigniô circumscripti, à Gomero Magog, Mesech aliisq; Patriarchis primævis nativè congenerati. Esa. 66. v. 19.

Scythæ autem ab animositate primitùs Majores nostri audiebant; deinde alii permulti in Europa & Asia cognati Japhitæ ita generaliter denominabantur. Pollent quoq; Vandali, i. e. Wandeler / peregrinantes, inter quos multi olim Europæi (ut æqualiter insigniti reperiuntur) numerabantur.

Duo hæc novissimè relata, latissimèq; sese extendentia nomina, priscæ Germanicæ linguæ sunt, præcipuæq; ad gentes olim nostrates

specta-

spectabant. Quæ nullos parentes originales, nec certam patriam denotantia, populorum solùm copias exercitúsve comprendentia, non Patronymica nec Gentilicia nomina habenda; sed communia potiùs conjunctorum populorum virtuosa insignia definienda sunt.

2. Nomina transformata, quæ & agnomina commodè dicenda, notissima quoq; tam ex Sacris, quàm profanis evadunt, ut: *Janus loco Noæ, Melchisedec loco Semi, Israel loco Jacob, Hercules loco Manni*, & id genus alia.

His transformationibus, Græcos olim nimis abusos fuisse, Fl. Josephus tali conquestu accusat: *Gentium quadam adhuc servant derivatam à suis conditoribus appellationem; quadam & mutaverunt; nonnulla in familiariorem accolis & notiorem sensum sunt versæ Græcis potissimùm talis nomenclaturæ autoribus. Hi enim posterioribus seculis veterum locorum gloriam sibi usurpant, dum gentes nominibus sibi notis insigniunt; dumq; mores proprios, tanquam ad suum jus attineret, in illas invehunt.* Et iterum: *Quos enim Græci Galatas vocant, Gomarenses olim dictos, Gomer condidit. Magoges verò Magogarum à se denominatorum autor fuit, qui ab ipsis Græcis* (sine differentia) *Scythæ vocantur.* Fl. Joseph. lib. 1. Antiq. c. 5. 6. & 7. pass.

3. Nomina imposita devictis plerumq; & inventis populis obtruduntur. Veluti Thracia à Romanis aliquando recuperata, Romania vel Romaniola intimata, ut testatur M. Antonius Sabellicus. Modernis quoq; seculis regiones & incolæ Indiæ Occidentalis ab inventoribus denominantur.

Apparet igitur, identidem mortalibus, & singulis quidem gentibus permulta inservire nomina, quæ hisce rationibus dignoscenda sunt.

CAPUT III.

De nominum populorumq; qualitate.

IN perlustrationibus historiarum, Patronymica nomina exquisitissimè, adhibitis probatissimorum Autorum monumentis, investiganda; quia eò Gentes cognoscuntur. Et, quod præstantissimum in lectionibus Prophetarum ea observare, maximoperè conducit; ubi potissimùm in populorum denominationibus, Patriarcharum nomina, Gentilium locô, reponi solent.

Cætera nomina, quæ ad unumquemq; populum, vel ab iis ipsis vel alienis applicata sunt, magis describendi, quales sint aut fuerint, aut quales conditiones perpessi sint; quam originem denominandi vim obtinent.

Hanc nomenclaturarum differentiam necessariò, tanquam cippum & normam genealogicarum historiarum ritè intelligendarum, præscire refert. Alioquin diffusarum studiosi historiarum lectores enormiter confunderentur; exempli gratiâ: quilibet Scythas, Vandalos, Gallos, Celtas, Galatas, &c. gentes opinaretur realiter differentes, & quaslibet per se vastissimas; atq; iterum Germanos vel Teutones, itidem peculiares; neq; ullâ ratione, nisi præsenti manuductione conciliare posset.

Hæc differentia est dux veræ de mortalibus scientiæ perscrutandæ; ad quam omnes Scriptores spectent, basinq; in eandem habeant jactam. Quem enim, nisi planè historiarum aphilum, fugit, quam latè diffusus sit demographiæ campus, & quàm variis obscuritatum generibus sit refertus? Limites profectò ejusmodi perlustraturus in tanta prolixarum difficultatum copia, haud secus ac in cœna dubia ambigere tenetur, utrum potissimùm aucupetur sequendi modum, in quo intellectûs sui periclitetur vires. Adeò omnia gravia & biviorum plena obversantur.

Unô verbô: hæc differentia filum est illud Ariadnæum, quo dirigente ex Labyrintho illo historiarum, nos expedire perfacilè possumus. Hujus ductu proclivissimè & abundanti cum utilitate, universos penè Autores, quam obscurè & intricatè etiam appareant, dignoscere & intelligere quimus. Sin minus, quò magis quisq; explicabit, eò magis implicabitur, & verissimos autores aut errâsse aut delirâsse putabit.

Tandem repetitu: hæc distinctio totum subsequentem tractationis cursum moderabitur & discursum.

CAPUT IV.

De Noæ post diluvium affictis filiis & de fabulosis Titanibus.

B*Enedixit Deus Noæ* (ut antea citatum) *& filiis ejus, dixitq́ eis: Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Gen. 9. v. 1.

Exinde nonnulli hanc benedictionem etiam Noæ, ad plures post

post diluvium procreandos liberos, contigisse atq; ita evenisse; quoniam verbum DEI non frustrà ad nomen & personam ejus relatum foret, diffundunt.

Verùm heic S. Scriptura, methodô suâ, in connotato Noa tanquam primô parente & fundatore, sive per eum, ad filios ejus (qui totum genus Noachicum) respexit, eosdemq; prosperavit. Haudquaquam enim in Bibliis; Noam post diluvium plures procreâsse liberos, reperiendum. Contrarium potiùs hisce contentis emergit: *Tres isti filii sunt Noa, & ab his disseminatum est omne genus supra universam terram.* Item: *Hæ sunt generationes filiorum Noæ: Sem, Cham & Japhet, natiq; sunt iis filii post diluvium.* Gen. 9. v. 19. & 10. v. 1.

In hunc modum universas genealogias omnium gentium legimus. Quousq; igitur S. Scriptura expressè & decisivè progreditur, examussim sequi, nec ungue lato transgredi debemus.

Scriptum illud Berosi: *Noam post diluvium tres uxores: Titaam juniorem, Pandoram juniorem & Araxam priscam duxisse, plurimosq; liberos partimq; Gigantes genuisse: ex Titaa juniori 17. Titanes; ex Pandora juniori Macrum Japetum juniorem, Prometheum priscum, Tuisconem gigantem, Cranum Thetim, Oceanum, Typhœum: ex Araxa prisca Scytham priscum, à quo Napus & Prutus, &c.* Beros. lib. 2. circ. med.

Istud haud absolutè vel obiter & inconsideratè, ac si propriô concubitu procreâsset, accipiendum, sed per Metalepsin quasi, vel participationem & Antonomasian quandam intelligendum. Per tres enim uxores, tres Noæ, præ omnibus charissimæ, nurus: per filios annotatos electissimi præ cæteris nepotes: per Gigantes sive Titanes singulares Duces & Heroes præfigurantur.

Noa profectò inclinatissimus Philostorgus (veluti etiamnum avis & proavis, nepotes singulari senibus inhærenti affectu propriis liberis chariores esse dicuntur) posteros suos tam intimô amore prosecutus est, eorundemque aliquos tam fideliter, ac si ipsemet procreâsset, adoptavit. Ut & Wolffgangus Lazius hujusmodi sententiam: *Quod Tuiscon ille ipse Ascenas Noæ adoptatus filius fuerit, tandem est amplexus.* Wolffg. Laz. de migr. gent. lib. 1. de Aborig. p. m. 18. lit. B.

Ita Patriarcha Jacob Ephraim & Manassen adoptâsse legitur. Gen. 48. v. 5.

Hinc

Hinc fabulæ: Noam alteras, post diluvium, propriè duxisse uxores, Titanesq; Gigantes progenuisse, supellex desumta.

Quod verò Berosus inter alia Ethnica figmenta: *Patrem Noam, præpediente Chamô filiò, de propagationibus postdiluvianis disturbatum virilitate privatum, venenatumq́; quinimò* (propriis verbis ut utar) *ad ullam deinceps fœmellam fœcundandam prorsus inhabilem & impotentem effectum fuisse,* retulit, de malitiosâ & falsâ Chami suspicione & imaginaria frustraneâ invidiâ, nullatenùs verò de Noæ incestu vel postdiluviano cum proneptibus commisso, propterea q; impedito concubitu præsumendum. Vel Berosus ut Ethnica confusa somnia saltem annotavit, vel ut relata retulit. *Virilitatem* autem *demere,* ex antiquissimis traditionibus, vetustissimam diabolicam magiam esse apparet. Beros. lib. 3. circ. med.

Ubi enim Noa reliquas uxores, nisi summa in senectute neptes proneptesq; illegitimè & abominosè ducendas (multis aliis viris juvenibus ad legitima matrimonia idoneis existentibus) reperisset? Quem incestum ab ipso Noa gravissimè & severissimè reprobatum prohibitumq; fuisse, ipsemet Berosus subinde annotavit: *At verò Cham, cùm publicè corrumperet mortale genus, asserens & reipsa exsequens: congrediendum esse, ut ante diluvium, cum matribus, sororibus, filiabus, masculis, brutis & quovis alio genere. Ob hæc ejectus est à piissimo Jano & castimoniâ & pudicitiâ refertissimo.* Beros. cit. lib. 3. circ. fin.

Aliter Talmudistæ de Titanibus delirant: *Primæva secula plerumq; Gigantes prodidisse, atq; Noam & posteros ejus Gigantes fuisse, qui Titanes procreâssent prope Ægyptum, urbem Titan olim architectatos.* Vid. Luth. in Gen. 10. ad h. l.

Urbis quidem & regionis ejusdem nominis *Tanim* aliàs *Zoan*, tam per textum, quàm per expositores aliquoties in sacris fit mentio. Num. 13. v. 23. Ps. 78. v. 13. Esa. 19. v. 30. it. Ezech. 30. &c.

Sed de Titanæis Gigantibus nec literula quidem Sacris imposita. Brevissimis remonstratu: Titanes Gigantes fuisse vel non, ad postdiluvianam heic Noæ propagationem haudquaquam attinere. Tales quidem ut & alios Gigantes in orbe aliquando terrarum sæviisse, fidei historicæ relinquitur; Noam verò post diluvium ejusmodi procreâsse, nec concedendum, nec credendum. DEO namq; Omnipotenti, neq; formaliter neq; figuraliter, Gigantes hâc in significatione placuerunt.

Melius

Melius etiam hac in parte, respectu Talmudistarum, Gentiles Græci & Latini Poëtæ, Titanes illos cœli i. e. Noæ; & conjugis ejus Titææ adoptatos filios, insignes heroes finxerunt.

Quibusdam verò dissonantibus Titan idem est ac Sol, omnia producens, ut & Poëtæ non rarò Titanem pro ipso Sole accipiunt. Ubi porrò notandum, quod Ethnici de reparatione generis humani & omnium viventium non rectè informati, tantum Soli, quantum S. Scriptura Noæ vel ipsi DEO creatori adscripserunt.

Certissimum contrà viget, Titanes Gigantes, fortes heroes significare, qui adversus falsum Jovem Idololatram cum aliis Semitis & Japhitis animosè pugnârunt eundemq; oppugnârunt. Philippus Nicolai, Titanes ipsos Teutones nostros fuisse fundatores, octo rationibus confirmare præsumsit. De quo posteà evidentiùs. Vid. Philip. Nicol. de reb. Germ. lib. 5. in pr.

CAPUT V.

De Noa encomiis, deq; variis apud Ethnicos appellationibus.

DE encomiis & principalibus Noæ appellationibus longa relatio excerpenda, atque in membra sive partes aliquot discernenda restat.

Venerabilis antiquitatis Notarius Berosus: *Noam primùm Ogygisan Sagan Disir, i. e. illustrem Sacrorum Pontificem celebratum fuisse*, præcipuè aperuit. Beros. lib. 2. in pr.

De Noa Ogyge, i. e. Illustri, & Dysir, i. e. ilice (ut interpretatur Divus Hieronymus) est sciendum, quod ait Petrus Comestor in Genes. 13. & Joseph. lib. 1. Antiq. Jud. Habitavit Abraham circa Hebron juxta ilicem, quæ vocatur Ogygih. De Ogyge prisco tanquam Noa, Berosus, Metasthenes, Xenophon, Fabius Pictor, Cato & Solinus &c. conveniunt. Sed sub ilice Noa, Abraham, aliiq; Justi aliquando convenerunt. Quia *arbores pro templis & Numinibus antiquis erant*, ut etiam consentit Plinius lib. 12. natur. hist. c. 1. Conf. Joh. Ann. Viterb. in Beros. lib. 2. ad h. l. p. m. 14.

Og, Ogenus, Ogyges, Ogmius, priscâ Aramæa linguâ, antiquus vel æstimabilis est. Stephanus Byzantinus. *Ogenus antiquus quidam Deus, unde & Ogenidæ vel Ogenii pro antiquis dicebantur.* Ogyges plures fuêre, quos designavit Carol. Steph. in Lexic. Hist. sub nom. Ogyg.

Sic etiam *Herculem Galli linguâ vernaculâ Ogmium vocârunt.* Lucian. de Hercul. Gallic. p. m. 164.

Multoties proinde in aliis gentilibus scriptis *Ogyges priscus vel primus* insignitus comprehenditur. *Ogygen alii ab* οἴγω *vel* ὤγω *aperiens &* γένος *janua, quia generi humano januam aperuit,* ut David Chytræus deduxit. Similiter in antiquissimo Nini Assyriorum Regis epitaphio Xenophon hæc verba: *Atavus Cælus Phœnix Ogyges* (qui nullus alius nisi Noa) *incisa fuisse* scribit. David. Chytr. in Gen. ad h. l. Xenoph. in libel de æquiv. in pr.

Prædictus Autor Berosus ita continuavit: *Senissimus omnium pater Noa jam antea edoctos Theologiam & sacros ritus, cæpit etiam eos erudire humanam sapientiam. Et quidem multa naturalium rerum secreta mandavit literis, quæ solis Sacerdotibus Scythæ Armeni commendat. Neq; enim fas est, illa ulli inspicere aut legere vel docere, quam solis Sacerdotibus & inter Sacerdotes duntaxat; sicut & quos rituales libros reliquit, ex quibus illis primùm Saga nomen fuit inditum, quod est Sacerdos & Sacrificulus & Pontifex. Docuit idem illos astrorum cursus, & distinxit annos ad cursum Solis, & 12. Menses ad motum Lunæ. Quâ scientiâ prædicabat illis ab initio, quid in anno & cardinibus ejus futurum contingeret. Ob quæ illum existimabant divinæ naturæ esse participem; ac propterea illum Olybama & Arsa, i.e. Cælum & Solem cognominaverunt; & illi plures civitates dedicaverunt. Nam & ad hæc tempora Scythæ Armeni urbes habent Olybama & Arsa-Ratha, & ejuscemodi. Cùmq; ivisset ad regendam Kitim, i.e. Italiam, desiderium sui reliquit Armenis; ac propterea post mortem illum arbitrati sunt in animam cælestium corporum translatum. Et illi divinos honores impenderunt. Ob id simul cognominaverunt Cælum, Solem, Chaos, semen mundi, Patrem Deorum majorum & minorum, animam mundi moventem Cælos, & mixta & vegetabilia, animalia & hominem, Deum pacis, justitiæ & sanctimoniæ, expellentem noxia & custodientem bona. Et ob hæc gentes illum signant cursu Solis & motu Lunæ, & sceptro dominii, quo malos & noxios expellat, atq; duabus clavibus religionis & felicitatis.*

Neq; minus Titaam, quæ mater omnium erat, Aretiam, id est, terram vocabant, post mortem verò Vestam, id est, ignem cognominaverunt; quia ipsa Regina sacrorum fuerat, & puellas docuerat sempiternum ignem sacrorum inextinctum servare. Berof. lib. 3. circ. med. & seqq.

Noa

Noa quoq; Liber Pater, Bacchus ſive Dionyſius vel Dionyſus cognominatus redhibetur, atteſtante Zeze his verſibus;

Ἥφαιστός τις Αἰγύπτιος ἐν χρόνοις τοῖς τοῦ Νῶε
(ὃς Νῶε Διόνυσος καὶ Ὄσιρις καλεῖται)
ἐφεῦρε πῦρ καὶ τέχνας δὲ τῶν ἐκ πυρὸς ὁπόσας.

Id eſt:

Vulcanus quidam Ægyptius temporibus Noæ
(Qui Noe & Dionyſus & Oſiris vocatur.)
Invenit ignem & artes ex igne quot ſunt.

Zezes Chiliad. 10. hiſt. 335. allegat Natal. Comit. edit. Hanov. 1619. lib. 2. Mythol. c. 6. p. m. 148.

Dionyſii res geſtas conſcripſit Diodorus: Paulus Oroſius: item Perimander, qui Pegaſum Eleutherienſem Primum, Liberi Patris religionem Athenienſibus tradidiſſe, aſſeruit. Fama quoq; eſt: hunc in Nyſa Arabiæ Felicis civitate imperâſſe, multaq; humano generi utilia inveniſſe; nam præter vinum & mellis conficiendi rationem ſacrificiorum ritus quoq; inveniſſe dicitur, ut ſcripſit Ovidius:

Ante tuos ortûs, aræ ſine honore fuerunt,
Liber!

Diodor. lib. 5. Paul Oroſ. lib. 1. Perimander lib. 2. de ſacrif. ritib. ap. var. Gent. Ovid. lib. 3. Faſtor. Omnes allegat. à Nat. Com. lib. 5. Mythol. c. 13. de Bacch. p. m. 488.

Orpheus Θεσμοφόρον Legislatorem appellavit; quia, quum ab Indica expeditione, in patriam poſt trecennium revertiſſet, domeſticorum, & eorum, quibus regnum commiſerat, perfidiam expertus, elatos jam ſceleratorum animos inſolentia legum infregit, hoſtesq; profligavit, & res imperii in meliorem ſtatum, quàm antea fuerant, perduxit. Orph. in Hymn.

Euripides in Bacchicis, omnium prope eorum; quæ humano generi inventa fuerant; utiliſſimum, vinum putavit: quum, *oblivionem omnium malorum, & ſomni autorem, & triſtitiæ ſolatium, Bacchum inveniſſe*, dicit Eurip. cit. loc.

Ajunt: non vinum ſolùm à Dionyſio inventum fuiſſe, ſed etiam potum ex hordeo, Zythum vocatum; qui parum differt ſapore à vino. Quem docuit eas nationes, quarum regio non eſt vitium patiens. Natal. Comes cit. loc. p. 510.

Bacchum quoq; Muſarum Comitem cenſuerunt, qui ſimul mortales aſtrorum curſum & navigationem docuit. Sub quo regnante

Phœnices navigationem atq; aſtrorum cognitionem inaugurarunt, ut teſtatur Dionyſius:

Τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ ἐρυθραῖοι γεγάασιν
οἱ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο,
καὶ βαθὺν οὐρανίων ἄστρων πόρον ἐφράσαντο.

Id eſt:

Qui Rubrum coluêre fretum, genus inde virorum,
Qui primi ſprevére maris ventoſq́ minasq́;
Primi ſunt auſi merces committere Ponto;
Et cæli curſus ſervare & ſidera mundi.

Dionyſ. de ſit. orb. alleg. à Natal. Comit. cit. loc. p. m. 494.

Supra, Noam etiam Solem repræſentâſſe, perceptum; æquiparantes, Dionyſium quoq; per Solem circumſcripſerunt, & Cererem per Lunam.

Orpheus inſinuat:

Πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε Διόνυσος δ' ἐπεκλήθη
οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν Ὄλυμπον.

Id eſt:

Primus it in lucem, ac Dionyſus dicitur, idem
Immenſum circa Cælum, quod volvitur altè.

Orph. in Hymn.

Solem & Dionyſum, metonymicè eundem eſſe, apertiùs carmen ejuſdem Poëtæ indigitat:

Ἥλιος ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσι.

Id eſt:

Sol clarus, Dionyſum quem cognomine dicunt.

Orph.

Et Eumolpus accinuit:

Ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν.

Id eſt:

Flammiferos inter radios Dionyſus Olympi.

Sic etiam Virgilius:

— — Vos O clariſſima mundi
Lumina! labentem Cælo qui ducitis annum,
Liber & alma Ceres!

Virgil. lib. 1. Georg.

Baccho

Baccho proinde ſive Dionyſio nebridis pellem geſtamen tribuerunt; ob varietatem ſtellarum. Ad Solis igitur motûs imitationem per tripudia coluerunt; ſignificantes, aſſiduè vapores è terra extrahi, rurſumq; attolli; ex quibus deorſum poſtea, per imbres delatos, omnia genera plantarum & animalium aluntur.

Quum hîc de omnibus nationibus benemeritus orbemq; terrarum docendo illa, quæ ſciebat, peragrâſſet, ac demonſtrâſſet ſationem frumenti, & hordei, & cultum vitium; divinos honores aſſecutus. Illuſtri conſilio Ægyptum depravatam reſtituiſſe dicitur: Eò profectus, domi ſummam rerum tradidit uxori, cui Conſultorem reliquit Mercurium: Summum belli Imperatorem reliquit Herculem, celebrem ob vires corporis & affinitate conjunctum; tandemq; Ægypti Præſidem conſtituit. Prometheo ſecundum ab Hercule locum dedit.

Bacchus inſuper, ſumto ex agricolis mulieribusq; exercitu, ad Indos & intima Aſiæ loca penetravit. Deinde ad primum Oceani littus, in montibus Indiæ, non procul à Gange fluvio, columnas duas erexit. Tanquam ultimas, hominibus pervias oras ſuperâſſet. De quibus columnis ſcripſit Dionyſius Græcus Poëta:

— — — Διονύσου
ἑστᾶσιν πυμάτοιο παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο
Ἰνδῶν ὑστατίοισιν ἐν οὔρεσιν ἔνθά τε Γάγγης
λευκὸν ὕδωρ Νυσαῖον ἐπὶ πλαταμῶνα κυλίνδει.

Id eſt:

— — — Dionyſi ſc. columnas
Monſtrat ad Oceanum atq; extremi littora ponti
Montibus Indorum, quà vaſto gurgite Ganges
In mare ſe volvit, Nyſſæam impellit ad undam.

Dionyſ. de ſit. orb.

Natalis Comes, ſine citato Autore, ita refert: Bacchus primùm per Æthiopiam iter fecit; deinde per Arabiam apud mare Erythræum ad Indos usque, & extremos fines continentis; ubi multas urbes condidit; & Nyſan inprimis, ubi hederam plantavit, quod eſſet indicium ejus peregrinationis. Columnas erexit ubique, ad profectionis terminorum memoriam. Mox venit in Helleſpontum & Europam ac Thraciam. De his omnibus conf. Nat. Com. lib. 5. Mythol. c. 15. de Baccho.

CAPUT VI.

De Noa, quatenus Chaos dictus.

APprimè iterum evincit Berosus: Noam à Gentilibus primitùs cognominatum fuisse Chaos. Similiter Hesiodus & Ovidius post descriptum Chaos, illicò Japeti, confusè ac obscurè licet, nominetenus tamen, mentionem intulerunt. Beros. pass. Hesiod. in Theogon. in pr. Ovid. lib. 1. Metamorph. in pr.

Chaos autem propriè quid sit, neminem ignorare puto. Primum scilicet (ipso explicante Hesiodo) immensum illud, infinitum ac ineffabile glomus, universarum rerum materia; Cœli terræq; ac omnium elementorum permixtum atque confusum elementum. Quod, juxta Ethnicorum concepta, in suas species primitùs distributum fuit, ita: ut levissima corpora, stellæ & igneus æther supremum locum; ab istis infra aër lucidus proximiorem sibi sedem vendicârint: gravissima autem terra & aqua in imam partem subsederint.

Sic etiam Festus ex Hesiodo collegit: *Chaos appellârunt omnium rerum primum, primam naturam hiantem, immensum illud spatium; ubi quatuor elementa mixta & intricata fuerunt, ex vetusto verbo χαίνειν, i. e. hiare, latè patescere. Unde Græci & Latini Chaos dixerunt; à quo postea, detractâ aspiratione, Janus, qui omnium primus habetur, cui primùm supplicabant veluti parenti, à quo omnium factum putabant initium.* Festus.

Hoc errore ulterius progressi Gentiles, creationis antediluvianæ inscii, Noam cum Chao comparatum, omnium primùm existimabant, vel per figuram quandam ita insigniverunt. Inprimis huic opinioni conducit, Berosi expressam de Noa relationem reiterare: *Et cognominaverunt eum Cælum, Solem, Chaos, semen mundi, Patrem Deorum majorum & minorum, animam mundi, moventem cælos & mixta & vegetabilia.* Beros. cit. loc.

Ad quæ Johannes Annius Viterbiensis ita connotavit: *Noæ primum cognomentum fuit Chaos, qui & ob similitudinem Janus dictus, & semen mundi, penes quem cuncta recondita & custodita fuerunt.* Joh. Ann. Viterb. ad h. l.

Sic etiam Ovidius, Jani sui bicipitis Chaosq; prænominati simulacrum, per Prosopopœiam quandam, alloquitur. Quam allocutionem & descriptionem Berosianæ relationis ferè similem, cum notis suis, ut in vetusto exemplari inveni, appositurus sum.

Jane

Jane biceps! anni tacitè labentis origo!
Solus de Superis, qui tua terga vides.
Dexter ades Ducibus, quorum secura labore
Ocia terra ferax, ocia pontus habet.

id est, agriculturæ & navigationis Ducibus, quorum labore terra pontusq; ocia secura obtinent.

Quem tamen esse Deum, te dicam Jane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia Numen habet.
Ede simul causam, cur de Cœlestibus unus
Idq; quod à tergo est, idq; quod ante vides?
Tum Sacer ancipiti mirandus imagine Janus,
Bina repente oculis obtulit ora meis.
Ille tenens baculum dextrâ, clavemq; sinistrâ
Edidit hos nobis, ore priore, sonos:
Me CHAOS antiqui, nam sum res prisca, vocabant,
Accipe, quàm longi temporis acta canam:
Lucidus hic aër, & quæ tria corpora restant,
Ignis, aqua, tellus, unus acervus erant.
Flamma petit cœlum, proprior locus aëra cepit,
Sederunt medio terra fretumq; loco.
Tunc ego, qui fueram globus & sine imagine moles
In faciem redii, membraq; digna Deo.
Nunc ego. Confusæ quoniam nota pura figuræ est.
Ante, quod est in me, postq; videtur idem.

(Quoniam confusæ illius sive elementariæ figuræ nota adhuc pura superest, omne quod in me est, perspicuum apparet.)

Accipe quæsitæ, quæ causa sit altera formæ,
Hanc simul ut nôris, officiumq; meum.

(Quæ altera causa sit quæsitæ formæ, i. e. baculi & clavis.)

Me penes est unum vasti custodia mundi,
Et jus vertendi cardinis omne meum.
Cùm libuit pacem placidis emittere tectis,
Libera per tutas ambulat ista vias.
Sanguine lethiferô totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidæ condita bella seræ.

Jani templum pacis tempore rigidis & firmissimis seris claudebatur; belli verò tempestate apertè patebat.

Præs-

Præsideo foribus cœli, cum mitibus horis,
Et redit officio Jupiter itq; meo.
Inde vocor JANUS.

Ovid. lib. 1. Fast. fer. per tot.

CAPUT VII.

De Noa, quatenus Janus dictus.

NOa prius quidem appellationem CHAOS sortitus, communiter verò JANUS absolutè continuatus est; atq; ille ipse statuitur, qui propter Europæas & Italicas plagas sæpiusculè frequentatas, antiquissimus Italiæ Rex celebratus, Primum Saturnum à Jove fugatum ibidemq; classe appulsum, seculô post diluvium tertiô suscepisse traditur.

Hos ambos, Janum & Saturnum, agri colendi rationem instituisse, unanimesq; imperantes duo oppida Janiculum & Saturniam condidisse ferunt.

Considerabile hâc historiâ exemplum ante oculos demonstratur. Primus Saturnus, qui pro Chamo impio Noæ filio habetur, ex ultione divina & jure talionis ab irreligioso Jove filio fugatus exilioq; mulctatus, ad patrem antea lacessitum, non irascentem tamen, sed ultrò reconciliatum, & acceptæ injuriæ quasi immemorem refugisse fertur. Bonitas igitur istius temporis sive aurei seculi, non (ut quibusdam visum) Saturno; sed Jano aliisq; antiquæ sinceritatis Viris adscribenda. Vid. Beros. lib. 5. pass. It. Q. Fab. Pict. in libell. de aur. sec. in pr.

Aureô seculô postdiluvianô Janum priscum in Italia versatum, primùm templa ritusq; sacrorum instituisse, propterea q; in sacrificiis prælationem meruisse perpetuam; æs quoque signâsse & monetam, in cujus uno latere figura navis, in altero biceps Jani imago visebatur, cudisse, Autores sunt. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 8. 9. & 19. pass. Sext. Aurel. Vict. &. Q. Fab. Pictor. divers. loc.

Noam imò, sive Janum priscum, qui Deus agriculturæ & nautarum olim Præses colebatur, inventionem navigandi præmonstrâsse, item agriculturam & vini plantationem instaurâsse, admodum verisimile est. Mythici referunt, regnante Janô omnes domos religione & sanctitate fuisse munitas. De aureo seculo vide Q. Fabium Pictorem, ac præcipuè Ovidium, unde & illud subsequens desumtum:

Multa

Multa quidem didici, sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps?
Noscere me duplici posses ut imagine dixi,
Ni vetus hæc ipsum extenuâsset opus.
Causa ratis superest, Thuscum rate venit in amnem
Ante pererrato Falcifer orbe Deus.
Hunc ego Saturnum memini tellure receptum,
Cælitibus regnis à Jove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen;
Dicta simul Latium terra latente Deo.
At bona posteritas puppim formavit in ære
Hospitis adventum testificata Dei
Ipse solum colui; cujus placidissima lævum
Radit arenosi Tibridis unda latus.
Heic ubi nunc Roma est, tunc ardua sylva virebat:
Tantaq; res paucis pastua bobus erat.
Arx mea collis erat, quem vulgus nomine nostro
Nuncupat hæc ætas, Janiculumq; vocat.
Tunc ego regnabam, patiens cùm terra Deorum
Esset, & humanis Numina mixta locis.
Nondum justitiam facinus mortale fugârat,
Ultima de Superis illa reliquit humum.
Proq; metu populum sine vi, pudor ipse regebat;
Nullus erat justis reddere justa labor.
Nil mihi cum bello, pacem postesq; tuebar,
Et, clavem ostendens, hæc (ait) arma gero.

Ovid. lib. 1. Fast. in pr.

Priscum illum Romani Janum omnibus foribus, quæ ideò januæ dictæ, præesse crediderunt; unde Clavigerum ipsum vocârunt, divinosq; ei honores, & introitus & exitus ædium (qui hodiè vero Deo consecrari solent) decreverunt.

CAPUT VIII.

De diversis Jani Etymologiis.

I.

VErisimillima Jani Etymologia ex vetusto verbo χαίνειν, i.e. hiare, latè patescere, unde Græci & Latini Chaos, & detractâ adspi-

ratione Janus derivârunt, anteriore justô & competenti ordine jamdum explanata superstat.

2. Huc accedit, quod nonnulli Viri eruditi Noam appellationem Jani, ob beneficium inventi vini, adeptum fuisse opinantur. Orientalibus enim יין Jajin vinum est, à quo Janus, qui Græcè οἰνότριος, Latinè Vitifer exponitur. Quidam Catonem adducunt proferentem: *Janum Oenotrium dictum existimant, qui invenit vinum & far.* Unde & Münsterus: *Consentiunt in hoc omnes veteres Scriptores, Janum, qui & Ogyges dictus, eô tempore venisse in Italiam, quando mundus adhuc fuit aureus, & homines justi. Ipse docuit homines plantare vinū & frumentum, deq; iis oblationes facere, atq; salubre inde vivere.* Cæterùm Noam vini inventorem esse, non est ita extensivè, ac si de novo invenisset, sed quod reparaverit, intelligendum. Vitem enim stirpem nobilissimam, procul dubio, DEUS, juxta cum aliis arboribus, fruticibus & plantis, in prima creatione produxit. Atque Evangelista, *antediluvianos frequenter epulatos fuisse,* animadvertit, quod omninò nimio vini abusu contigisse, colligendum. Ut igitur reliquarum plantarum usus non fuit ante diluvium ignotus, ita nec vitium. Noa ergò vini cultum & usum non invenit, sed restauravit. Atqui hujus plantationem in prima saltem agricultura propter paucitatem adhuc operariorum & hortulanorum inchoavit modò & aggressus est; deinde verò graviora doctrinæ negotia curavit. Vid. Beros. lib. 3. pass. Caton. de Abb orig. Münst. lib. 2. Cosm. Luc. Evang. 17. v. 27.

3. Isidorus, *Janum quasi mundi & cœli januam, vel, quod post mortem inter Deos relatus, Superiorum & Inferiorum Janitor extiterit,* hariolatus est. Isid. lib. 8. c. 10.

4. Quidam, annorum & temporis Janitorem & Præsidem, exinde collegerunt, quod abs eo prima pars anni nominetur. *Januarium enim mensem anni primùm ab originali Principe Jano appellatum esse,* ait Varro. Ac Isidorus superiori suo libro præfatus: *Januarius mensis à Jano dictus, cui fuit à priscis consecratus, vel quia limes & janua ab eo sit nominata; quapropter mensem illum etiam Junonium epitheto decantatum, quasi Calendarum Principem, (Calendæ enim Junoni dicatæ) ferunt.* Relata jam partim intricata sunt, veraq; falsis permixta; Januarium mensem à Patriarcha Jano sortitum esse verissimum perhibetur. Sed omnes hi errant, qui inversô etymô Janum à januis derivant, vice versâ, probabilius accedit. Vid. Varr. lib. 5. de ling. Lat. it. Isid. lib. 5. c. 32.

5. Non-

5. Nonnulli Janum eundem esse putârunt cum Sole. Alii Noam sive Janum priscum cum conjuge, eosdem atq; Apollinem & Dianam sibi persuaserunt.

6. Alii deniq; Janum quasi Eanum, id est, orbem intellexerunt, ab eundo, hâc ratione, quod mundus semper eat, dum in orbem revolvatur, & ex se initium faciens, in se revertatur. Vid. Cic. lib. 1. de natura Deor.

CAPUT IX.

De Jano Bifronte.

1.

VEtustissimum illum Ethnicorum Janum, Noam extitisse, rectè statuentes, duplicem ei assignant faciem, tanquam respicienti mundum aquis submersum & concernenti postdiluvianum, qui denuò propagari cœperat.

2. Poëtæ pellucidos Jani vultûs ad relicta perspicui olim elementarii Numinis indicia repræsentanda; vel ad serenissimum aurei seculi postdiluviani emblema effigiandum, ita æquiparârunt. Veluti ipse Janus apud Ovidium professus:

Nunc ego confusæ quoniam nota pura figura est
Ante quod est in me, postq; videtur idem.

Ovid. lib. 1. Fast. in pr.

3. Alii typicè vel tropicè, ad sapientis prudentisque Principis, qualis Janus æstimatus, insignium præfigurandum, cujus est, ante retròq; providere, & tam præterita quàm futura cognoscere.

4. Reperiuntur, qui Janum Præsidem portarum, imò cœlestium ædium habent, geminamq; ei assignant faciem, quò introitus & exitus tueatur.

5. Iterum dicunt: Romulum cum Tatio Sabinorum Duce fœdus pepigisse, Janoq; templum & statuam, cum duabus faciebus, ædificâsse, quò unitum simulacrum, duorum Regum unionem, conformitatem & conjunctionem sempiternam ostendat. Anno post diluvium 1600.

6. Qui Deum pacis statuunt, volunt, quod duplici suâ facie ituros ad bellum admoneat, ut & de pace recogitare debeant; vel verisimiliori ratione, quod ad prælium proficiscentes reversionem optent.

7. Duas Jano fingunt formas, qui anni eum Autorem habent; eò, quod annus fini appropinquans ex se rursus prospiciat, & initium faciat.

8. Similiter, qui Solem inde intelligunt, propter Orientem & Occidentem. Haud secùs qui Dominum diei volunt, propter ortum & occasum.

9. Nonnulli denique beatæ mortis & resurrectionis typum, & miseriæ nostræ solatium allegoricè inde formant, depingunt, assimulant. Mors enim beatorum optatissima, fronte utraq; hilari, finis est hujus ærumnosæ, & initium vitæ alterius suavissimæ.

CAPUT X.

De Jano Quadrifronte.

PRiscus autem Janus non solùm bifrons, sed etiam quadrifrons reperitur effigiatus. De priori multiplices suggestæ sunt opiniones; nunc de altero: quem antiqui insimul Vertumnum nuncupârunt, ac singularibus rationibus quadrifrontem composuerunt, sicq; duplicem iterum duplicârunt Janum.

1. Janus cum indigesto Chao comparatus quadriformis fingitur ob quatuor elementa.

2. Quadruplici reformatur vultu, anni Autor, Præses & Patronus celebratus; propter quatuor anni tempora.

3. Idem ac Sol æquiparatus ob quatuor mundi cardines, quos Sol lumen orbis ambiens, collustrat. Vid. Matth. Martin. Lexic. Philol. de Jan.

CAPUT XI.

De Jani Templo.

TEmplum Jani erat Romæ ad infimum Argiletum, quod à Numa Pompilio Romuli successore structum fertur. Alii verò remonstrant: Romulô contra Tatium Regem Sabinorum pugnante, cùm jam propè vinceretur, eô locô, quô subinde statim in honorem Jani templum ædificabatur, fervidam aquam, Sabinorum quæ fugavit exercitum, erupisse.

Hinc consuetudo tracta, ut pugnaturi, tempore conflictûs, templum tunc primùm constitutum amodò aperirent, ad spem pristini auxilii. De quo carmen Ovidii, ut reperi, adjiciam.

Janus

— — Janus retulit arma Tatî,
Utq; levis custos armillis capta, Sabinos
Ad summæ tacitos duxerit arcis iter.
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit:
Arduus in valles per fora clivus erat.
Et jam contigerat portam; Saturnia cujus
Demserat appositas insidiosa seras.

Inde, id est, ex Capitolio arduus clivus & subitaneus meatus in valles erat subjacentes; in quibus subhabitans Saturnia tribus, Romanis invidiosa, seras de porta demserat.

Cum tanto veritus committere Numine pugnam,
Ipse mea movi callidus artis opus,
Oraq; qua pollens ope sum, fontana reclusi
Sumq; repentinas ejaculatus aquas.

Ipse, inquit Janus, abhorrui cum tanto Numine & robore pugnam committere, ideò calliditatem inveni, sacros abditosq; fontes aperui & fervidas aquas emisi.

Ante tamen madidis subjeci sulphura venis,
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter,
Cujus ut utilitas, pulsis comperta Sabinis,
Quæ fuerat tuto reddita forma loco est.
Ara mihi posita, parvo conjuncta Sacello,
Hæc adolet flammis cum strue farra suis.

Hæc ara consumit & comburit flammis suis, farra cum strue, i. e. vilissima oblata. Talis fuit Jani templi conditio, quod belli tempore parebat, pacis verò claudebatur; unde Janus Patulcius & Clusius cognominabatur. De quo iterum sæpè allegatus Poëta continuat:

Nomina ridebis, modò namq; Patulcius idem
Et modò, sacrifico Clusius ore vocor.
At cur pace lates, Martisq; recluderis armis?
Nec mora, quærenti reddita causa mihi est:
Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet demtâ janua nostra serâ.
Pace fores obdo, ne pax discedere possit.

Vid. Ovid. lib. 1. Fast. per tot.

Huic etiam Virgilius parili fermè sonô accinuit:

Aspera tum positis mitescent secula bellis
Tunc clausô Jani templo pax fiet in orbe.

Vid. Virg. & Serv. diverf. loc.

Constat, hoc templum ter fuisse clausum: 1. Regnante Numa. 2. Post bellum Punicum secundum. 3. Post bella Actiaca, quæ Augustus confecit, quô tempore pax fuit per totum orbem, & Christus Salvator natus est.

CAPUT XII.

De amplissimo Jani foro.

JAnus etiam erat Romæ egregii & latepatentis nomen fori; quoniam ibi Jani simulacra visebantur. Duo autem Jani erant ad Arcam Fabianam, spaciosè & speciosè transpositi, atque (ut ait Victor) incrustati, & adornati signis, Superior & Inferior; ubi in meditullio, celebre tribunal ad mercatorum fœneratorum conventiculum institutum.

Apparet etiam illud, inter duos Janos, spacium residuum perinde Janum vocatum fuisse Medium. In fori enim Jani dicti platea, sacellum cum simulacro Jani positum fuisse legimus, & è transverso alium stetisse Janum. Itaq; Cornutus ad Polæmon: *Jani templum in clivo Capitolino vetustissimum vidimus crustatis marmoreis & Pariis columnis. Quia verò in ejus clivi summitate Janus Summus & in imitate ejus Imus conspicitur, spacium interjacens similiter Medius Janus dicitur. Ubi Puteal & fœneratorum tribunal.* Quod & ex hoc Ciceronis colligitur: *A quibusdam Viris ad Medium Janum sedentibus judicatum est.* Ergò inquit Hieronymus Magius: *In tanta vetustatis caligine censuerim: Janum à Cicerone & Horatio Medium dici, quod duos inter Janos forum consecratum consisteret; ubi tanquam ad celebrem, & naturâ loci commodam, Basilicam, & fœneratores & mercatores convenire solebant.* Vid. Cic. lib. 2. Off. Horat. lib. 2. Sat. 3. Hieron. Mag. Miscell. lib. 12. cap. 12.

Sic etiam Ovidius anxium debitorem celeres Calendas, i. e. tempus solvendi, quod semper celer videtur, timentem ita subinfert:

Qui Puteal Janumq; timet celeresq; Calendas,
Torqueat hunc æris mutua summa sui.

Ovid. cit. loc.

Cui etiam Horatius accinuit:

— — *Postquam res mea Janum*
Ad Medium fracta est, aliena negocia curo.

Pro-

Proverbium quoq; inde erupit: *Hoc personat Janus Summus ad Imum*, id est, notorium & communissimum circumfertur. Sic etiam idem Horatius de corrupto seculo conquestus:

O cives, cives! quærenda pecunia primùm est,
Virtus post nummos. Hoc Janus Summus ad Imum
Perdocet.

Horat. epist. lib. 1. epist. 1.

Prope horum Janorum alterutrum erat *porta Carmenta, Carmentis vel Carmentalis* dicta, aliàs scelerata porta appellata; per quam transire nefas ac infaustum superstitiosè putabatur. Quoniam trecenti & sex Fabii eò transgressi, apud Cremeras ex insidiis Vejorum cæsi omnes fuerunt, ut familia penitùs extincta foret, nî unus, qui per ætatem arma ferre non poterat, Romæ relictus eam denuò propagâsset. *Infelici enim viâ è dextro Jano porta Carmentis* (juxta Livium) *profecti.* Liv. lib. 2.

Unde porrò Ovidius:

Carmentis porta dextro est via proxima Jano.
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
Illac, fama refert, Fabios exisse trecentos.
Porta vacat culpâ, sed tamen omen habet.

Ovid. lib. 2. Fast. circ. med.

CAPUT XIII.

De Homonymia, æquivocatione & abusu Janorum.

Cana alioquin Scriptorum fides, plures claruisse Janos ut & Ogyges, sed antiquissimum Noam excelluisse refert; cujus iterum nepos *Javan, Jaon, Javanus* contractè *Janus*, Græcorum ille, Cilicum & aliarum Gentium Patriarcha, ut suâ serie redintegrè declarabitur, consors ejusdem nominis evasit. Reliqui autem posteriores Jani in minore claritudine transivêre. Quorum particeps *Janus iste socer Atlantis Itali, cui cognomen Camboblascon & Coritus fuit,* ut iterum præbuit Beros. lib. 5. circ. med.

Insimulq; supplementum Manethonis relictum non abludere videtur: *Martem Italum cognomentò Janum juniorem regnâsse apud Aborigines annô 32. regni Zethi Ægyptiorum Regis* post diluvium 970. ante Trojæ excidium 162. Maneth. in suppl. ad Beros. sub gest. Zeth. vid. & Euseb. in Chron.

Æqui-

Æquivocatio ergò Jani & temporum ignoratio multos in hisce gestis Scriptores decepit. Verùm antiquissimus Janus est Noa, qui primitùs apud Gentiles ob antiquitatem Chaos appellatus, ut ipse Janus apud Ovidium de se ipso vaticinans, ex umbris quasi revocatus, introducitur.

Me Chaos antiqui, nam sum res prisca, vocabant.

Ovid. lib. 1. Fast. in pr.

Domitianus Imperator suô tempore, plures Janos, arcusque, cum quadrigis, ita dictos exstruxit. De quibus Marcellinus Donatus ita annotavit: *Nos autem arbitramur per Janos intelligendos esse portas illas magnas, quæ in viarum capitibus exstrui solebant, ab antiquis Romanis, vulgò Portoni dicti. Has pervias transitiones, etiam Janos appellatos, quasi januas, dixeris. Dion in Nerva* ἀψῖδας *appellavit, i.e. fornices,* Schwibbögen. Marcellin. Donat. ad illud Sueton. in Domitian. c. 13.

Poëtæ quoq; hodierno die sæpè Janus pro Johannes ponunt, quod non est Latinum Janus, sed Gallicum sive Germanicum Jan contractum. Ita autem contrahere solet vulgus Belgicum; sed non placet illa nominis Augusti corruptio in Latino sermone. Vid. Matth. Martin. Lex. Philol. Item Christian. Becman. manuduct. ad Latin. ling. sub nom. Johan. p. m. 436.

CAPUT XIV. Extraordinarium.
De CISIO JANO.

DE CISIOJANO quoad ὅτι vel noëma simplex sive notionem primam Scriptores hodierni (& quidem perpauci) mentionem attulerunt scrupulosam & nodosam. Quoad τὸ ὅτι verò sive notionem secundam, ut Dialectici loquuntur, altum prorsus silentium agentes stylum compescuerunt.

Quantum conjicere & consimilibus adducere licet, per ambages etiam portus nonnunquam pertingi potest.

Versus Cisiojanus dicitur, qui ex mera βραχυεπεία, i. e. abbreviatura vel syncope, apocope, pericope & elisione inter se reciprocis ac reduplicatis tam sententiarum quàm verborum coalescit; ubi & insimul Isogrammata quædam coacta redundant, & Chirometria singularis coincidit.

Percogniti sunt alioquin, penes omnes fermè disciplinas & artes, versus illi vulgares, triviales, memoriales ab antiquis Scholasticis, Mani-

Manilio, Philippo Melanchthone, Joh. Rhenio & aliis compendiosè insigniti; ut de septem liberalibus artibus: Grammaticâ, Dialecticâ, Rhetoricâ, Musicâ, Arithmeticâ, Geometriâ & Astronomiâ similiter ejusmodi supersunt:

Gram. loquitur, Dia. vera docet, Rhet. verba colorat.
Mus. canit, Ar. numerat, Geo. ponderat, Ast. colit astra.

Sic etiam nomina septem Planetarum, quomodo post se invicem sequuntur, per literas initiales, substrato hoc pentametro breviter notata sunt:

Post S - I - M, S - V - M sequitur, Pallida Luna subest.
a u a o e e
t. p. r. l. n. r.

Vid. por. Joh. Rhen. Gramm. & Casp. Seidel. portul. Latin. in append.

Ejusmodi farinæ est Cisiojanus Rhytmicus & Chirometricus; nisi quod solummodò fastis vel Calendis conveniat.

Josephi Langii Cæsaremontani Elementale Mathematicum, continens elementa: 1. Arithmeticæ vulgaris, 2. Logisticæ - Astronomicæ - Geometriæ, 3. Astronomiæ Sphæricæ, 4. Theoricæ - Planetarum Geographiæ, & 5. Geographiæ, & Adauct. ab Isaac Habrecht. Argentoratens. Phil. & Med. D. Edit. Argentorat. sumt. hæredum Lazari Zezneri 1625. Cisiojanum ita extollit: *Duodecim menses complectuntur 365. dies, quibus singulis sua festa antiquitùs sunt adsignata; quorum numerus & ordo, ut faciliùs memoriæ imprimi possit, præcipua totum versibus vel rhytmis inventione tam utili, quàm jucunda, pro cujusvis placito, nonnulli comprehenderunt, idq; peregrino vocabulo CISIO JANUM nominarunt. Numerari autem solent in articulis digitorum sinistræ manus, à radice indicis* (sive potiùs auricularis usq; ad radicem pollicis) *inchoando, & per articulos exteriores descendendo, & ad interiores pergendo, ita, ut radix digitorum Dominicum diem monstret, 2. articulus exterior diem Lunæ, 3. Martis, 4. Mercurii, 5. Jovis, 6. Veneris, at 7. imus in vola diem Saturni.*

De Cisiojano Rhytmico sequuntur ibidem sex formulæ, quælibet duodecim distichis vel versibus consistentes, atq; mensium dies cum festis tot syllabis complectentes.

1. Cisiojanus vulgaris cum Solœcismis suis consuetis.

Januarius dies 31.

Cisiojanus Epi sibi vendicat Oct. Feli. Marc. Ant.
Prisca Fab. Agn. Vincenti. Pau. Po. nobile lumen.

Februarius dies 28.

Brig. Burc. Ag. Dor. Richard. Ap. Scholastica Valent.
Juli conjungas tunc Petrum Matthian inde.

Martius 31.

Martius Adrian. addecoratur Gregorio Cyr.
Gerdrud. Alba. Bened. juncti Mariæ Genetrici.

Aprilis 30.

April. in Ambrosii festis ovat atq; Tiburti
Et Valer. Sanctiq; Georg. Marciq; Vitalis.

Majus 31.

Philipi crux Flori Goth. Johan. Latin. Epi. Ne. Ser & Soph.
Majus in hac serie tenet & Beda. Crisp. Can.

Junius 30.

Nic. Marcelle Bonif. dat Jun. Prim. Basi. Cyrini
Vitiq; Mar. Protus Al. Sancti Johan. Sept - dor. Le. Pet. Paul.

Julius 31.

Jul. visit Udal. Hos. Bil. Kili. Sept - frat. Margar. Apost. Al.
Arnoldus Brax. Magd. Api. Christ. Jacobiq; Marth. Abdon.

Augustus 31.

Pet. Steph. Steph. Prothe. Six. Don. Cyr. Ro. Lau. Tybur.
Hip. Eu.
Sumtio Agapiti. Thimo. Bartholo. Ruff. decol - Jannis.

September 30.

Egidium Sep. habet Nat. Gorgoni. Protiq; crux Nic.
Lampertum cum Matth. Mauritius hinc Dami. Mich. Hier.

October 31.

Remiq; Franciscus Marcus Di. Gerhardiq; Calixt.
Galle Lucas Wend. Urs. Cor. Seve. Crispini. Simon. Hart.
Wolff.

November 30.

Omne November Leonq; Theo. MART. Jonas Habac Ott.
Post hæc Elisa. Ce. Cle. Chrys. Catharina Sat. And.

December 31.

December Barba. Nicolaus & alma Lucia
Sanctus abinde Thomas modo Nat. Steph. Joh. Pu. Jonath. Syl.

Quibus

Quibus abbreviaturis intelliguntur Epiphania, Octavianus, Felix, Marcus vel Marcellus, Antonius, Prisca, Fabianus, Agnes, Vincentius, Pauli conversio Polycarpus & sic deinceps.

2. Cisiojanus à Beda compositus, vel juxta Eberum à Philippo Melanchthone melioratus.

Cisio Janus Epiphaniis dic dona Magorum
Vincit ovans Agnes, nova Paulum lumina vertunt. } *Jan. 31.*

Et purgata Parens ad templum ducit Jesum
Sede docet sacrâ, cum Petro, Matthia gentes. } *Febr. 28.*

Evocat ad studium puerile Gregorius agmen.
Æterni Patris gnatum Mariæ tenet alvus. } *Mart. 31.*

Præsulis Ambrosii laudes imitare Sacerdos,
Et pellant equites GeorgI more Tyrannos. } *Apr. 30.*

Læta crucis, Helenæ reperit pia cura, tropæa
Vinea cùm floret plebs Urbanum celebrabit. } *Maj. 31.*

Ardua Solis equos trahis ad vestigia, Vite!
Agni monstrat onus sed Baptistes, tibi Petre. } *Jun. 30.*

Jam Mariæ sobolem Baptista salutat in alvo
Afficit Herodes nece Jacobum Zebedeum. } *Jul. 31.*

Vincula post Petri patitur Laurentius ignes
Impie mœche dabas meretrici colla Johannis. } *Aug. 31.*

Egidius celebrat Mariæ virginis ortum
Quo combusta die Solymorum mœnia narrant. } *Sept. 30.*

Christe tuas leges Celtis Dionysius adfert,
Scriptis Luca tuis fruimur, docuit Simo Persas. } *Octob. 31.*

Pannonius docuit Gallorum Martius oras,
Fertilis Elisabeth cantat (Thuringia!) laudes. } *Novemb. 30.*

Post casti sacra Nicolai longissima nox est,
Fausta dies celebrat tibi Christum virgine natum. } *Decemb. 31.*

3. Cisiojanus à Georgio Leone Medic. D. compositus.

4. Innominati Autoris, forsan ipsius Langii, cæteris prioribus elegantior.

5. Germanicus ille vulgaris, quem Paulus Eberus, Joh. Colerus & alii perinde consignârunt.

6. Cisiojanus alius Germanicus ex Calendario Joh. Königsberg desumtus. De quibus omnibus vid. Joseph. Lang. Elemental. Mathemat. adauct. ab Isaac Habrecht. in Element. Astronom. cap. 22. p. 264. usq; 68. It. Daniel. Cramer. Μηνολόγιον Ebræum. lib. 6. & 7. It. David. Chytræ. Calend. Vet. Rom. in append. sub titul. Cisiojan. p.m. 33.

De Cisiojano Chirometrico.

Cisiojanus sive Calendarium Chirometricum rhytmorum elenchus est, & festa immobilia & alios dies certis nominibus insignitos exactè demonstrat. Applicatio autem ad digitos ita se habet.

Quilibet digitorum (pollice excepto) in partes septem secatur; quarum quæque uni diei septimanæ respondet. Radix ergò sive flexura infima diem ☉ recipit; flexura secunda rursum diem ☾. tertia diem ♂. apex digiti diem ☿. In dorsis digitorum, deorsum verso, flexura vel junctura prima recipit diem ♃. sequens diem ♀. infima diem ♄. Hoc in omnibus quatuor digitis observatur.

Non autem semper inchoatio in prima junctura indicis (sive auricularis potiùs) fixa manet; sed pro ratione primi diei mensis quæsiti variatur.

Hæ partes quatuor digitorum, simul intrinsecè & extrinsecè sumtorum, constituunt 28. dies, quot in Februario solo sunt; in reliquis, qui hunc numerum 28. superant, assumendus est pollex, & in primam juncturam ponendus est 29. in secundam 30. in apicem 31. dies.

Auricularis autem flexurâ inceptâ incipiendum porrò & numerandum est à syllaba prima Cisiojani. Syllabæ applicentur flexuris intrinsecis & extrinsecis. Notandum præterea est, quod in versibus Cisiojani nec cæsura nec elisio curanda sit, nec sicubi fiat vocalium elisio, neq; duæ syllabæ pro una computentur.

Hoc solummodò ex tempore observandum & retinendum est, quo die Novus Annus inceperit, an dies Solis, Lunæ vel Martis fuerit. Quo observato, incipe à flexura requisita auricularis usque ad radicem pollicis, & recense versus Cisiojani, & habebis omnia festa immobilia in propatulo. Exempli gratia: Si Novus annus die ☉ fuisset, applica primam syllabam Cisiojani flexuræ auricularis primæ. Si die ☾ fuisset, applica (semper primam Cisiojani) syllabam flexuræ secundæ, & sic deinceps. Positô igitur Novô Annô in diem ☾. tum festum Epiphaniæ incidet 6. Januar. die ♄. & ita consequenter, donec omnes

omnes 365. dies anni completi. Conf. M. Euſeb. Bohem. Epitom. Hiſtor. Eccl. Nov. Teſt. in proœm. de præcognoſcend. quibusd. edit. Witeb. 1626. p. m. 27. usq; 30.

De Etymologia Ciſiojani.

Materiâ itaque Ciſiojani rhytmici & Chirometrici ſatis, imò ad nauſeam usque, devolutâ, ad etymologiam præpoſterè reſervatam, regrediendum eſt.

Antiquus Beroſus, qualis ſuperſtes, qui Noæ agnomina & cognomina cum relictis ſimul monumentis, ſagaciſſimè collegit, CISIUM nunquam recenſuit. Inter alia verò encomia iſta adſtruxit.

Docuit aſtrorum curſus, & diſtinxit annos ad curſum Solis, & 12. menſes ad motum Lunæ. Quâ ſcientiâ prædicabat ab initio, quid in anno & cardinibus ejus futurum contingeret (quæ relicta monumenta & inventiones procul dubio, ne memoriæ exciderent, metrico myſtico & hieroglyphico ſtylo, primævis conſueto, conſignata reputanda.) Ob quæ illum exiſtimabant Divinæ naturæ eſſe participem, ac propterea illum Olybama & Arſa, i. e. COELUM & SOLEM cognominaverunt. Et paulò poſt: In Italia quoq; naturalium atq; Divinorum, quæ eos erudivit, libros pleniſſimè conſcriptos reliquit. Propterea illum venerantur, ſimulq; cognominant Cœlum, Solem, Chaos, ſemen mundi, Patrem Deorum, majorum & minorum, Deum pacis, juſtitiæ, ſanctimoniæ, expellentem noxia & cuſtodientem bona. Ob hæc illum ſignant CURSU SOLIS & MOTU LUNÆ. Vid. Beroſ. cum comment. Johan. Annii Viterbienſ. edit. Witeberg. 1612. lib. 3. circ. med. p. m. 24.

Proinde, quale Ciſius vocabulum ſit, & quid ſignificet, nondum inveni. Næ obteſtor ingenuè, alienis me maluiſſe inſiſtere veſtigiis, quàm ingenioli mei debilitatem proſtituere.

Joſephus Langius ſuprà allegato tractatu Ciſiojanum peregrinum vocabulum eſſe aſſerüit in Element. Aſtronom. cap. 22. p. m. 264.

Lucas Loſſius ſcribit: Moris olim fuit Dominicis diebus & aliis feſtis tradere pueritiæ in ſcholis trivialibus Ciſiojanum, (uti vocant) ſeu Calendarium ſyllabicum, ex quo pueri diſcebant anni tempora, menſes, dies feſtos, rationem ſcribendi ſeu notandi res geſtas, per Calendas, Nonas & Idus juxta conſuetudinem veterum. Et paulò poſt in quæſt. Quid eſt Ciſiojanus? Eſt libellus, menſium & feſtorum

dies continens. Quid autem Cisio sit, non invenio. Luc. Loss. ad Catechism. in fin.

Copia cogitationibus meis perexiguis si concederetur, conjecturas, quas concepi, & opiniones, unde fortassis Cisiojanus confictus foret, supervenientium illustrium Virorum censuris, humiliter subjiciam.

1. Cisiojanus vel Cisianus (juxta hypothesin originis Persicæ, ubi per O vocabulorum compositio non admittitur) apex peregrinus, forsanq; Persicus haberi, non solùm studium mathematicum & astronomicum in Persia antiquitùs præcultum subinnuit; sed potissimùm consimile illud CISIÆ celeberrimæ Persarum Reginæ, Memnonis Matris, insimulq; præstantissimæ Mathematicæ nomen proprium, agnomini huic præfixo quàm proximè accedens, consolidat. Ex quo autem appellativo Persico tam CISIANI quàm CISIÆ soboles exorta sit, nondum radicitùs extricatum reperi. Poëtis ad nominis nervum transnominatione alludentibus CISIA est AURORA, cœlestis quasi illustri Reginæ applicata nomenclatura. Ipsa porrò CISIA Κισσία Memnonis mater, de quâ Susorum cives, teste Stephano Cissii dicti, circa eversionem Trojæ floruit, atque miraculosum illud monumentum filio Memnoni pro Troja amisso exstruxit; cujus statua citharam tenens, singulari artificiô mathematico, certis horis canebat, atq; humanâ voce SOLEM & REGEM salutabat. Cyrus aliàs Persis Sol est, attestante Plutarch. in vit. Artaxerx. Mnem. in princ. Prætereaq; in Persia ac Media usq; floruerunt Academiæ & Scholæ etiam nunc inclutissimæ. Quales præcipuè excellunt Schamachie Mediæ, Ardewill amplissima urbs olimq; Metropolis Persiæ, Schirvan juxta antiquam Persepolin, Ispahan hodiè Regia sedes præcellentior; quin & illustria Susa, ubi primarium olim Ahasveri & Esther palatium. Ubi inter cætera liberalia studia, Poësis, Rhetorica, præcipuè verò Mathesis potissimumvè Astronomia & Astrologia, teste Adamo Oleario in itinerario Orientali, prævalenter excoluntur. Unde Cisiojanus Persicè Cisianus idem est, ac peculiariter CISICUS JANUS, hoc est, modus Calendarius Cisio-Persicus à JANO reservatus, & in Janiculum nostrum reportatus, memorialis numerandi index. De Cisia & Memn. vid. Steph. in desc. urb. Susorum. & Diod. lib. 2. De Aurora & Memn. vid. Hom. in Iliad. Virgil. lib. 1. Æneid. Ovid. lib. 13. Met. fab. 8. Cœl. Rhodig. antiq. lib. 22. c. 5. Ælian. de nat. animal. lib. 5. c. 1. De statua Memnonis Pausan. in Attic. Callistrat. in descript. urb. Plin. lib. 36. c. 7. Tacit. Annal. 2. De destru-
ctione

ctione hujus statuæ vid. Strab. lib. 15. Juvenal. Sat. 15. Ex recentioribus Jan. Dous. & Matth. Mart. in Lexic. Philol.

2. Cisium Græcè δίτροχον genus vehiculi est cum duabus rotis. Qualis vehendi usus antiquissimis olim, etiam præpotentibus haud indecorus allibuit. Cisium autem proprium fuit Galliæ Cis-Alpinæ, ut Petoritum vel Petorritum Oscorum, Pilentum verò Thuscorum. Nonius in dictione Carrus ita allegat. Varro ἀν λιβύν: Gallica petorita carros arcerras Thusca Pilenta. Gallorum etiam fuit rheda, sicut Britannorum Covinnus. Vetus glossa: Covinus κάρριον καθιθρωτόν. Belgarum verò Benna, quâ etiamnunc hodiè utuntur; quin & apud eos hodiè genus carri, itemq; apud Helvetios eine Benne vocatur. Germanicè Karn/ Kalesse/ Karnwagen. Festus ait: qui unà in eo curru veherentur, Combennones dictos. Etiam in eodem Lexico Latino-Græco sriptum fuit: convennit perperàm, pro combennit συμβαστάζει. Item in eodem: Bennarius σκηνάρχης. Vid. Joseph. Scal. in Catalog. It. Christian. Becman. manuduct. ad Latin. ling. & de originib. Lat. ling. edit Hanoviæ 1619. sub diction. Rhed. p. m. 660.

Cisiô-igitur confictus Janus non abludere videtur à fabuloso commento currus Phœbi vel Solis. (Cisiojanus autem compositus per hypallagen vel hysteron proteron pro Janicisio.) Quia Noa, Janus quasi Eanus ab Aboriginibus inter astra vel planetas collocatus, & SOL consecratus, cum motu Lunæ. Ac licet reliquæ planetæ consimiliter Cisiis ejusmodi depingantur: Saturnus cum Cisio tracto duobus draconibus: Jupiter duobus pavonibus: Mars binis vulpibus: Venus duabus columbis: Mercurius binis gallis: & Luna ambabus virginibus. SOL tamen κατ' ἐξοχὴν ejusmodi tali conficto cisio vel curru duobus (vel juxta Ovidium quatuor) equis agitato præstat. Conf. Joh. Indag. lib. 6. Astrolog. Ovid. lib. 2. Metamorph. fab. 1. 2. & 3.

Proinde quum confictis consimilia figmenta & picturæ conveniant; ita & Cisiojano, tanquam pervaganti planetæ suprà-allegati rhythmi Latini, duobus semper hexametris tanquam binis rotis consistentes ab antiquis mythologis æquiparati fuerunt. Quemadmodum porrò curriculo vitæ totam actionem absolutam definimus; ita juxta Ovidium, cùm Sol duodena peregit, Jani cursum vel officium per vocabulum Cisium, i. e. curriculum vitæ Solis subinnui depingique licuit. Ovid. lib. 13. Metamorph. fab. 8.

3. Cisiojanus per Onomatopœiam barbaram idem ac Cæsiojanus, à verbo cædo (unde Cæsura) catenus compositus idem esset ac pene-

penetrans. Compositio talis etymologiæ obsoletæ non admodùm obstrepit; prout Matthias Martinius Cisium appellativum illud vehiculi genus ab hoc verbo cædo derivare non dubitavit. Matth. Martin. in Lexic. Philol. sub diction. Cis.

4. Cisiojanus per nimiam duplicemq; aphæresin idem ac circumcisus, amputatus, contractus, succinctus Janus ita compositus apparet. Tota namq; ejusmodi versuum imago pericope est, & verborum circumcisio.

5. Vel à festo circumcisionis Januarium inchoante (quò reliqui menses sic relati & applicati forent) Cisiojanus quasi Circumcisio-Janus formari offertur. Quum præsertim primus ejusmodi versuum tali insigniô Cisiojanus se incipiat; unde reliquorum denominatio facta: veluti alioquin Ebræis Genesis à charactere inchoativo Bereschit, & sic deinceps alii libri à primo vocabulo resonare solent.

6. Vel Cisiojanus recentioribus seculis Mathematicus quidam insignis (qualis Janus Dousa Autor & Historicus Belgicus) extitit. Quemadmodum igitur Scriptores nonnulli arte aliquâ excellentes, ipsi arti specialiter & quidem metalepticè titulum vel schema adsciscunt; veluti Sibyllinum hypomnema operi cuidam præfixum; vaticinium vel prognosticum quodcunque: Sappho carmen Sapphicum: Treu Eckard emblema quoddam vel monitorium fidele, vel paradigma dehortatorium: Treue Samariter beneficiarium incitamentum: Æsopus mythologiam: Schola Salernitana ethicam vel diætam: Priscianus vapulans Satyram grammaticalem: Machiavellus mundanam politicam: Amadissus blanditias, &c. & sic deinceps metonymicè vel metalepticè effigiant, &c. ita & Calendarius vel Mathematicus aliquis Cisiojanus forsan dictus, & metra ejusmodi sive isogrammata figurata initiatus, inventum illud Calendarium eatenus nominatum relinquere potuit. Quum præsertim M. Paulus Eberus supra antiquos illos rhytmos Cisiojanum: supra recentiores verò Philippum Melanthonem antesignaverit. Vid. Paul. Eberi Calend. hist. continuat. adauct. & Germanic. reddit. atq; edit. Witeb. 1582. per tot.

Dum verò omnes hæ enumeratæ opiniones & conjecturæ proprio ex cerebro conflatæ, vixq; probabiles vel verisimiles appareant; ac nisi autoritate apodicticâ suffultæ, an ulla earum, & quæ obtineat, in ambiguis versentur; decisio meliori judicantium arbitrio committitur.

CAPUT

CAPUT XV.

De Noa transmigrationibus memoriaq; relicta.

ANnô post diluvium 131. ætatis Noæ 731. architectura turris Babylonicæ suscepta est, atq; confusionis linguarum & Gentium dispersionis causa extitit.

Si cui ambiguum renasceretur: hos intra annos genus humanum accrescere quidem potuisse, sed impossibile quasi videri, tantò multiplicatum fuisse, ut ad novas sedes quærendas necesse incubuerit; statim gentilitiis testimoniis in suo valore relictis ad sacras DEI Omnipotentis & impossibilium averruncantis literas immissio detur. Ubi post trifariam benedictionem propediem admirantium & ominantium quasi multitudo obvia exhibetur, hisce verbis: *Celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.* Gen. 11. v. 4.

Scitum porrò est scriptum, quod Berosus reliquit: *Statim post diluvium uxores perpetuò gemellos edebant. Neq; enim DEUS vel natura defuit necessitati, quæ ad universi orbis spectaret opulentiam. Eô pactô, brevi in immensum adauctô humanô genere, omniq; Armeniâ completâ, opus erat, eos inde recedere, atq; novas sibi sedes conquirere.* Atq; iterum: *Post finitum diluvium multiplicatum est in immensum genus humanum, & ad comparandas novas sedes, necessitas compellebat. Tunc Janus pater hortatus est homines principes ad quærendas novas sedes. Designavit itaq; illas partes orbis, Asiam, Africam & Europam, ut ante diluvium viderat. Singulis autem his principibus singulas partes, ad quas irent, partitus; ipse per totum orbem colonias se traducturum pollicitus est.* Beros. lib. 3. cum comment. Joh. Ann. Viterb. fol. 23. a. & lib. 4. in pr. fol. 27. b. vid. & Diod. Sicul. lib. 3. & 4. pass. ubi Noam Cœlum nominat. Et Caton. in fragm. 2. de Aborig.

Cæterùm Noa, licet quibuslibet terrarum partibus filios suos præfecerit, sibi tamen ipsi paternum gubernaculum reservavit, eodem Janô apud Ovidium dicente:

Me penes est unum vasti custodia mundi.

Ovid lib. 1. Fast. distich. 60.

Ipseq; Aristoteles usus Homeri testimoniô: *Gentes & Deos ab uno Rege* (qui nemo alius nisi Noa) *cœptos rectosq;, & in familiis senissimum quemq; Regem fuisse recenset.* Arist. lib. 1. in polit.

Noa ergò maximè senex docuit principes coloniarum cosmographiam, qualem viderat ante diluvium, ut sciret quisque, in quem locum suas colonias post disturbationem Babylonicam ducturus esset. *Eô tempore*, ut Philo Ebræus tradit, *ipse Noa cum tribus filiis & multis coloniis in Pontum venit, & ratibus circumlustravit omne mare mediterraneum. Ostendens Semo littus omne Asiaticum à Tanai per Bosphorum usq; ad Nilum Ægypti: Chamo à Nilo littus Africæ usq; in angustias Oceani & Gadium. Japheto autem omne littus Europæ à Gadibus usq; Tanaim. Et singulis provinciis circa littora dimisit primas colonias. Porrò Noa decennio post, cùm à Tanai discessisset in priscum locum rediit, lustratô mari, & primis coloniis positis, reversus in Scythiam alias iterum atq; iterum adornavit colonias.* Philo Ebræus in libr. de multiplic. gener. human. & seq.

Celebrantur apud Ebræos Phracæ illæ, quæ post diluvium Noæ posteris in tellure apparuerunt. Hæ nihil aliud sunt, quàm divisiones illæ terrarum, interveniente mari mediteraneô. Quarum una ad dextrum Europæ latus; altera ad Africæ (quæ de Phraca illa & litera A composita Africa dicta videtur) lævum latus emerserunt. Inter quas mare mediterraneum ex diluvii inundatione remansit. Ultra hoc mare (quod Ebræi simpliciter fluvium appellitant) inter utrasq; nimirum illas Phracas, Noa filios nepotesq; suos facillimè & in Asiam & in Africam & in Europam introducere potuit. *De quibus Noæ filiis insulas post diluvium divisas fuisse*, Moses testatur. Quâ credo Paraphrasi mare mediterraneum insinuari. Gen. 10. v. 5. vid. & Wolff. Laz. de migr. gent. lib. 1. de Aborig. f. 13. lit. C. it. lib. 3. de Cimmer. f. m. 57. B.

Mare mediterraneum præcipuè flectitur ad Gades sive Herculis columnas, multos portus insinuans, & aliquot partes terrarum dividens. Quarum una pars, quæ meridiem versus respicit, Africa dicitur: altera, quæ ad Septentrionem Europa. Illa est propter summam temperiem partim habitabilis & pulcherrima tametsi cæterarum sit minima. Hæc ad ortum, Tanaim, Mœotidem & Pontum habet, à meridie nostrum mare; ab occasu Atlanticum, à Septentrione Britannicum. Europæ igitur prima in Occidentem regio est Hispania corii bubuli formam referens, quæ in Lusitaniam, Bæticam & Tarraconensem dividitur. Has regiones Tagus, Iberus, & Ana irrigant. Ad mare internum proximè positæ Baleares insulæ Major & Minor. Hispania alioquin permagnæ æquore circumfusæ

insulæ

insulæ formam refert, nisi qua montibus Pyrenæis interpositis annexa est Galliis in Aquitaniam, Narbonensem, Lugdunensem & Belgicam, in qua est Arduenna Sylva, divisis. Flumina habent Garumnam, Ligerim, Rhodanum & Sequanam. Objecta in Septentrionem Albion insula, quæ & Britannia dicitur. Eidem proxima Hybernia, & quæ terrarum earum extrema ad Sepentrionem habetur, Thyle. In Germaniis latissimè patens est Hercinia sylva, & Albis fluvius in Mare, quod Germanicum vocamus, fertur. Quæ pars ad Alpes erigitur, superior, quæ vergit ad Occasum inferior Germania appellatur. Utrisq; autem populis intermediæ Alpes, tanquam valles Italiæ, quam querno folio similem faciunt. Cujus partem Cisalpinæ Galliæ nomine flumen Padus multis aliis factus auctior præterfluit. Mons Apenninus perpetuô jugô sese attollens, dorsi instar, in longitudine eam communit. Eadem Italia qua angusta mari supero, quod Adriaticum, in quo est Corcyra insula, & infero, quod Thuscum & Tyrrhenum dicitur, inclusa formam quasi annexæ Alpibus & alligatæ insulæ refert. Oppositæ ad dextrum insulæ Corsica, Sardinia & ab Italia quasi abrupta Sicilia, quæ quod trianguli formam retinet, triquetram esse dicunt, in qua mons Ætna perpetuis ignibus conflagrat. Sed decurrens è Germaniis auctior Danubius ab agris Vindelicorum & Noricorum in superiorem & inferiorem Pannoniam, inde in utramq; Mœsiam, subjectâ Thraciâ longissimè evectus in Euxinum sex ostiis divisus. Vid. Christoph. Mylæum. lib. 1. hist. nat. p. m. 50. it. Bodin. de hist. mundi.

Hæc sunt ostia principalia, per quæ Noa ipsemet, priusquam in veteri patria remanserit & in DEO acquieverit, singulares ac præcipuos posteros, ad suas destinatas terrarum partes introduxit & comitatus est.

Rationes causasq; posterorum selectorum ab ipso Noa suis regionibus invehendorum extitisse: 1. Noæ Cosmographicam experientiam. 2. In rebus distribuendis autoritatem, quo singulæ gentes sine disceptationibus sibi invicem & alternatim concederent. 3. Noæ omnium viventium patris requisitam institutionem & necessariam benedictionem subvenisse facilè colligendum.

In substrata materia mare mediterraneum in universas terrarum plagas ostia transitusq; subministrâsse inductum est. Cimmerios proinde Gomeri posteros in Cimmeriam ad paludes Mæotides; alios deinde in sinum Adriaticum, ex eo in Balticum, indeq; in universum Oceanum Germanicum à Noa instructos fuisse, quam verisimil-

I 2 limè

limè apparet, ut ipse C. Cornelius Tacitus: *Majores nostros sub Tuiscone & Manno non terrestri itinere, sed classibus olim advectos fuisse,* commonefecit. Tacit. in Germ. c. 4. v. 1.

Simili modo alios posteros ad alias regiones appellandas instituit, ut Cato de Prisci JANI rate in Vaticanum advecti, inprimis terrarum occupationibus, adstipulatur. Unde multis in locis Noæ vel Prisci JANI memoria adhuc retenta. Cat. frag. 2. de Aborig. pass. vid. & Ovid. lib. 1. Fast. per tot. Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 8. 9. & 19. & alibi.

Berosus statim in principio attestatus: *Noæ plures civitates dedicaverunt.* Item *annò Nini X. post diluvium 260. JANUS pater senissimus ætatis suæ 860. dum demùm ex Africa ad Celtiberos Hispanos venit; ubi duas colonias divisit à se dictas Noelas & Noeglas. His enim antea cognominibus cognominaverat uxores Japeti & Cham Esenui.* Unde Plinius inter Hispaniæ urbes *Noelam & Noeglam* recensuit. Beros. lib. 3. circ. med. It. lib. 5. sub gest. reg. Nin. cum comment. Johan. Annii Viterbies. fol. 43. b. Plin. nat. histor. cap. 21.

De fluminibus quoq; adstruere potest; fluvius siquidem (annotante Herodotô) per Thraciam in Istrum se effundens, Noes appellatus, offenditur. Juxta Strabonis descriptionem fortassis *Noarus, qui acceptò Colapi ex Albio monte, fluente adauctus per Japodes Danubium illabitur ad Scordiscos.* Herod. in Melpom. siv. lib. 4. n. 106. in pr. Strab. lib. 7. Laz. de migr. gent. lib. 5. p. m. 181. lit. A.

Quomodo ipsi Noæ in solo natali conquiescere, antequam peculiares posteros ad suas portiones decretas gubernâsset, haud vacaverit; ac quomodo ejusmodi olim necessariæ introductiones, vel saltem manifestationes & repræsentationes, accommodante mari mediterraneô, indubitanter contigerint, jam perceptum. Præmonstratis nuncce atq; comprobatis Noæ profectionibus, nullibi ad ulteriores Germaniæ & totius Europæ appellendas occupandasq; plagas, commodior accessus, quam sinus Adriaticus ex mari Ligurico propè Apenninum. Exinde enim proclivia ad mare Balticum & Oceanum Germanicum transfretandum brachia apparuerunt.

Per Alpes verò adjacentes (quarum principales tractus posteritas ad insignem NORICIS vel NORICI Herculis filii memoriam NORICAS ALPES cognominare cœperunt) superatas in Galliam, in Germaniam, in Illyricum, in ipsum Noricum, in Pannoniam & reliquas provincias penetrare potuerunt.

Intro-

Introductionibus & manifestationibus necessariis peractis Noam ad veteres lares in loca prope Damascon vel Jerusalem, ubi antea vixerat, & ubi primos parentes conditos esse sciebat rediisse, ac veræ Ecclesiæ convenisse approbabile. Fuit namq; vera DEI Ecclesia tunc temporis in illis locis & in illa vicinia, ubi benedictus Semus & alii Patriarchæ sese collegerunt.

CAPUT XVI.

De Noa diversis in filios suos vaticiniis.

PEnultimum hocce caput, ordine quô debebat, chronologico semotum, singularem per Diastrophen huc reservare placuit.

Noæ post agrestem aliquando laborem, attestante Josephô, sacris vespertinis operatus, improvisè bibens, inebriatus, resupinus corpore detectô (sicut erat simplici togâ vestitus) procubuit.

Hunc contingentem lapsum, & emergentia inde concomitantia, impietatem nimirum unius filii nudatum patrem irridentis ejusdemque anathema; simulque resartam reverentiam pudicorum fratrum; atq; vota inde diversa consecuta, prisca sinceritas posteritati ad exemplum considerabile repræsentare voluit.

Sacræ literæ redintegrè demonstrant: *Cœpit autem Noa vir agricola exercere terram, bibensq; vinum inebriatus est & nudatus jacuit in tabernaculo suo. Quod cùm vidisset Cham pater Canaan: verenda sc. patris sui esse nudata, nunciavit duobus fratribus suis foràs. At verò Sem & Japhet pallium imposuerunt humeris suis & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui, aversis sc. faciebus, ne verenda patris sui viderent. Cùmq; evigilasset Noa à vino suo, & rescivisset, quæ fecerat ei filius suus minor natu, dixit: exsecratus sit Canaan vel Kanaan, infimus servus sit fratrum suorum &c.* Annô post diluvium circiter 20. ut Doctores conjiciunt. Gen. 9. v. 20. usq; 26.

Noam igitur à protervo nepote Canaan ad excessum vini allectum, inebriatum, consopitum, nudatum & irrisum, à proprio verò filio Chamo, ut Berosus testatur, veneno & tacito murmure castratum fuisse, quodammodo apparet. Quod Græci postea in fabulam verterunt, Jovem Hammonem, fingentes, patrem castrâsse.

Exinde Kanaan, quartum & ultimum Chami genitum sceleris hujus & illusionis similiter consortem fuisse, colligendum; quia ille

ipse, pessimi sui relati sc. patris instar, atrô carbone notatur solusq; devovetur, cæteris Chami posteris, juxta Fl. Josephum, diris evadentibus. Vid. Beros. lib. 3. circ. med. Fl. Joseph. lib. 1. ant. c. 6.

Noa equidem lacessitus nequissimo Chamo, respectu sui sanguinis cæteræq; posteritatis, parcens, specialiter Kanaan impiissimum nepotem malè devovere habuit. Ast ominatione suâ non necessitavit, sed prædixit tantummodò, quid Kanaani posteris perinde patrissantibus, perseverantibus atq; in pejus evadentibus eventurum sit; proptereaq; ominationem, ob scelus illatum, magis eventualem annunciavit.

E diverso tam sacra quàm profana ac præcipuè Josephi scripta: *Reliquos culpæ istius innoxios Chami filios eorumq; posteros*, (licet alioquin perinde haud probi fuerint) *diras paternas nec spiritualiter nec minus temporaliter exsolvisse*, demonstrant. Joseph. ibid. citat. loc.

A primogenito namq; filio Chusæo, & Nimrodo nepote, primam monarchiam fundatam fuisse legimus. Consimiliter satis augusta & diurna Ægyptiorum, Æthiopum & aliorum Chamitarum imperia reperiuntur. Insuperq; jam dictorum posteri, qui majorum scelera non imitati, nec spiritualiter neq; minus temporaliter talionis jura experti; sed potiùs orthodoxam fidem amplexi sunt, ut in V. & N. Testamento ostenditur.

Divæ literæ pergunt: *Dixitq; Noa: benedictus sit Dominus DEUS Sem, sitq; Canaan illi servus. Dilatet DEUS Japhet, & habitare faciat in tabernaculis Semi.* Cujus benedictionis vigor & amplitudo postea locupletiùs explicabitur. Gen. 9. v. 27. & 28.

Nonnulli ex Targumim Hierosolymitano & Jonathano: *Semo munus Sacerdotale, Japheto Politicum, ac Chamo Oeconomicum*, juxta commune illud tritum: *Tu SEM supplex ora, tu JAPHET protege, tuq; CHAM labora, &c.* convenienter attribuunt. Vid. Targ. Hierosol. & Jonathan. it. Naucler. ad h. l.

Juxtim verò illud subintelligendum est: Noam non duntaxat ad præsentem tunc temporis statum, (ubi SEM Regius Sacerdos, JAPHET Gubernator & CHAM Oeconomus reponuntur) sed etiam ad futurum simul quarumlibet familiarum eventum, successum, sortem vel conditionem prospexisse.

Interim autem, licet œconomia humana devota quidem & laboriosa redacta, non exsecrata tamen & damnata habenda. Itaque

Chami

Chami conditio maledicta quidem, sed neutiquam ad continuam inevitabilem perniciem destinata reputanda est.

Vixit autem Noa post diluvium 350. annos, & impleti sunt dies ejus 950. annos & mortuus. Vitâ igitur assecutus est Abrahamum & multos alios sanctissimos clarissimosq; posteros justâ computatione adhibitâ.

Noa insimul totâ ætate plus mille vidit calamitates: impietatem prioris mundi & atrocia vitia: perduravit in diluvio horrendo iræ divinæ torrente: perpessus est degeneris sui filii & nepotis impietatem & ingratitudinem: cognovit insaniem posteritatis suæ in suscepta turri Babylonica, animadvertit posterorum suorum denuam inclinationem à vera religione ad idololatriam. Inter tot mala igitur maximus fermè martyr.

CAPUT XVII.

De nativitate succedanea filiorum Noæ.

OBveniunt affirmantes, Semum fuisse primogenitum, singulari autoritate; apprimè, quia Augustinus fundamento tali propugnavit: *quod nimirum tum in fonte, tum in Chaldaica Paraphrasi, Semus semper primô ponatur locô.* Augustin.

Alii hunc honorem Japheto & quidem firmiùs attribuunt.

1. Quia Japhet expresſè frater major nominatur, ut planè fit indagantibus hoc tenore: *Ipso quoq; Semo patri filiorum Eber & fratri majoris natu Japheti, nati sunt filii post diluvium. Septuaginta Interpretes habent*: Τῷ ἀδελφῷ Ἰαφὲθ τοῦ μείζονος. Gen. 10. v. 12.

2. Id quoq; colligi potest ex supputatione chronologica. Noam etenim annô ætatis suæ 500. primogenitum procreâsse & deinde cæteros evidenter patet. Unde, quando Noa diluviô ingreſsô 600. annos compleverit, primogenitum similiter 100. annos complevisse oportet. Contrarium verò de Semo, *quod secundô annô post diluvium & jamdum Arphaxadô natô, tunc demùm centesimum annum attigisset*, refertur. Gen. 5. & 6. pass. it. Gen. 7. v. 6. it. Gen. 11. v. 10. vid. & sup. lib. 1. c. 7.

Ipsi jactabundi Rabbini Japhetum quidem primogenitum concedunt, sed in translocatione absonam rationem more suô confingunt, ut excellenter B. Lutherus Tom. Jen. in Gen. 5. annotavit.

Proinde palàm constare necesse est, atq; cum omnium Doctorum assensu, Chamum ultimum fuisse, congruit. Idq; Moses intimare voluit, dum notat: *Cùm evigilâsset Noa de vino suo & resciviſset, quæ fece-*

fecerat ei filius suus minor, i. e. minimus ex more ita assignandi consueto. Gen. 9. v. 24.

S. Scriptura, cui incomparabilis inest autoritas & vigor, à Semo incipere gavisa, suâ beneplacitâ ratione, quæ præpollet & viget claritudo inde proventuri Messiæ.

Hâcce Semi prælocatione antehabitâ, quæstione non indignum erit, cur iterum S. Scriptura Chamum Japheto præfixerit? Verùm heic non absonè informari potest, peculiari Ebræorum more & præclarâ ratione sic ordinare libuisse, quò Japhetus postea ad justum ordinem redigatur, ac genealogicè per Anadiplosin quasi sive Diastrophen, i. e. reductionem historicam recenseatur. Nihil enim impedit, dummodò nativitas personarum sit certa, distributiones descendentium quacunq; serie & commoditate sint institutæ.


Cæterùm in delineationibus gentium pro commoditate rursus trium Noæ filiorum fit translocatio. Japhetus præponitur: post eum impius Chamus inseritur; ac tunc demùm benedictus Semus assequitur. Causa patet efficientissima, quò cæteris genealogiis relatis, Semi sanctissima posteritas sine interruptione deinceps ad Messiam usque continuari possit.

Triplex alioquin dicitur esse ordinandi modus.

1. Naturalis, cùm liberi eodem, quò ordine nati sunt, numerantur.

2. Personalis, cùm illi, qui dignitate præstantiores sunt, primô locô ponuntur.

3. Historicus, cùm ejus nomen postremò reservatur, sive prior sit naturâ sive dignitate, sive gradu vel non, à quo historia deinceps reassumenda & continuanda est. Placet autem imò requiritur in hoc proposito, modum observare historicum, explanatisq; Chami & Semi propagationibus denuò Japheti stirpes ritè ac sine mixtura remonstrare, ejusdemque mentionem redintegrare.



LIBER

LIBER III.

De

CHAMO ET EJUS POSTERIS,
hoc est, de Chamitis.

PRÆNOTATIO.



PRoximis jam capitibus tertius ac ultimò genitus & quidem impius Noæ filius, fit ordine historicô primus, non propter genituram, minusq; propter dignitatem; Sed 1. per ante declaratum modum historicum, quò post descendentes ejus relatos, benedicti tunc Semi & deinde Japheti genealogiæ & prosapiæ sine interruptione redintegrè pertractari queant.

2. Per Anadiplosin vel Prolepsin sive anticipationem historicam præcedat, quia per nepotem suum potentissimum Nimrodum prima monarchia cœpta est, ut eatenùs ordo regnorum observetur.

3. Quia nonnulla ejusdem stemmata prorsus interierunt, prius recenseri opus est. Præterita enim & dilapsa præsentibus plerumq; & existentibus prænarrari solent.

Cham nobis idem ac æstuosus, niger vel ater denotat. Huic forsan nigello nato pater Noa tale nomen vel potiùs malum omen indidit, quod deinceps in ipso & posteritate ejus evenit. Præterea quoq; Chamus alia nomina sortitus, ut teste Berose, *ob scelus patri illatum Cham-Esenua vel Chameses, i.e. infamis & impudicus dictus.* Beros. lib. 3. Ant. pass.

Primus insuper Saturnus nemo alius nisi ipse Chamus, ut multæ convenientes descriptiones testantur. Firmissimum argumentum sumi potest ab antiquitate. Ipse Saturnus enim, Græcis Κρόνος quasi χρόνος antiquus dictus, expressè Japheti frater & σύγχρονος reputatur. Græcorum Vates maximus Homerus *Japetum & Saturnum* præprimis conjunxit; atq; Pindarus *primævam Japeti & puel-*

 larum

larum Saturniarum progeniem eleganter descripsit. Homer. Iliad. θ. sive lib. 8. circ. fin. Pind. Od. 9. Olymp.

Item Zoroastris cognomen, quod Ægyptiis Magum, veneficum vel incantatorem significat, commeruit. Plures quidem ejusmodi nominis extiterunt. Chamus verò horum primus censendus. Valdè longævus juxta Berosum extitit, tandemq; *Rex Bactrianorum factus & à Nino* (aliàs Jove) *superatus.* Beros. lib. 5. ant. subgest. Arii Sext. Assyr. Regis.

Alioquin certissimè constat, Chamum prægrandem fuisse Idololatram, Magicum & incantatorem Dæmoniacum ac post primam in terra Sinaar habitationem relictam, prope Ægyptum & illic locorum versatum fuisse, ut ex multis S. Scripturæ locis, ubi terra Cham vel Ham pro ipsa Ægypto posita, dispalescit. Donec tandem à Jove filio, ex ultione Divina & jure talionis, in Italiam ad Priscum Janum sive Noam, ut Ethnici tradunt, fugatus. Ps. 77. it. 104. 105. 106. & multoties alibi.

Unde eruditi ex Divo Hieronymo, simulq; Plutarcho, omnes usque dictos Chimos vel Chimicos, nomen & originem nactos esse colligunt. Quando imprimis Vopiscus de Ægyptiis Chimiæ peritissimis adsignavit: *Diocletianum Imperatorem libros Chimicos diligenter conquisitos comburi jussisse, ne istius artis beneficio locupletati Ægyptii ac inflati Romanis deinceps rebellarent.* Vopisc.

Cham autem genuit *Chus, Mizraim, Put & Canaan.* Gen. 10. vers. 6.

CAPUT I.

De Chuso Chami primogenito & de prima monarchia.

CHus similiter idem est ac Æthiops, Niger &c. communis fermè stirps omnium Nigrorum & Æthiopum. Hic, ut consentaneum, *Ethnicorum primus Jupiter* quasi Chus-Pater, sicut & appellatio Jovis & Chus conveniunt.

In genere autem Chusi agmina sese & examina post primam dispersionem abs terra Sinaar in Africam & vicinam Asiam, ubi Nili scaturigo, contulerunt. De quo Josephus: *Chuso nihil detrimenti tempus attulit. Æthiopes enim, quibus præfuit, nunc quoq; à se ipsis,*

ipsis, quam Asianis omnibus Chusæi nominantur. Joseph. lib. 1. ant. cap. 7.

Chus Patronymicum generale nomen fuisse Moses in prima illa paradisi descriptione attestatus: *Gihon secundus Paradisi fluvius circuit totam terram Chus.* Ubi translatores apertè Æthiopiam posuerunt. Gen. 2. v. 3. vid. & Ezech. 29. v. 10. & 30. v. 5. it. Ps. 68. v. 32. & 88. v. 4.

Filii autem Chusi in specie fuerunt: *Seba & Hevila & Sabatha & Regma & Sabtecha. Chus autem genuit Nimrod.* Genes. 10. v. 7. & 8.

1. Seba Chusi primogenitus.

Seba ab Ebræo *Sobe* ebrius, plenus. Sebæorum Africæ populorum, ut Josephus attestatur, conditor, atq; ut Lutherus annotat, *Seba adhuc celeberrima Æthiopiæ urbs* censetur. Joseph. lib. 1. ant. c. 7. Luth. tom. Jen. in Gen. 10. ad h. l. vid. & Jesai. 43. v. 3. & 45. v. 14. Ubi incolæ *Sebaim* viri describuntur sublimes.

2. Hevila Chusi secundus filius.

Hevila, i. e. sublimis *Hevilæorum autor, qui cum Bactrianis & Getulis* juxta Josephum *confines.* (NB. Heic observetur, Sabam & Hevilam ex Semi progenie diversos fuisse, diversosq; populos condidisse.)

3. Sabatha tertius Chusi filius.

Sabtha vel Sabatha ociosus vel etiam circumveniens. *Qui* Josepho *Sabates Sabatenos populos, Græcis Astabardos, instituit.* Teste Ptolemæô *permagna civitas in Ægpto est ejusdem nominis.* Joseph. cit. loc. Ptol. lib. 4. tab. Aph. 4. c. 7. de Æthiop. & Ægypt. sit. p. m. 107. b. vid. & Dav. Chytr. ad h. l.

4. Regma quartus Chusi filius.

Raema vel Regma, i. e. tumultuator, confringens. Quem Prôpheta Ezechiel cum Seba conjungit. Ezech. 27. v. 22.

Hic Regma (quod cæteris confratribus non adscriptum & singulariter notandum) iterum duos reliquit filios *Schebam,* i. e. proficiscentem, & *Dedan,* i. e. uberosum, peculiarium populorum prope Æthiopiam & Arabiam conditores.

5. *Sabtecha quintus Chusi filius.*

Sabtecha vel Sabatecha, i. e. affectator, *à Sathe* circumvenit *& Ka*, adhæsit. Josepho *Sabactea, qui Sabactenos instituit.* Joseph. cit. loc.

Atq; hos omnes partim Æthiopiam, partim vicina Arabiæ inhabitâsse apparet. Ezech. 27. vers. 22. Jesa. 43. vers. 3. & 45. vers. 14. & alibi.

6. *Nimrodus sextus Chusi filius.*

De nativitate ejus, omnibus jam recensitis Chusi liberis, extat: *Chus autem genuit Nimrod.* Ex qua separatione nonnulli, Nimrodum spurium fuisse, collegerunt. Alii certam Emphasin ad singulare ejus, ejusdemq; monarchiæ, quæ post diluvium prima habetur, insignium denotandum statuerunt.

Nimrodus autem amarus dominator ab Ebræo *Mar*, i. e. amarus; & *Radah*, dominator. Ethnicis anteriore ratione idem ac primus Mars denotatur. Hunc Berosus etiam *Saturnum cognomine audivisse*, forsan posteriorem, asserit. Beros. lib. 5. in pr. Vid. & Lactant. lib. 1. Div. instit. Xenoph. in æquivocat. de multifar. Saturn. & Jov.

S. literæ ita pertractant: *Chus autem genuit Nimrod, is cœpit esse heros violentus in terra, & fuit robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni illius Babel, Erech, Acad atq; Calne in terra Sinaar* (sive Senaar, h. e. Semitarum.)

Textus Ebraicus habet גִבֹּר צַיִד *gibbor Zaid*, i. e. formidabilis venator. Targum Hierosolymitanum explicat, quod pios variis modis venatus & iis insidiatus sit; vel ut Græci reddiderunt, fuit Gigas tyrannus potentiâ & ferociâ formidabilis. Unde proverbium decantatum est in Psalmo: *Sperabo in Dominum, quoniam liberavit me à laqueo venantium.* Gen. 10. v. 9. & 10. Ps. 91. v. 3.

Nimrodus, primus post diluvium δεσποτικοῦ sive potiùs tyrannici imperii avidus, non solùm extiterat venator excellentissimus κυνηγὸς, ut 70. Interpretes loquuntur, qui venationes caninas redintegravit, ut ex Aben Ezra, Hugone Grotio, Cajetano ac Vatablo, Cornelius à Lapide, noster Gerhardus, Calovius, Prucknerus & alii adduxerunt; sed etiam callidissimus potentissimusq; venator δεσποτικὸς τῶν ἀνθρώπων, vafrè imperiosus, qui homines variis modis, ædificiis, deliciis, aliaq; astutiâ, fraude, vi, & potentiâ, tyrannidem ad subeundam supplantare cœpit.

Hujus Nimrodi ſuſcepta alii, neſcio quo affectu, in bonam partem ſine ullis fundamentis rapiunt, nempe: *Eum Babyloniæ ita dominatum fuiſſe, ut vicinos vi coëgerit in unam imperii formam. A quo initium factum eſt, imperia armis conſtituendi, cùm antea plus valeret paterna autoritas & ſeniori patri cæteri ultrò parerent. Poſtea cùm mores deteriores fierent & graſſari aliqui rapinis & cædibus cœpiſſent, nec vellent à parentibus & ſenioribus coërceri aut prohiberi, neceſſe fuit, tales præſidiis reprimi, & ad judicium & pœnas pertrahi. Itaq; primùm imperia conſtituta per virum fortem præſidia ordinantem & ducentem. Quia ſine executione lex eſt inanis ſonitus, ut Æſchines inquit:* οὐδὲν ὄφελος πολιτείας μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπὶ ἀδικοῦντας, i. e. Nullus uſus Reipublicæ (eſt) non habentis vires adverſus improbos. *Ideòq; Nimrodum dici robuſtum venatorem coram Domino, i. e. Deo dante robur & victorias, & ſucceſſum in conſtituendo & exercendo imperio. Non enim retinetur obedientia, niſi Deo adjuvante, ut teſtatur Daniel: Deus transtulit & ſtabilit regna.* Conf. Chron. Carion. Part. 1. Latin. expoſit. & auct. à Phil. Melanchth. edit. Witeberg. 1562. p. 19. a. & b.

Sed omnes hi errant, qui ſuſcepta ſalubria de Nimrodo ſtatuunt & eorum ſententia veritati refragatur.

1. Quia omnes Doctores *coram Domino* in mala ſignificatione intelligunt. Chryſoſtomus quidem & alii *coram Domino* agnoverunt conſervante Deô; non autem propter facta & Nimrodi promerita, ſed ex miſericordia ſuper omnes. Alii ſic interpretantur per Antiphraſin, quod tyrannus Deo adverſus fuerit. Auguſtinus habet *contra Dominum.* Auguſtin. lib. 16. de Civ. Dei c. 3.

Lutherus: Quod tyrannidem ſuam titulo ordinationis Divinæ tutatus fuerit. Regiam enim poteſtatem à Deo, qui diſtribuit regna mundi (Dan. 2.) & inſtituit politicum Magiſtratum, accepit; tyrannidem verò ſub prætextu ordinationis exercuit. Nonnulli intelligunt; quod nihil curaverit, *coram Domino animadvertente & indignante* tyrannidem ſuam exercere. Quæ omnia ſuo modo, neutiquam verò in bonam partem admitti poſſunt. Vid. Luth. tom. Witenb. ad h. l.

2. Opera & conamina ipſius Nimrodi fuêre mala. In terra enim *Sinaar* vel *Senaar*, quæ Semitarum, ſe omnium ſupremum ejecerat; unde finis, tyrannis nimirum & oppreſſio Sanctorum in propatulo. Permulti adhuc Doctores exiſtimant: Turrim iſtam occeptam

 fuiſſe

fuisse illic, ubi ante diluvium maledicta urbs Hanoch vel Enos sita fuerat, ut & Lutherus cum aliis consensit.

3. Antiquum Targum Hierosolymitanum Nimrodi impietatem satis evincit arguens: *Turrim Babylonicam eâ intentione occepisse, quò in summitate ejus fanum, inque eo idolum suum erigeret. Insuperque majori spiritu elatum præsumsisse, à posteris insequenter hoc ad spectaculum undicunque collapsuris idolum istud instar Divini Numinis cultum iri. Operarios autem & ædificatores, qui omnes fermè erant tunc temporis simplices homines, vana gloria immortalis inde nominis competituri ad impium opus sedulò perficiendum persuasisse.* Targum Hierosol. vid. & Luther. in Genes. 10. & 11. ad h. l.

Architecti autem & primarii opifices turris Babylonicæ apud Poëtas *Meropes Gigantes* periphrasticè vocantur.

4. Flavius Josephus severissimè contra Nimrodum istum testatur: *Nabrodes* (ita enim nuncupat) *rem paulatim ad tyrannidem traxit, ratus fore, ut homines à Deo, ad se deficerent, si illis se Ducem præberet, opem suam offerens contra Deum novum aliud intentantem diluvium. Turrim enim ædificaturum promisit excelsiorem, quàm quo aqua adscendere possent, & insuper majorum suorum interitum ulturum. Vulgus autem perfacile Nabrodis placitis obtemperabat, nulli labori parcentes, nihilque sibi ad summam industriam reliquum facientes. Cùmque ingens esset operariorum numerus, succreverat opus supra quàm speraverant. Crassitudo enim tanta erat, ut proceritatem obscuraret. Struebant autem lateribus coctis ad firmitatem bitumine ferruminatis.* Fl. Joseph. lib. 1. ant. c. 4.

5. Firmissimè contra eum militat, quod Deus Omnipotens, tanti audacis Autoris proposito, ut contrario adversatus obstiterit. Ipse Deus impium susceptum impediturus sic loquens introducitur: *Ecce eadem est gens & eadem lingua, atque hoc ædificare susceperunt, non desinent ab inceptis suis, descendamus igitur & confundamus ibi labium ipsorum.* Gen. 11. v. 5. & 6.

Quàm immensa mala & divinarum rerum destitutiones, ex hac extorta & efflagitata linguarum confusione, evenerint, non enarrandum, ut cum aliis Lutherus statuit. Luth. ad h. l.

Quod cæteroquin prius illatum: *Principium regni Nimrodi fuisse Babel, Erech, Acad atque Calne in terra Sinaar*, quidam ita interpretantur urbem in quatuor partes divisam, quæ unô nomine vocatæ,

catæ sunt Babel. Tanta enim, Autore Plinio, magnitudine excelluit antiqua Babylonia, ut 46. permagnas tribus comprehenderit, ac contestante Aristotele, integræ regionis compar sese extenderit, mœnibus unis circumdata. Si enim Roma multò minor, in tot olim plagas reperiatur divisa, vastissimam hanc civitatem quadripartitam fuisse minus mirum.

Babylon juxta plerosq; Autores fuit Tetrapolis sive Quadriurbs. Item Ninus sive Ninive constans *Rehoboth, Ir, Cale & Resen.* Quin & Regia Jerusalem: *Sion, Bezeda, Moria & Akra, ubi Salem.* Sic quoq; Romulus Romam ædificans totum collem Palatinum accinxit & Tetrapolin reddidit constantem *Româ, Villiâ, Germaliâ & Forô,* ut exprimunt Q. Fab. Pict. de orig. urb. Rom. Varr. lib. 1. de ling. Latin.

Ipsius deniq; Jani & Etruscorum vel Hetruscorum Metropolis ETRUSCA erat Tetrapolis *Harbanum* (ubi Musarni Herculis columna diu permansit) *Volturna, Vetulonia & Para-Tussa vel Sara-Tussa.*

Quô pactô etiam Cicero Metropolin Siciliæ Syracusas quatuor magnis urbibus: *Tyke, Achradina, Neapoli & Insula* divisas asserit. Cic. lib. 6. Verrinar. contra Verrem. vid & Joh. Ann. Viterb. comm. in Xenoph. de æquiv. p. 122. a.

Alii malunt, hanc Babyloniæ complexionem diversas vel longè remotas & singulis muris separatas urbes concrevisse; quemadmodum Hexapolis Lusatiæ sex diversas urbes includit.

Potentissimæ huic ambitui resistebat ex adverso Nineve ab Assur constructa, simili formâ plures urbes vel conjunctim vel disjunctim in se comprehendens; ac Babyloniæ tandem victrix. Quum subsequente tempore Semitæ, auxiliantibus Japhitis, Nimrodicos superatos expulerunt.

CAPUT II.

De Mizraim secundo Chami filio & ejus posteris.

MIzraim pluraliter significat affligentes; Targum Onkelos habet MESRAIM; Fl. Josephus MESRES. In genere hoc nomine denotantur Ægyptii, Philistin, item Libyi, Cyrenenses &c.

In specie Ægyptii, ut pars principalis inde descendunt; ubicunq; enim

enim textus Ebraicus & Chaldaicus Mizraim habet, Græca plerumq; & Latina versiones Ægyptios reponunt. Flavius Josephus testatur: *Mesrais etiam sua mansit appellatio, Ægyptum enim Mesren & Mesraos Ægyptios vocamus, quotquot eam regionem incolimus.* Fl. Joseph. lib. 1. ant. c. 7.

Ac nunc quoq; Arabes & Turcæ Ægyptios nominant *Mitres & Mizres.*

Filii autem Mizraim erant octo. 1. Ludim. 2. Anamim. 3. Leabim. 4. Naphtuim. 5. Patrusim. 6. Casluhim, indeq; geniti. 7. Philistim, & 8. Caphthorim. De his omnibus D. Hieronymus è Josepho breviter recenset: *Exceptis Leabim à quo Libyos; & Casloim, qui deinceps Philistim nominati sunt, quos nunc corruptè Palæstinos dicimus, cæteræ sex gentes ignotæ sunt nobis. Quia bello Ægyptiaco subversæ usq; ad oblivionem præteritorum nominum pervenêre. Possederunt autem terram à Gaza usq; ad Ægyptum.* Hieronym.

1. *De Ludim Mizraim primogenito.*

Ludim pluraliter, i.e. *enixi,* Flavio Josepho est Lumæus. De hujus progenie admodum nihil certi affirmari potest. Philippus Melanchthon quidem Lydos Asiæ minoris populos hisce verbis inde deducit: *A Ludim Lydos ortos esse magis consentaneum est, quàm à Lud. Quia ex Ægypto brevis transmigratio ad litus minoris Asiæ, & mores Lydiæ gentis maximè conveniunt cum Ægyptiis.* Phil. Melanchth. lib. 1. Chron.

Hieronymus verò simulq; Josephus contrarium asserunt: *Ludim illius sive Lumæi maxima ex parte posteros cum confratribus populis ignotos nobis esse, quia bello Ægyptio subversæ usq; ad oblivionem præteritorum nominum* (ut jam perceptum) *pervenêre. Possederunt autem terram Gazam usq; ad Ægyptum.* D. Hieronym. & Fl. Joseph. ad h. l.

Ast hæcce sint ut sint; **Lydorum** tamen amplitudo major olim fuit, quàm quod ex hac particulari & obtrita obscurataq; stirpe provenirent; atq; plura testimonia tam sacra quàm profana Lydos à Lud denumerantia supersunt. Evidentius in ipsa dictione Lud reperies.

2. *Anamim secundus Mizraim filius.*

Anamim vel Enamim Josepho *Enamias, i.e. oraculum aquarum,* vel simpliciter fons vel os aquæ. De hoc Cyrenenses præsumuntur. Atq; inquit Philippus Melanchthon, *continuum est, quod dicunt*

dicunt nomen Cyrene esse & significare perinde urbem fontis ac ipsum nomen Anamim. Cùm autem certissimum sit, Ægyptum citò inhabitatam fuisse, inter prima enim & optima regna mundi refertur. Credibile est, statim quoq; inquisitam & occupatam fuisse uberrimam Cyrenen. Phil. Mel. cit. lib. ad h. l.

Prætereaq; qualem significationem nomen Anamim vel Cyrene importat, eandem miraculum fontis meridie frigidissimi, manè verò noctuq; calidissimi implet. Cyrenen quoque à Chamitis vel Hamitis initiatam fuisse, proximè à fonte isto situm templum Hammonis reposcit.

Quod alioquin apud Pindarum & Herodotum mentio fit stirpis Argonautarum in ea regione &c. minimè æstimandum est, primos possessores extitisse, nec ipsam Cyrenen à Batto Polymnestri, (ex Myniarum stirpe) filio post diluvium 1654. primùm ex insula Thera colonis impletam fuisse; sed, si innumerandi, posterioribus seculis postponendi forent.

3. *Leabim tertius Mizraim filius.*

Leabim vel Laabim pluraliter, id est, *flammei*. Ab hac stirpe magna bella gesta fuisse, Flavius Josephus testatur. Ex quo gentis immensa pristina potentia apparet, quoniam tota plaga mundi, quæ alioquin Africa arenosa intimatur, nonnunquam Libya insignita legitur. Notandum est, quod non universa Libya, licet aliquando nomen retinuerit, ab hisce posteris unicè vel solummodò repleta fuerit; sed aliis etiam nationibus Putæis, apprimè & Afris. Unde & ipsa Africa & Libya haud rarò in sacris literis una simulq; Put reperitur circumscripta.

4. *Naphthuim quartus Mizraim filius.*

Naphthuim, id est, reclusus. Josepho *Nethemus.* Hujus tam res, quàm posteritas in obscuro. Vid. Joseph. ad h. l.

5. *Patrusim quintus Mizraim filius.*

Patrusim, id est, roridi, madidi, ab Ebræo *Pat bucella & Resisim gutta.* Josepho Phœtrosimus. Unde fortassis nomen Pathros vel Phetros; cujus mentio fit Jes. 11. v. 11. Jer. 44. v. 1. Ezech. 29. v. 14. & 30. v. 14.

Nonnulli eosdem ac Parthos per Metathesin denotare volunt. Contra verò Lutherus hisce verbis se opponit: *Patrusim posteros existimo eos, quos Jesaias Pathros sive Phetros nominat, qui succedente*

dente tempore Africæ partem possederunt: sive, juxta aliorum opinionem, Numidas in Mauritania; Esaias enim istos, prope Ægyptios, in descriptione eorum, reposuit. Luth. in Gen. ad h. l.

6. *Casluhim sextus Mizraim filius.*

Casluhim, id est, conciliantes, Josepho *Cheslemus*. Sed incertus est, qualis propriè gens abhinc progenita. Scriptum, quod Moses de eo reliquit (*ab eo progressi sunt Philistim & Caphthorim*. Gen. 10. v. 14.) nonnulli ita intellexerunt: *Philistim & Caphthorim hujus fuisse natos &c.* Sed hac ratione Mizraim non habuisset octo filios, ut cum Fl. Josepho multi alii Interpretes atq; Theologi statuunt. Joseph. lib. 1. ant. c. 7.

Ipsi Ægyptii, veluti generaliter *à Mizraim*, haud insipidè specialiter *à Casluhim* denumerandi sunt. Atq; jam recitatum dictum: *Unde scilicet à Casluhim progressi sunt Philistim & Caphthorim*, quocunq; modo explicabitur, pro nostra parte conducit, Ægyptiis & Philistinis populis unius ejusdemq; farinæ & superstitionis existentibus.

7. *Philistim septimus Mizraim filius.*

Philistim quasi Phalischutim ruinam ponentes, prosternentes &c. Hi ex ipsis Bibliis quàm notissimi evadunt.

8. *Caphthorim octavus Mizraim filius.*

Caphthorim ab Ebræo Pathar Interpretes ænigmatum, augures, item occulti exploratores, item, arundinibus tecti. Posteri ejus juxta Davidem Chytræum cum Philistinis permixti in eodem litore maris Syriaci olim habitaverunt. A quibus Philistim digressi in loca prope Ægyptum secesserunt. Vid. Deut. 2. v. 23. Jer. 47. v. 4.

Præsumendum insuper est, Caphthorim, ut nomen præfigurat, insignes augures fuisse, quales & Philistim arguuntur. Jes. 2. v. 6.

Quidam Capadociam vel Cappadociam (non verò illam in Ponto prope Taurum, Armeniam & Moscoviam) prope Leuco-Syriam explicant. Vid. Ptol. lib. 5. Geogr. tab. As. 1. de Cilic. & Plin. lib. 6. c. 1. & seq.

CAPUT III.

De Put tertio Chami filio & ejus posteris.

PUt vel *Phut*, id est, crassus, juxta Josephum *Phutes*, primos colonos Libyæ dedit, deq; suo nomine Phutos dici voluit. Extat enim fluvius

fluvius in Mauritania hoc nomine. Et complures Græcorum Historici ejus mentionem faciunt, ut & adjacentis regionis. Fl. Joseph. lib. 1. ant. Jud. c. 7.

Cæterùm nomen Put pro Libya vel Africa sacris consuetissimum. Si quando enim textus Ebræus vel Chaldæus Put annotavit, Græci & Latini Interpretes Libyam vel Africam reposuerunt. Jer. 46. v. 9. Ezech. 27. v. 10.

Profani quoque Scriptores hujus antiqui nominis non penitùs obliti, tali appellatione flumen in Mauritania Plinio celebrandum reliquerunt. Ptolemæo autem sonat Phyth, qualis quoq; maxima urbs est ibidem. Vid. Plin. & Ptol. div. loc.

Insuper nomen Put cum regionis Mauritaniæ natura congruè convenit. Namq; reiteratum Put, teste Philippô Melanchthone, insimul cardineus triangularis exponitur, qualis est Mauritania, atque finis continentis terræ Oceano proximæ in Occidente. Ab hoc porrò nomen Regis Phaetontis, qui cum Epapho certavit, conjicitur. Phil. Melanchth. lib. 1. Chron. in pr. & seq.

Africa ergò inter cæteros incolas apprimè Putæi hujus & Leabim posteros accepit. A quibus pro rerum qualitate nonnunquam Put, nonnunquam Libya per Synecdochen quandam speciei pro genere, vel partis pro toto intimatur. *Mutavit enim* (ait Josephus) *præsens nomen ab uno filiorum Mefræi, qui vocatur Libys.* Fl. Joseph. divers. loc.

CAPUT IV.

De Canaan quarto Chami filio & ejus posteris.

CAnaan vel Chanaan, id est, Mercator filios reliquit undecim: Quales sunt:

1. Sidon vel Zidon ab Ebræo *Sud vel Sad*, id est, castra, vel tabernas metans. Teste Josepho, *urbem sibi cognominem condidit in Phœnicia, Sidonem quoq; à Græcis vocatam.* Ex qua, annotante Philippô Melanchthone, postea educti coloni propter dissensionem civium condiderunt in vicinia Tyrum. Sidonii enim & Tyrii navigatione & mercaturâ præcipuè excelluêre, propter maris mediterranei opportunitatem. Alii malunt, quod Thiras Japheti filius hanc urbem, antequam Japhitæ ex prisca patria discessissent, ædificaverit. Vid. Beros.

rof. lib. 5. sub gest. Bel. Jov. secund. Reg. Babyl. It. Johan. Func. in annal.

2. *Heth*, id est, oppressor, condidit Hebron Hethitarum vel Hethæorum civitatem, ubi aliquando Abraham habitaverat, ibidemq; locum sepulturæ emerat.

3. *Jebusi vel Jebusæus*, id est, contemtor, Jebusitarum vel Jebusæorum autor, qui olim possederunt Gazam & Jerusalem. Jos. 1. v. 21. & 15. v. 8. Jud. 19. v. 10. 2. Sam. 5. v. 8. 1. Paralip. 11. v. 4.

4. *Hemor vel Amorræus*, id est, contrarius. Pater vel fundator Hemoritarum & Sichemitarum. De quibus agitur Gen. 34. v. 35. It. Act. 7.

5. *Girgosi vel Girgosæus*, id est, seditiosus, Girgositas vel Girgosæos, qui in Novo Testamento Gergeseni vocatur, fundavit. Matth. 8. v. 78.

6. *Hivi vel Hivæus, item Evæus*, id est, Nuncius, Judex, item vivax ab Ebræo Hava, unde Heva mater viventium.

7. *Arci vel Arcæus* sectator Arcæos condidit, à quo etiam juxta Hieronymum Arcas oppidum contra Tripolin in radicibus Libani exstructum.

8. *Sin vel Sinæus*, id est, Rubus senticosus. Ab hoc desertum Sin nomen sumsisse censetur.

9. *Arvadi vel Arvadæus, item Aradæus*, id est, elatus, in finibus Judææ & Arabiæ petrææ urbem suô nomine condidit. Quin etiam Hieronymus Arvadios sive, ut ille pronunciat, Aradios, Aradam insulam, angusto freto à Phœnices littore separatam, possedisse scribit.

10. *Zemari vel Semari vel Samaræus*, id est, lana, laneus, item custos, Samaritas vel Samaræos progenuit. Juxta Hieronymum Edessen nobilem Syriæ Cœles urbem habuit.

11. *Hemathi vel Hamathi, item Hemathæus*, id est, iracundus. A quo urbs & regio Emath vel Hemath in finibus tribus Naphtali & montis Libani nomen accepit, cujus crebra in Bibliis mentio fit. Similiter Fl. Josephus & D. Hieronymus *nomen usq; ad sua tempora tam apud Syros, quàm Ebræos retinuisse, postea verò Epiphaniam cognominatam fuisse*, scribunt. Fl. Joseph. & Hieron. pass.

Cæterùm, pleraque harum gentium vocabula unà cum iis ipsis propter peccata, ut Patriarcha Noa prædixerat, interierunt. Universam autem ditionem hisce limitibus Moses descripsit. 1. ab Occidente fines erant Sidon, Gerar & Gaza. 2. Latus meridionale Sodoma,

doma. 3. Orientale latus Lasa, quæ postea Cæsarea Philippi dicta est. 4. Boreale Libanus claudebat. Gen. 10. v. 19. & 20.

Reliquas urbes *Sodoma, Adama, Seboim, Gomorra,* & earum interitus, item alia loca in Sacris explanatiùs reperies. Gen 19.

De Lasa autem scribit Hieronymus: quod ipsa sit, quæ postea Callirhoë dicta, ubi thermæ prorumpentes in mare mortuum defluunt. In specie meminit Josephus, *quod Herodes morbo correptus, quo & extinctus, calidis aquis Callirhoës ultra Jordanem Medicorum suasu foveri voluerit. Eumq́; fontem non modò vim medicam habere, sed etiam potu jucundum esse,* perhibet. Joseph. lib. 17. ant. c. 8.





LIBER IV.

De

SEM ET EJUS POSTERIS, hoc est, de Semitis.



Ala ominatio in Canaan jamdum antea prolepticè præcessit.

Præsens libellus Semi, Noæ quoad nativitatem secundi, quoad concessam dignitatem instar primogeniti reputati filii, præconia tractat. Paternum quoque votum devotum, quod Gen. 9. v. 26. ita se habet: *Benedictus sit Dominus DEUS Sem:* reportatum importat. Ejusdemq; porrò Regium Sacerdotium, atq; Messiæ Christi protypum sub divo agnomine Melchisedeci repræsentat. Tandemq; Semi curriculô vitæ breviter descriptô, liberôs posterosq; succedentes singulis capitibus annectit.

CAPUT I.

De Semi admirabili benedictione accepta.

ANno mundi 1559. ætatis Noæ 503. ante diluvium 97. ante Christum 2412. Secundus Noæ filius, Regale illud, simulq; Sacerdotale Ecclesiæ ac universi seculi lumen, progenitus. Divinâ inspiratione שם Sem vel Schem nominatus, totq; idemq; ac insignitus, namhafft/ sive potiùs sancitus, quoad Etymologiam ominatus. Quinimò SEM nomen ipsum significat, ad mysterium de promisso vero, in Mariam virginem Semitam descensuro, & humanam naturam assumturo nomine, Numineque, quod est supra omne nomen, præfigurandum. Vid. David. Chytr. in Gen. ad h. l.

Sem quoque vir pius & religiosus adultus prævalidam benedictionem à Noa patre decenter honorato assecutus, divinitùs sic apprecato:

בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵי שֵׁם

Baruch Jehova Ælohe Schem.

Chaldæus Paraphrastes habet:

בְּרִיךְ יְיָ אֱלָהָא דְשֵׁם

Berich Adonai Ælaha deschem.

LXX. Interpretes (--) ita: εὐλογητὸς κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Σήμ. *Benedictus Dominus DEUS Sem.* Gen. 9. v. 26.

CAPUT II.

De benedico & emphatico verbo Baruch.

EBraicum בָּרוּךְ singularem in se comprehendit Emphasin à verbo radicali בָּרַךְ Barach benedixit, Metonymicè, gratulatus est, salutavit, reverentiam præstitit, &c. quod cognationem habet cum בְּכוֹר Bechor, primogenitus; quia primogenitis olim competebat regulariter sacerdotium, in quo sunt benedictiones, & ipsis ut benedictis Domini genua flectebantur. Hinc nomen בֶּרֶךְ Berech, genu, ab ejus, in benedictionibus & precationibus, dimissione. Radix verò בָּרַךְ Barach, habet in Piel בֵּרַךְ Berach, & בָּרֵךְ benedixit intentè. In Püal בֹּרַךְ Borach, benedictus est. In Hiphil הִבְרִיךְ Hibbrich, fecit geniculari, decumbere, sich niederlassen. Hinc nomen בְּרָכָה Beracha, benedictio, salutatio, precatio pacis, reverentia, beneficium. Vid. Malach. 3. v. 10. Item: pax, seu munus, quô pax redimitur, ut accipitur Jes. 36. v. 26. ubi Targum שְׁלָמָא Schelama LXX. εἰ βούλεσθε εὐλογηθῆναι. Quin & donum Metalepticè, quia benedictiones non nisi DEI dona sunt. LXX. usurpant voces εὐλογία, εὐλογημένος. Gen. 12. v. 1. ubi DEUS ad Abrahamum וֶהְיֵה בְּרָכָה vehjeh beracha, erisq; benedictio, abstractô pro concreto posito h. e. eris maximè benedictus. Targum habet מְבָרַךְ Mebarach. LXX. εὐλογημένος. Invenitur etiam benedictio potissimùm spiritualis, non tamen exclusâ temporali vel corporali.

Propterea; Apostolus in Epist. ad Ebr. tam ad Gen. 9. hujus loci de benedictione Semi propriè & nominetenùs accepta, quàm ad Gen. 14 & Ps 110. sub agnomine Melchisedeci efficaciter distributâ benedictione respexisse videtur.

Sensus

Sensus igitur prædictæ benedictionis: *Baruch Jehova Ælohe Schem*, idem est, ac *benedictus Dominus Deus Sem*, tanquam primogenitus omnis creaturæ, qui est Messias dilectissimus Dominus noster Jesus Christus. Col. 1. v. 15. & 18.

Veluti autem essentia realis, typô vel archetypô suô, longè excelsior; veluti corpus umbrâ multò præstantius; ita Messias, secunda Divinitatis Persona, æternus Primogenitus, hominem mortalem & quidem præcisè secundum Noæ filium, ad exemplum sui, sic præparari ac ratione concessæ dignitatis, instar primogeniti ad peculiarem suum Sacerdotem eligere voluit. Unde etiam Noa verbum Baruch maximoperè direxit, adhibuit. Vid. Rom. 8. v. 23. & 29. 1. Cor. 15. v. 20. & 23. Col. 1. v. 15. & 18. Ebr. 1. v. 6. Apoc. 1. v. 5.

Quinimò verba ista: *Baruch Jehova Ælohe Schem*, in tota Sacra Scriptura, licet dissipatim, nullibi tamen, ut heic, conjunctim reperienda; summæ idcircò indaginis, maximiq; momenti persistunt; quin & mysteria gravissimi ponderis ibidem recondita constant. Idcòq; ipsemet Noa alteri religioso filio Japheto benignissimas paternas apprecationes apprecaturus, nihil excelsius, nihil pretiosius, quàm tabernacula Semi, h. e. Melchisedeci Sacerdotii collimationes præoptare scivit.

Justè igitur Augustini alibi licet pronunciatum encomium: *quot verba, tot pondera, tot miracula*, heic quoque applicare habeo.

CAPUT III.

De incomparabilis Semi benedictionis recognitione.

NOa animitùs insonuit: ברוך יהוה אלהי שם Baruch Jehova Ælohe Schem, i. e. *Benedictus Dominus Deus SEM.* Quasi diceret, quia tanta sunt, tamq; ardua & excelsa imò ineffabilia beneficia, quæ DEUS in Semum contulit, ut ne nominari quidem possint, benignissimus DEUS paucis restrictisq; verbis celebratus sit ac benedictus.

Benedictus sit Dominus Deus Sem. O raram & mysticam benedictionem! O admirabilem invocationem, adorationem, divinationem.

Reliqui Patriarchæ filios suos posterosq; ejusmodi prærogativa affe-

affecêre nunquam. Econtrariò verò DEUS Æternus & Omnipotens, tanquam Paternus DEUS & Avitus, nimirum: *Benedictus sit DEUS patris mei, DEUS patrum meorum & nostrûm*, ab omnibus successivis Patriarchis benedictus & adoratus conspicitur. Sic: *Jacob juravit per timorem patris sui Isaac.* Idem ille filiis Josephi bona vota impertiturus ita: *Deus! in cujus conspectu ambulaverunt patres mei &c.* ingemuit. Gen. c. 31. v. 5. & seq. c. 32. v. 9. c. 48. v. 15. Ps. 41. v. 14. Dan. 3. v. 26. & multoties alibi.

Nullibi profectò tota in S. Scriptura, Patriarcharum vel aliorum Sanctorum quendam invenies, qui in benedictionibus apprecandis ita elocutus fuerit: *Benedictus sit Dominus Deus filii mei.* Promissiones quidem de Messia competenter patefecerunt, semper tamen Maximum Divinum Numen, ut antiquorum Patrum Deum invocârunt.

Quare autem solus Noa, ac si ipse verum Deum non agnoverit, apertâ sententiâ: *Benedictus sit Dominus Deus Sem*, confessus est? Cur Semum ejusq; divinum cultum sibimetipsi, suoq; proprio cultui divino, prælocavit? præponderavit? Mysticis rationibus jam subsequentibus, Emphasiq; singulari ac industriâ factum est.

1. Ratione singularis divinæ adoptionis. Quia Sem DEI Omnipotentis (ut ita dicam) specialiter adoptivus & electus filius censendus. Tò nomen: Filius DEI: tripliciter considerandum competit (1.) κατ' οὐσίαν, secundùm essentiam, Uni, Vero & Essentiali DEI ab æterno filio, Messiæ dilectissimo Domino & Redemptori nostro Jesu Christo. (2.) Per adoptionem omnes fideles filii DEI in genere nuncupantur. Ephes. 1. v. 5. Gal. 3. v. 26. (3.) Singulariter DEO consecrati & devoti filii, quales Samson & Samuel extitêre, qui à cæteris mortalibus selecti, discreti & singulari virtute divinâ illustrati describuntur. Horum nostrâ cognitione primus post diluvium excellentissimus habetur & antesignanus Semus, atq; hoc passu excellentior patre. Si enim Omnipotentia Divina singulariter *Dominus Deus Sem* insignitur; correlativè Semus singularis DEI appropriatus filius inde reflectendus.

2. Ratione Semi stirpis. Licet enim universis populis desideratissimus Messias communiter promissus esset, tunc tamen soli Semo, soliqúe fideli inde descendenti Ebrææ proli assignatus celebratur. Quod verò posteriores Patriarchæ, quorum specialissimæ familiæ Messias examussim adseveratus, non eô modô: *Benedictus sit Dominus Deus posteritatis meæ*, adoraverint, majoris admirationis locum

cum hunc nostrum faciunt, altiores propter nimirum causas, quarum contemplatione solus Noa penes unicum Semum ejusmodi formula usus fuerit.

3. Ratione præcellentis Semi archetypici officii. Sem enim incomparabilis & sanctissimus DEI Altissimi Sacerdos, & incomparabilis Messiæ Christi archetypus. Præsesq; veræ Ecclesiæ & membrorum tunc temporis adhærentium religiosissimus æstimandus. Pro certo namq; statuitur, eum simul & Regem extitisse & Sacerdotem, inq; antiquissima *Salem*, quæ postea nominata *Jerusalem*, Regem Melchisedec claruisse adseritur; qui ipsi Abrahamo benedixit, acceptisq; vicissim decimis remuneratus præcelluit. Unde Regius Propheta David de Messia ejusq; officio vaticinatus consonuit: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Paulus quoq; in epistola ad Ebræos totam maximamq; operam de comparatione Melchisedeci & Christi impendit. Noa itaq; se ipsum filio suo inferiorem reputans: *Benedictus sit Dominus Deus Sem:* præclarè effatus. Ps. 110. v. 4. Paul. ad Ebr. per tot. Gen. 9. v. 26.

Canon alioquin Politicus: *Patrem filio officiis publicis præstituto cedere debere*, approbatur. Sic olim Fabius Maximus à filio Consule invitatus, ut inter se & proximum lictorem procederet, ne hostium Samnitium turbâ conventâ elideretur, ipse id facere noluit. Iterumq; ille Fabius Legatus ad Suessulam in castra missus, filio obviam progresso, ipse equitans non appropinquavit; quamprimùm verò filius id persentiens ab equo descendere imperâsset, continuò obsecutus: *Non ergò*, inquit, *fili! summum imperium contemsi, sed experiri volui, an scires Consulem agere; nec ignoro, quid patriæ venerationi debeatur, verùm publica instituta, privatâ pietate, potiora judico.* Liv. lib. 24. fol. 260. circ. fin. Aul. Gell. lib. 2. cap. 2. Val. Max. lib. 2. de Magistrat. hist. 4.

Si officia politica tantum obtineant, quantum magis hoc passu sacra atq; divina. Noa itaq; laudabili pietate hisce verbis: *Benedictus sit Dominus Deus Sem* coram Deo & Messia, cujus Sem incomparabilis archetypus futurus, sese humiliavit. Hoc respectu Semum majorem quàm natum suum æstimavit, ac si diceret: licet aliàs pater naturalis haberi possem, divina tamen providentia & illustratio te me majorem constituit; ideòque, quem naturâ natum accepi dilectissimum, nunc ratione præcellentis concessæ dignitatis me longè præstantiorem judico.

4. Ra-

4. Ratione Semi doctrinæ præstantiæ. Quia Regius iste Sacerdos sanctissimum Numen haud languidis & remissis, nec rudibus & confusis, neq; obscuris & implicitis traditionibus, quæ statim post diluvium increbescere cœperant; sed orthodoxa, accuratâ atq; explicitâ professione, ut Verum Trinunum Deum, essentialiter & personaliter consideratum, præ cæteris excellenter est veneratus & prædicavit.

5. Quia Sem, incomparabilis ille Messiæ archetypus, Messiam propioribus, quàm ipse Noa, & omnes alii, iconibus repræsentavit; Ideòque sæpè citatus pater Noa *Deum Sem* collaudare satius duxit. *Qui est benedictus in secula, & qui benedictione spirituali Ecclesiam donavit, & in quo omnes gentes benedicendæ sunt.* Ephes. 1. vers. 3.

CAPUT IV.

De Semo sub Divo agnomine Melchisedec.

ILlustre & honorificum insignium מַלְכִּי־צֶדֶק Malkizedek, idem est, ac Rex justitiæ, מֶלֶךְ Melech enim Ebræis Rex, & צֶדֶק Zedek, justitia, sine controversia vocatur. Malchizédek prius scriptum invenitur, sed Euphoniæ gratiâ *Melchisédec* magis usurpatur.

Sem autem Divo agnomine Melchisédec, Rex justitiæ atq; Sacerdos simul excelluit. Ubi distinguendum est inter Reges Patriarchicos solos primævos, qualis principaliter Semus præcelluit; quod & sanioribus Ethnicis præcognitum, ut ipse Aristoteles ex Homero: *In familiis gentium senissimum quemq; Regem fuisse*, fatetur. Aristot. lib. 1. Polit.

Et inter subsequentes Reges politicos innumerabiles, qui divina illa insignia sub prætextu religionis & integritatis assimilârunt, discernendum restat. Qualis extitit infidelis ille Cananæorum Regulus *Adonizedek*, i.e. Dominus justitiæ, qui ejusmodi sacrô titulô planè abusus præsumitur. Vid. Jos. 10. v. 1.

Ipse titulus Melchisédec Regem veracem denotat & justum. Solus Semus tunc temporis ejusmodi Rex Patriarchicus atq; Sacerdos inclaruit; unum ergò eundemq; extitisse oportet. Ita etiam Christus Sacerdos & Rex veritatis sæpenumerò collaudatus ostenditur. Divus Petrus, qui rectè olim à quibusdam Patribus, Novi Testamenti

Signifer appellatus, *totam Ecclesiam Regium Sacerdotium* subinnuit. 1. Pet. 2. v. 9. vid. & Exod. 19. v. 6. Apoc. 1. v. 6. & 5. v. 10.

Certissimè autem Semum Melchisedecum insignitum & appellatum fuisse, multis patet argumentis solidissimis.

1. Ex acceptæ benedictionis (cujus simile exemplum nullibi totius S. Scripturæ compar reperiendum) raritate efficaciter indigitatur. Singulare enim & admirabile illud Noæ, de Semo evlogium, & selectissima rarissimaque benedictionis formula singulare hominis miraculum (quod de Melchisedeco omnibus completè numeris redundat & concordat) necessariò inducunt, postulant, reposcunt.

2. *Tabernacula Semi* (ut Gen. 9. v. 27. describuntur) *& Melchisedeci Sacerdotium*, ejusdemq; mysteria in uno tertio, ergò & in una persona conveniunt. Huc quoq; Regius Propheta David, & Paulus in Epist. ad Ebr. rectè si inspiciuntur, collimârunt.

4. Licèt Semus Noæ filius secundus extiterit, dignitate tamen & honore primogenituræ, cui usq; & semper Regimen familiare & summum sacerdotium competebat præ fratribus affectus traditur. Vid. August in Gen. 9. ad h. l.

4. Ipse Noa Regium Sacerdotium sibi ipsi quasi detrahens, Regi illi primævo, atque trium alterius humani generis Patriarcharum antesignano Semo, non tantùm juxta Targumim Hierosolimitani & Jonathani, Naucleri aliorumve illuminatorum Doctorum sententias cònceffit, sed etiam illô ipsô benedictionis compendio approbavit. Vid. Targ. Hierosol, & Jonath. it. Naucler. & alios in Gen. 9. ad h. l.

5. Solus ita *Benedictus Dominus Deus Sem*, specialiter unius solius Semi (ut ita dicam) adæquati, peculiaris addictissimi Sacerdotis sui selecti & electi Altissimus Dominus præstitutus & præfigurandus Messias; iterumq; Semus uniusmodi talis Sacerdos eô ipsô correlativô sensu statuendus est.

6. Cui prædicata ista: *Regius vel æternus Sacerdos Altissimi &c.* competunt; iste est Semus. Melchisedeco competunt, E. Quamvis enim in V. T. promiscuè sacrificare primitùs licebat, ut multa præclara & communia exempla testantur; nullus tamen, præter Melchisedecum, æternus, Regius, Sacerdos, selectus, separatus, incomparabilis, diaphorus vel discretus à cæteris (quæ requisita soli Semo competunt) celebratus reperiendus; neq; compar vel concors inveniendus talis illius similis. David quidem Regius Propheta claruit,

ruit, sed neutiquam Regius Sacerdos; quia post leges datas ceremoniales simul esse, nemini regulariter & impunè licebat, ut exemplo Usiæ 2. Reg. 15. v. 5. patet. Quanquam objiciunt quidam, post reditum Ebræorum ex captivitate Babylonica non paucos fuisse simul Reges & Pontifices, nullius est momenti; id enim non juris, sed facti fuit, & infame initium habuit in Aristobulo, Hircani filio, homine sceleratissimo, qui cùm esset Sacerdotis filius, primus sibi diadema imposuit, sed quàm malè ipsi cesserit, legatur. Joseph. lib. 3. antiq. cap. 19.

7. Solus proinde, qui Regius Sacerdos demonstrandus, est Semus atq; reciprocè. Melchisedecus ex omnibus circumstantiis talis concludendus est. E.

8. Tempus & Synchronia Semi cum Abrahamo coincidit. Semus enim sexcentorum annorum ætatem egit; unde justâ computatione colligitur: Eum non modò tunc, quando Abraham è victoria Regum reversus est, ut benedicere ei potuerit, adhuc in vivis fuisse, verùm etiam ipsi Abrahamo triginta quinq; annis supervixisse patet. Gen. 11. vers. 10. vid. & Hieron. Epist. 126. ad Evagr. it. libr. de tradit. Ebr.

9. Situs & ratio loci convenit. Licet enim reliqui Semitæ ultra Euphratem habitaverint; Moses tamen de migratione Semi silentium egit. Semum proinde in civitate, quam sacram post evasuram conscivit, mansisse & coluisse, ibidemque propter excellentem Majestatem à Cananæis (instar hodiernorum Græcorum Patriarcharum à Turcis) imperturbatum, intactum & illæsum, jam & concessa utcunq; tranquillitate vixisse probabile est. Quod verò Moses insignes Melchisedeci virtutes percurrens, illum ipsum Semum fuisse, non expressè addiderit, tali honore eum haudquaquam defraudare voluit; sed, ut tunc in ore versabatur omnium, peculiari Periphrasi, sive Antonomasiâ quadam, sive κατ' ἐξοχὴν (veluti hodiè Regium Prophetam pro David, & Apostolum pro Paulo reperimus) *Melchisedecum Altissimi Sacerdotem tanquam Regium Sacerdotem* pro Semo, ad gentis suæ illustrandam nobilitatem, repræsentare & insinuare maluit. Vid. Targ. univ.

10. Recepta antiquissima autoritas dexteriorum Ebræorum, item Hieronymi priora judicia in Epist. 126. ad Evagr. & in de tradit. Ebr. nec minus explicatio epist. ad Ambros. Lyrani, item: Abulensis, item: Rungii in Gen. 14. Rupert. in Matth. item: Lyræ, Lutheri, & aliorum orthodoxorum judicia pro hac sententia pugnant. Confer

 Gesner.

Gesner. quæst. in Gen. 11. Frid. Balduin. disp. 8. in Epist. ad Ebr. 7. Walth. in offic. Bibl. it. Gerh. & Fridlib. com. in Gen. 14. & in Epist. ad Ebr. 7. &c.

CAPUT V.

De Salem, quæ postea Jerusalem & de Salim in Sichem.

CÆterùm pacificus Rex Melchisédec duo oppidula Sacerdotalia pro oblationibus hostiisq; pacificis instruendis fundavit, & ambo idcircò *Salem vel Salim* vocavit.

Primum Sacerdotale oppidum שָׁלֵם Schalem ab Ebræo שָׁלוֹם Schalom, i. e. pax, à radice שָׁלַם Schalam, pacem coluit. Græcè Σαλὴμ vel Σόλυμα, ubi postea Jerusalem ad oblationes pane & vino sacrificandas, de qua concepta materia.

Alterum Sacerdotale oppidum שָׁלֵם Schalem. Chaldaicè שְׁלִים Schelim, vel Ebraicè שַׁעֲלִים Schaalim, vel in margine שַׁעֲלַיִם Schaalajim, cujus singularis שַׁעַל Schaal, i. e. pugillus, à simili sed inusitata radice שָׁעַל Schaal. Vel à שׁוּעָל vulpes reputatur. Divus verò Hieronymus patria Stridonensis Dalmata, Vir inter Scriptores Ecclesiasticos maximus, qui sub finem seculi IV. & initium V. floruit, oraculum & lumen Ecclesiæ habitus, perinde posterius oppidum *Salim* à superiore שָׁלוֹם Schalom descendere docet. *Salim* autem Græcè ὁ Σαλεὶμ olim ad Sichemitas, postea ad tribum Ephraim juxta Scythopolin pertinuit, haud longius quàm X. Millia-ria Orientalia, non penitùs tria Germanica à priore *Salem* vel *Jerusalem* distans, juxta Jordanem & prope Ennon, i. e. aquas ad lavandum. Sacramentale enim ducebatur expiatio per aquas etiam de jure gentium. Itaque Melchisédec omni ex parte perfectus extitit N. T. typus, qui amborum verorum sacramentorum sacræ Synaxis & baptismatis parasceuas præmonstravit.

Hujus posterioris *Salem* vel potiùs *Salim* vel *Selim in Sichem* Moses reminiscuntur & Propheta Samuel. Illaq; ipsa denotatur, ubi suo seculo Johannes baptizavit, & ubi Hieronymi ita referentis ætate *palatium Melchisédeci* monstratum fuit. Gen. 33. v. 18. 1. Sam. 9. v. 4. Joh. 3. v. 23. vid. & Ann. Viterb. Com. in Xenoph. it. Hieron. suo loc.

Sed

Sed inter τὴν Σαλὴμ prope Jebus & Sion, quæ postea nominata est Jerusalem; & inter alterum *Salem* vel potiùs *Salim in Sichem* ad Jordanem, h. e. inter τὸν Σαλεὶμ per ει, & gen. masc. ut à Johanne exprimitur, probè distinguendum est. Joh. 3. v. 18.

Licèt alioquin Hieronymus in Epist. 126. ad Evagr. *Salem*, ubi conventus Melchisedéci & Abrahami describitur, rectè *Jerusalem* indicaverit; sine ratione tamen cogente ibidem discedit, & illam juxta Scythopolim sitam, quæ alio nomine dicta fuit *Sichem*, ubi Johannes baptizavit, concepit. Sed tutissimè juxta Psalmum *Salem* concernit heic *Jerusalem*; *ubi tabernaculum Messiæ est in Salem & habitatio ejus in Sion*. Ps. 75. v. 3.

CAPUT VI.
De Jerusalem in specie.

URbis *Jerusalem* juxta Euseb. lib. 9. præparat Evang. cap. 4. antiquissimum nomen fuit *Algariza*, quod arduum montem denotat. Dicta etiam est יְבוּס Jebus, i. e. calcata, ut Hieronymus interpretatur, quo nomine frequentia civium vias assiduè calcantium ostenditur, vel ab ipso fundatore יְבוּס Jebus.

Tertium nomen fuit שָׁלֵם Salem, Græcè Σαλὴμ vel Σόλημα, i. e. pax vel pacifica. Ultimum & usitatissimum est יְרוּשָׁלַיִם Jerushalaim.

Egesippus lib. 5. cap. 6. hanc vocem ex Græco ἱερὸν, & Ebræo שָׁלֵם Schalem, compositam esse, putat. Sed lingua Ebræa quippe purissima & perfectissima tales mixturas non admittit. Alii ex verbo רָאָה Raah vidit, & nomine שָׁלוֹם Schalom vel שָׁלֵם Schalem, quod pacificum & pacem denotat, componunt; unde videtur nominari contemplatio, visus vel prospectus pacis. Vel compositum nomen est ex יִרְאֶה Jirah, & שָׁלֵם Schalem, videbit, providebit pacem. Vid. Schindl. in voce שָׁלֵם col. m. 1878.

Jirahschalem, i. e. videbit pacem א mutato in י quod Ebræis valdè usitatum.

Sed communissima est sententia ex יְבוּס Jebus & שָׁלֵם Schalem, solo ב Euphoniæ causa in ר mutato. Idque non sine ratione prægnante; cùm Rex Jebus primam civitatem de suo nomine; peregrinus verò Sem sive Melchisédec concesso loco, alteram, ut ratiocinan-

cinandum, *Salem* ædificaverint. Unde ירושלים Jerushalaim, licet Syntaxis singulariter componat, speciem dualis numeri (quod quidam ad terrestrem & cœlestem Hierosolymam reflectunt) obtinet, ad indicandum, Jerusalem fuisse geminatam, sed post effectam unam, ex antiqua urbe Jebus in monte Sion, à Jebusæo fundata, & ex pacifica Salem in occidentali monte sita à Melchisedeco exstructa. Hinc in duas partes *Superiorem & Inferiorem* olim divisa legitur:

Superior in vertice Sionis sita erat, quæ postea Davidis civitas nominabatur, & unà templum complectebatur.

Inferior templo subjecta fuit. Unde & illud Davidis: *Tabernaculum ejus* (sc. Messiæ per tabernacula Semitica repræsentati) *est in Salem & habitatio ejus* (præsens Leviticum Sacerdotium) *in Sion*. Insuperq; Salem heic Jerusalem indigitare, Chaldæus attestatur Paraphrastes; item Fl. Josephus, qui eandem omninò à Melchisedeco conditam fuisse, tenaciter comprobavit. Psal. 75. Chald. paraphr. ad h. l. Joseph. lib. 7. de bell. Jud. cap. 18. Conf. Schindl. lex. pentagl. in voc. יבס col. m. 726.

Alii Jerusalem tetrapolim, quatuor olim montana oppidula complexam, statuunt.

1. Ad Meridiem mons Sion refertur summum jugum, ubi arx Jebusitarum excelsa, in qua superanda magnas vires adhibuit David, postea arcem suam nominavit, ut patet è lib. 2. Reg. c. 5.

2. Ad Septentrionem mons *Bezeda*, ubi medium *Jebus* oppidum; cujus planities mensuram habuit civitatis amplæ usq; ad voraginem inter se & subjacentem collem *Moriàm*. Quæ vorago Millo dicebatur. Hanc partem David excellentiùs, quàm antea ædificavit, suamq; perinde civitatem insignivit, ut patet dict. lib. 2. Reg. cap. 5.

3. Ad Orientem Moria tempore Melchisedéci & Abraham deserta. Quam partem pro templo David splendidè ædificaturus à Deo per Prophetam Nathan prohibitus Salomoni filio reliquit. Lib. 3. Reg. c. 3.

4. Ad Occasum *Ackra*, ubi *Salem* minima pars totius tetrapolis, eô situ, quo adspicitur *Moria*. Benè heic notandum, quod Abrahamus filium suum in dicto monte *Moria* sacrificaturus (sed retentus) non procul ab hac *Salem* ad considerabilem forsan ipsius Melchisedéci adspectum, gressum direxisse tradatur. Huic quoque urbi vallis

vallis Josaphat addicebatur, & porta Ephraim, Vid. Henr. Bunting. in descript. Jerusal. f. 39.

CAPUT VII.

De historia Melchisedeci & Abrahami.

ANnô Mundi 2033. post diluvium 376. post obitum Noæ 27. ante Christum natum 1938. ingens illud & cruentum bellum quatuor Regum adversus quinque in Palæstina, ubi etiam Lothus Abrahami frater captivus abductus, contigit. Ibidem Abrahamus armatis vernaculis trecentis & octodecim, victores Babylonicenses persecutus, Lothum fratrem, omnesq; captivos & substantiam amissam, insigni divinitùs prorogata victoria, recuperavit, reduxit, restituit. Tunc sanctissimus & præstantissimus mortalium (nullus enim religiosior alius remonstrandus) SEMUS ætatis suæ 474. sub Divo agnomine Melchisedec *panem & vinum obtulit, ipsi Abrahamo benedixit, atq; decimas ad recognitionem sacri dominii iterum recepit.* Vid. Gen. 14. per tot.

Sacer ulterius Codex in textu originali pergit Edit. noviss. Lipsf. in fol. an. 1657.

V. 18. וּמַלְכִּי־צֶדֶק מֶלֶךְ שָׁלֵם הוֹצִיא לֶחֶם וָיָיִן וְהוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן׃

V. 19. וַיְבָרְכֵהוּ וַיֹּאמַר בָּרוּךְ אַבְרָם לְאֵל עֶלְיוֹן קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ׃

V. 20. וּבָרוּךְ אֵל עֶלְיוֹן אֲשֶׁר־מִגֵּן צָרֶיךָ בְּיָדֶךָ וַיִּתֶּן־לוֹ מַעֲשֵׂר מִכֹּל׃

V. 18. Umalki Zedek Melech Schalem hozi laechem va-jain vehu cohen leel aeljon.

V. 19. Vajebarechehu vajomar baruch Abram leel aeljon kone schamajim vaarez.

V. 20. Ubaruch ael aelion ascher miggen Zaraecha Bejadaecha vajittaen lo maaser miccol.

Chaldæus Paraphrastes in opere Bibl. Eliæ Hutteri.

V. 18. ומלכי צדק מלכא דירושלם אפיק לחם וחמר והוא משמש קדם אל עלאה:

V. 19. וברכיה ואמר בריך אברם קדם אל עלאה דקניניה שמיא וארעא:

V. 20. ובריך אל עלאה דמסר שנאך בידך ויהב ליה חד מן עשרה מכולא:

V. 18. Umalki Zedek Malcha dirúschelem appek Lechem vachamar vehu meschammesch kodam El illaah.

V. 19. Ubarche vaamar berich Abram kodam El illaah dekinjaneh schemaja veara.

V. 20. Ubrich El illaah dimsar sanead Bichtach vihab leh chad min asrah miccolla.

LXX. Interpretes: V. 18. Καὶ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλήμ ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον. ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου.

V. 19. Καὶ εὐλόγησε τὸν Ἄβραμ καὶ εἶπεν. εὐλογημένος Ἄβραμ τῷ Θεῷ τῷ ὑψίστῳ, ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν.

V. 20. Καὶ εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ ὕψιστος, ὃς παρέδωκε τοὺς ἐχθρούς σου ὑποχειρίους σοι. καὶ ἔδωκεν αὐτῷ δεκάτην ἀπὸ πάντων. Edit. Francof. 1597. in fol. p. m. XI.

Vulgaris Latina versio:

V. 18. *Melchisédec Rex Salem proferens* (*eduxit*) *panem & vinum. Et ipse erat Sacerdos Dei altissimi.*

V. 19. *Et benedixit ei, & ait: benedictus Abram Deo altissimo, possessori cœli & terræ.*

V. 20. *Et benedictus Deus altissimus, qui tradidit hostes tuos in manum tuam. Et dedit ei decimas de omnibus.* Gen. 14. v. 19 & seq.

Melchisédec Rex Salem protulit panem & vinum; & ipse erat Sacerdos Deo Altissimo, & benedixit Abrahamo (prævalidam benedictionem à patre Noa impetratam communicavit) *& decimas ab eo accepit.*

An Melchisedecus panem & vinum sacrificaverit, sapientes Theologi discernant. Interim tamen sive affirmetur sive negetur, nulli articulo fidei præjudicat. Omnia enim typorum, archetyporum,

rum, protyporum & sacrificiorum genera, à Christo finita, dissoluta fuerunt atq; impleta; nullusq; typus alium typum vel sacrificium, cruentô vel incruentô modô, ætatem redintegrandum, præfiguravit. Quum præsertim ante Christum, unicum Melchisedeci protypon typicè sufficiens, ne post obitum ejus ulterior reiteratio opus esset; *licet Levitarum plures fieri oporteret*, Paul. ad Ebræor. 7. v. 23.

Rabbini porrò non Abrahamum Melchisedeco decimas dedisse, sed contrarium statuunt. Adversus quos notandum:

1. Licèt textus Ebræus, & LXX. Interpretes utroq; modô accipi possunt. (Quod enim in Codice Romano & Regio LXX. Interpretum additur Ἄβραμ, illud olim in Græco textu non extitit, cùm Hieronymus in Epist. ad Evagr. *tam in Ebræo, quàm LXX. hujus loci sententiam ambiguam esse dicat*) ex textûs tamen circumstantiis: Abrahamum Melchisedeco decimas dedisse, colligitur.

2. Melchisedeco utpote Altissimi Dei Sacerdoti, decimæ omni de jure debebantur.

3. Melchisedecus maximum evlogiæ beneficium Abrahamo antea exhibuit; itaq; Abrahamus, si prorsus nihil retribuisset, sed senissimo magis & benemerito Archipatriarchæ plus arripuisset, impudicus nimis & ingratus (quod absurdum) reputandus.

4. Paulò post Abraham juramentô confessus est, se de universis acquisitis nihil accepturum; Atqui si de Rege Sodom quicquam accipere renuerit, eò magis de Rege Melchisedeco.

5. Josephus & Philo, quod Abrahamus decimas dederit, non acceperit, accuratè explicant. Joseph. lib. 1. ant. c. 11. p. m. 25. Phil. lib. de acquir. erudit.

6. Nobis insuper Christianis omnem dubitationem tollit illa ad Ebræos scripta epistola Pauli Ebr. 7. v. 4. vid. & Gerhard. Comm. in d. epist.

Cùm igitur ex hisce pertractatis aliisq; Melchisedecum naturalem hominem fuisse appareat, nullus magis necessarius, omnibus rationibus impensè consideratis, quàm Semus concludendus. Cæterùm cùm & aliorum, alia de Melchisedeco, quod vel DEI Essentialis filius Messias, virtus Altissimi, vel Angelus reputandus &c. judicia esse, me non lateat, illa posterioribus capitulis deflexum relinquam. Interim proximiorem locum divinæ apparitionis V. T. contemplatio occupat.

CAPUT VIII.

De visibili Dei apparitione in V. T.

QUum Melchisedecus multoties variisque temporibus Numinis instar Divini celebratus conspiciatur, falsa prius removeatur ejusmodi hypothesis de Melchisedeco.

Alioquin, si quando DEUS sub forma humana Patribus V. T. apparuit, secundam personam utplurimùm apparuisse, plurimi orthodoxi Doctores statuunt.

Huc spectat illa quæstio: *an Filius DEI in V. T. sub forma humana vel Angelica apparens in propria hypostasi apparuerit.* Vel quæstio ita formetur: An Filius DEI secundùm propriam personam vel hypostasin Patriarchis V. T. apparuerit? Item: An Filius DEI, mediante aliquâ formâ, in applicata aliqua assumtione apparuerit? Vel an Filius DEI per unum aliquem vel plures Angelos (ita, ut Angelus ille visibili quadam specie assumta ad divinas vices vel legationes, hominibus offerendas & repræsentandas, ablegatus fiet) apparuerit?

Quod si apparitio in propria hypostasi, indicat 1. naturæ illius assumtionem in ipsam substantiam τῦ λόγυ. 2. Terminationem naturæ assumtæ per communicationem suppositalitatis divinæ; adeòque 3. quandam incarnationem. 4. Si ponatur natura illa assumta esse character illius hypostaseos. 5. Si statuatur ex tali unione personali, communicatio idiomatum &c. Quod si, inquam, per apparitionem in propria hypostasi hæc quinq; intelligantur, dogma hoc, tanquam monstrosum, explodimus, & negamus Filium DEI in immediatè sibi appropriato, verè tamen appropriato corpore apparuisse.

Sed in immediata appropriatione, vel in forma quadam appropriata, ita quidem, ut tota SS. Trinitas tale corpus formaverit & effectivè produxerit, sola autem hypostasis Filii terminaverit (planè velut columbam ad Jordanem tota SS. Trinitas formavit, sola autem Spiritus S. hypostasis terminavit) omninò asserimus: Filium DEI apparuisse in propria hypostasi. Fuit ergò hæc unio illius corporis tantùm appropriatio quædam ad personam, non intra personam, quia nec naturalis nec personalis, nec in carne per sonaliter unita contigit; sed œconomicè tantùm & accidentaliter, & tantùm ad repræsentandum, verè tamen & αὐλοπροσώπως facta.

CAPUT

CAPUT IX.

De diversis, quis Melchisedec fuerit, opinionibus.

ANnô Mundi 4144. post Christum natum 174. regnante Imperatore Severo I. secta vel hæresis Melchisedecianorum, autore Theodoto, Theodoti primi Corionis discipulo, emersit, ut refert Alexand. Ross. in lib. de var. relig. part. 3. Europ. Ubi citantur Autores Tertul. de præscript. c. ult. Epiph. hæres. 55. Augustin. Theodoret. lib. 2. fab. hæretic.

Illi Melchisedeciani, referente Epiphaniô, Melchisedecum, tanquam unigenitum ipsum ac essentialem DEI Filium, in specie humana Abrahamo olim subortum, imaginati; eidem tanquam virtuti Altissimi templa exstruxerunt & foca fecerunt. Quinimò hoc amplius docuerunt: *Melchisedecum fuisse maximam quandam virtutem, supernè in innominatis locis ingressam, ipsô Christô majorem. Christum enim simpliciter venisse, atq; hinc appellari Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec.* Quas verò nugas ipse ibidem refutavit Epiphanius. Epiphan. lib. 2. hæres. 55. Vid. & August. ad quæst. quæ vult Deus. c. 34. it. Autor. quæst. ex utroq; Test. sub nom. Aug. quæstion. 109. Confer & Alphons. de Castro lib 10. advers. hæres. tit. Melchised. Sixt. Senens. lib. 5. biblioth. annot. 90. p. 33. Frider. Balduin. disp. 8. in Ep. ad Ebr. 7. th. 5. it. Gerh. & Fridl. com. in Gen. & in Ep. ad Ebr. ad h. l.

Restant adhuc quatuor diversæ & ambiguæ de Melchisedeco opiniones sive potiùs quæstiones: 1. Num ipse fuerit Messias, virtus Altissimi sive essentialis DEI filius, qui tali assimulato corpore, quale postea assumturus esset, hominibus se manifestâsset. 2. Num Spiritus Sanctus ad tempus inter mortales mutuatâ formâ versatus fuisset. 3. Num Angelus extitisset. 4. Num Cananæus quidam regulus fuisset.

CAPUT X.

Num Melchisedecus proprius DEI essentialis Filius Messias habendus.

ADmirabile fateor & conspicuum paradoxon, sanô sensu Messiam tempore antiquissimorum patrum publicè circumversatum

percipere; sed S. Scripturæ non convenit. Nihilominus tamen nostrô quoq; seculô supersunt, qui Melchisedecum irreprehensibili quasi hypothesi, proprium Messiam extitisse, vultum & habitum corporis, quod in plenitudine temporis gesturus esset, amplexum, imaginariis & confusis rationibus diffundunt. Quæ in ordinem redactæ ita se habent.

1. Ab Etymologia quoddam argumentum petunt: veluti nimirum S. Codex multa DEO hujusmodi nomina ex re nata aptet, quorum omnis posita vis in significatione rei, de qua tunc fortè agebatur, foret, ut *Ebie Ascher*, alibi *Ebie & Immanuel* dictus; ita nunc *Melech Salem & Melchisedec &c.* Vox *Melech* Ebræis Regem *Zedec* justitiam, *Salem* pacem notat, quod tyronibus in Ebraismo non ignotum. Itaq; *Salem* non esset heic nomen urbis. Atq; ex Apostolo deflectunt: πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὅ ἐστι βασιλεὺς εἰρήνης. *Qui primùm quidem ex interpretatione dicitur Rex justitiæ, deinde verò etiam Rex Salem, quod est Rex pacis.* Ergò duo hæc nomina *Melchisedec & Melech Salem* non aliter ac pro meris appellativis haberi debent. Petr. Cunæus de Republ. Ebr. lib. 3. c. 3. de Melchised. in pr. cap.

Sed hæc vana concepta opinio, aliorum repugnantium autoritate reservatâ, contra intentionem Geneseos est, ubi *Melchisedec* tanquam honoris & officii nomen copulatum, *Melech* verò & *Salem* separata. Insuperque, falsa si obtineret hypothesis, haud quaquam *Melech Salem*, sed *Melchisalem*, ut Ebræi ejusmodi nomina composita formant, consonare deberet.

Est etiam contra intentionem Apostoli, qui prædictum caput ita exorditur: οὗτος γὰρ μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου. ὁ συναντήσας Ἀβραὰμ ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων, καὶ εὐλογήσας αὐτόν. ᾧ, καὶ δεκάτην ἀπὸ πάντων ἐμέρισεν Ἀβραάμ. πρῶτον μὲν &c. *Hic erat Melchisedec Rex Salem, Sacerdos DEI Altissimi, qui occurrit Abrahæ revertenti à cæde Regum, & benedixit; cui & decimas omnium divisit Abraham. Primum quidem &c.* Apostolus igitur nomen retinuit proprium *Melchisedec*; alterum merum appellativum *Melech* in βασιλεὺς transmutavit; tandemq; *Salem* alterum proprium nomen urbis, eorum juxta naturam, iterum servavit & recepit. Quandò verò Apostolus subsequenter: *quod primùm ex interpretatione Rex justitiæ, deinde Rex Salem*, i. e. Rex pacis dicatur: apponit, ad nomina, uti est mos, ex interpretatione, tantummodò allusit.

2. Tò:

2. Τὰ: *Erat Sacerdos Dei Altissimi*: sive ita πρὸς τὸ σχῆμα τῦ ἱερέος, sive ad habitum Sacerdotis, adversarii pervertunt. Sed quid hoc aliud est, quàm rerum & personarum ludibria consectari? Ex sola apparitione haud quaquam officium illud præclarissimum: *Erat Sacerdos*; (sed quod ita videretur) reddendum fuisset. Neque ex sola apparitione illud: *Erat Rex*; sed, quod ita videretur, notandum fuisset.

Juxta plurimos quidem Theologos clarissimos secunda Divinitatis persona, scil. filius, ut plurimùm, in V. T. apparuit, sed ad differentiam Angelorum statim manifestatus comparuit. Ita Genes. 18. qui Abraham adiit, DEUM fuisse, expreßè declaratur. Hujusmodi verò de Melchisedeco non appositum, quia apponi non potuit. Nec alibi indigitatum, quia nec Abrahami, nec Mosis, neq; Davidis, neq; Apostoli, Melchisedecum veluti ipsum Deum Messiam venerari, intentiones fuerant.

DEUM porrò Abrahamo ad quercum Mambre apparuisse, tectum subiisse, cibum divinâ flammâ absumsisse, mutuisq; colloquiis sese delectâsse, appositè, quod DEUS fuerit, demonstratum. *De Melchisedeco vero, qui panem & vinum obtulit, & vicissim decimas recepit*, nihil Divinitatis unquam reperiendum.

Prætereaque Filium DEI privatim quidem Patriarchis V. T. apparuisse non inficiandum; sed munus publicum subiisse Sacerdotale, ac in corona multorum convenientium (ut ibi Salem contigit) obtulisse, benedixisse, & decimas recepisse, claris Scripturæ literis refragatur. Ipse quum Apostolus publicum revelationis modum adducens: *Sæpè Deum antea per Prophetas, novissimè autem* (scilicet publicè) *per filium locutum fuisse*, ait. Paul. ad Ebræor. 1. v. 2.

Deinde in sæpè citata epistola non extat: *Melchisedec assimilatus est Sacerdoti*. Illud verò è contrario expressum resultat: ἀφωμοιωμένος τῷ ὑιῷ τῦ Θεῦ, *assimilatus est Filio Dei*.

Ἀφωμοιωμένος autem cum ipsa proprietate realiter nunquam concurrit. ut ἀφομοιῦντες τῇ ἀληθεῖ τὸ ψεῦδος, *assimilantes veritati falsum*. It. τὰ εἴδη τῶν Θεῶν ἀφομοιῦσιν οἱ ἄνθρωποι: *Deorum formas sibi homines assimilant*. Plat. lib. 2. de Repub.

3. Christi effatum Joh. 8. v. 56. *Abraham gestit videre diem meum, & vidit, & gavisus est*, id uni Abrahamo contigisse, & singulare quiddam fuisse, adversarii supponunt; ac si de cæteris illud dicere-

ceretur: *Multi Prophetæ & justi (Reges) voluerunt videre, quæ vos videtis & non viderunt.* Matth. 13. v. 16. Luc. 10. v. 23.

Ad quod regerendum: vidit Abrahamus diem sive adventum Christi Messiæ spiritualiter per fidem, vidit per certos præfiguratos typos: vidit, quò propriè heic collimatur sensu, per singulares manifestationes. Si quando enim DEUS sub humana specie Abrahamo apparuit, secunda Divinitatis Persona apparuisse creditur. Quod verò uni Abrahamo (de quo tunc temporis quæstio sola erat) contigerit, neq; exinde, nec alibi sequitur. Multi quidem tali apparitione destituti fuêre, sed non omnes. Insuperque Melchisedecus non soli Abrahamo, sed impræsentiarum obversatus.

4. Vaticinium Davidis, quod simul in Epistola ad Ebræos repetitum extat: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec vel quemadmodum Melchisedec,* subtrahunt ita: Tu es ille ipse justitiæ pacisq; Rex, ille Sacerdos, qui vivis æternusq; es, quem Abrahamus vidit, & Melchisedecum appellavit, cum majori eum atque ampliori nomine haud appellare posset. Sed si Psalmi, epistolæque verba accuratissimè considerantur, mera comparatio inter archetypum Melchisedec, & essentiam Messiam Christum allucescit. Quinimò juxta adversariorum opinionem ejusmodi hinc eveniet sensus: *Tu es Messias secundum ordinem Messiæ, &c.* quæ (cùm vera collatio sit inter duos) deformis esset & S. Scripturæ infrequens locutio, protypon excludens. Articulatiùs remonstratur eâdem epistolâ per: ἕτερον ἱερέα κατὰ τὴν τάξιν μελχισεδὲκ, *alium* (non illum) *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec.* Item paulò post, ubi hæc verba leguntur: καὶ περισσότερον ἔτι κατάδηλόν ἐστιν, εἰ κατὰ τὴν ὁμοιότητα μελχισεδὲκ ἀνίσταται ἱερεὺς ἕτερον. *Et adhuc amplius manifestum est: siquidem secundùm ordinem Melchisednc exsurgat alius Sacerdos.* Ep. ad Ebr. 7. v. 11. & 15.

5. Reliquæ adversæ, sed debiles rationes in totius ad Ebræos septimi capitis sinistrâ interpretatione, præcipuèque horum verborum falsô intellectu consistunt: ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, h. e. *sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neq; finem vitæ habens, &c.* Cæterùm, auxiliante DEO allegata epistola propediem sensu, si non omnibus requisitis perfectissimô, certô tamen & genuinô, explanata succedet. Plura de hac opinione vid. ap. Petr. Cun. Rep. Ebr. lib. 3. c. 3. per tot.

CAPUT

CAPUT XI.

Num Melchisedecus Spiritus S. haberi possit.

HIerax Ægyptius apud Epiphanium, eumq; secutus Autor (scriptum est supposititium) quæst. ex utroq; Testam. sub August. nomine, statuerunt: *Melchisedecum fuisse Spiritum S. habitu humanô ad tempus assumtô inter homines versatum, ideoq; dictum esse ab Apostolo: sine patre, sine matre, sine genealogia &c.* Unde & Hieracitarum hæresis orta. Qui error inter Augustini libros, de quæst. V. & N. T. repertus ab Augustino alibi inter hæreses censetur hæres. 34.

Sic & alius Autor ἀνώνυμος scriptum Hieronymo transmisit, ubi putavit Spiritum S. fuisse, qui sub nomine Melchisedeci Abrahamo apparuit; sed rejectus damnatusq; ab Hieronymo legitur.

Quum profectò Melchisedec naturalis homo comprobetur, quod per totum institutum manifestabitur, omnes meræ spirituales attributiones sponte suâ cadunt. Vid. Frid. Bald. analys. in Epist. ad Ebr. 7. disp. 8. th. 6. Item Gerhard. & Fridlib. in Genes. & præd. Ep. ad h. l.

CAPUT XII.

Num Melchisedecus Angelus haberi possit.

INter Veteres etiam prodiêre, qui Melchisedecum non hominem, sed Angelum fuisse dixerunt, referente Augustino in quæst. in Genes. quæst. 72. Cujus opinionis Autorem Origenem, asseclas Didymum Alexandrinum, & Evagrium, Hieronymus Ep. 126. ad Evagr. arguit. Ambrosius autem ad Judaica ludibria istam opinionem refert lib. de fid. c. 5.

Sæpè citatus Cunæus parùm discrepans effatus: *Magni nostra interesset, extare Origenis homilias, in quibus multa de Melchisedeco, teste Hieronymo, disputavit, ac tandem illuc perduxit rem, ut Angelum fuisse eum diceret. Quæ opinio, etsi nobis non admodum placeat, quia incommodi quiddam habet, tamen laudanda est præ ista, quam Hieronymus & cæteri sunt amplexi veteres recentioresq; Quod manifestum faceremus, si opus esset. Certè magno fuit Vir ingenio atq; excellenti eruditione Origenes, ut non immeritò scien-*

tiam illius optaverit Hieronymus, etiam cum invidia nominis. Fuit simul quidem perniciosiorum quorundam dogmatum Autor; sed tamen, quia præstantissimus S. Scripturæ Interpres, ita spernendi ejus errores fuêre, ut nihil derogetur summis ejus virtutibus, Petr. Cun. cit. loc. in fin.

Omnes autem opiniones illæ, quæ pro vera historia imaginarium quoddam visum obtrudunt, iisdem argumentis, quibus priora revelli, refelliq; queunt.

CAPUT XIII.

Num Melchisedecus Cananæus Regulus habendus.

IRenæus, Hippolytus, Eusebius Cæsariensis, Apollinarius & Eustathius (Eustachius) quem primum vidit Episcopum Ecclesia Antiochena, & alii, quos Hieronymus in Epist. ad Evagr. recenset, conjecerunt, Melchisedecum fuisse Cananæum quendam Regulum. Huic sententiæ assurrexêre quoq; Flavius Josephus & Egesippus. Joseph. lib. 1. ant. c. 11. & lib. 7. de bell. Jud. c. 18. Egesip. lib. 3. de excid. Jerus. c. 9.

A nonnullis verba ista ἀπάτωρ, καὶ ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, in eum sensum: ignoti vel obscuri patris, ignotæq; matris & genealogiæ trahunt. Vel quod Moses propter ignominiam parentes ejus genusq; reticere voluerit. Suidas verò: *Ex Side filio Regis Ægypti vel Libyæ deduxit; sed quod ex detestabili statu progenitus fuerit, quam ob causam ipsius genealogiam esse innominatam.* Epiphanius hæres. 51. à quibusdam traditum refert: *Patrem Melchisedeci, Eraclam, Matrem verò Astaroth sive Asteriam audivisse.*

Eustachius Antiochenus nugator: *Ideò genus Melchisedeci taceri, quia majores ejus indigni erant, qui cum viro tantæ virtutis nominentur.* Athanasius fingit: *Ejus imprecationibus effectum esse, ut terra ima dehisceret, patremq; illius & cunctos absorberet consanguineos; atq; hanc esse causam, cur eum Apostolus sine parentibus & sine genere fuisse dicat.* Omnium pessimè quidam ex Judæis fabulantur: *Mosen ideò nihil de parentibus Melchisedeci commemorare, quod ex fornicario concubitu esset natus.* Hieronymus lib. 1. contra Jovian. vocem ἀγενεαλόγητος interpretatur *sine nuptiis*, & ex eo *Melchisedecum cælibem fuisse* colligit. Sed sicut exinde, quod Melchisedec vocatur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, non potest colligi,

ligi, quod patrem & matrem non habuerit; ita ex isto, quod ἀγενεαλόγητος dicatur, non potest colligi, quod nullos habuerit liberos vel posteros. Vid. Gerhard. & Fridlib. comm. in Gen. & in Epist. ad Ebr. ad h. l.

Huic tamen fabulæ Cornelius à Lapide & Theodoretus hisce adstipulantur ratiunculis: *Quia 1. de Melchisedeco hæc dicuntur, ad aliam tribum pertinere, de qua nullus altari adstitit.* Cit. Epist. 7. v. 6. & 15. *Ergò genus ejus diversum fuit à gente Ebræorum, ad quam Semus pertinet.* Quæ verò ratio irrita est. Melchisedecus enim vel Semus non ex Levitis, sed Levitæ ut & plures gentes ab eo dependebant. Quinimò *ad aliam tribum*, scil. ad gentiles *tabernacula Semi tandem assecuturos, pertinuit.* 2. *Non esset*, adversarii formant, *probabile; Mosen defraudare voluisse SEMUM isto honore, quin addidisset: Melchisedec hic est Sem &c. ubi insigne factum recitat.* 3. *Melchisedec habitasset in Canaan, Semitæ verò trans Euphratem primitùs consedissent; neq; ullum remigrationis à Semo factæ vestigium foret apud Mosen, qui diligenter tamen Abrahami secessionem annotavit.* Quæ duo posteriora erronea objecta præcedenti capite quarto, ration. 9. §. de Melchised. satis enucleata.

His omnibus unicum opponendum: Gentes Cananææ Gen. 9. v. 25. exitio fuerunt devotæ; ideóq; Sacerdotem hunc neutiquam à posteris Canaan; eoq; certius Semum, cùm à justitia & sanctitate nomen acceperit, fuisse, firmissimè argumentari possumus.

Ad clausulam tandem elegans Hieronymi noëma de Melchisedeco (licet quoad personam non accuratum, quoad contenta tamen consentaneum) & Christo subjungere allubescit. D. Hieronymus retulit: *Ordinem illum multis modis interpretamur: Primò, quod solus & Rex fuerit & Sacerdos. Secundò, quòd ante circumcisionem functus sit Sacerdotio, ut non Gentes à Judæis, sed Judæi à Gentibus Sacerdotium acceperint* (putabat enim Hieronymus, Melchisedecum fuisse Cananæum.) *Tertiò, quòd unctus fuerit non oleo Sacerdotali, ut Mosis præceptum instituit, sed oleo exsultationis & fidei puritate: Quartò, quod non carnis & sanguinis victimas immolaverit, nec brutorum animalium sanguinem dextrâ susceperit; sed pane & vino, simplici puroq; sacrificio Christi indicaverit salutem.* Hieron. cit. Ep. ad Evagr.

Quibus in verbis, quamvis illud de Melchisedeco, ut Cananæo Regulo habito, non analogum; sufficit tamen, Hieronymum ordinem

illum Melchisedeci de typo & adumbratione eorum intelligere, quæ postmodum à Christo fuêre adimpleta. Atq; dum ex omnibus argumentis & rationibus, Melchisedecum naturalem hominem extitisse constat, nullus commodior Semo & propior accedere debet. Vid. Frid. Balduin. analys. in Ep. ad Cor. ad h. l.

CAPUT XIV.

De autoritate Psalmi 110.

1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dextram meam; donec subjiciam inimicos tuos ad scabellum pedum tuorum.*

2. *Virgam vel sceptrum fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.*

3. *Populus tuus spontaneus in die victoriæ tuæ in decore sancto. De utero, ante auroram, est tibi ros nativitatis tuæ.*

4. *Juravit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec &c.*

IPse Christus personam suám, quod non merus foret naturalis homo, ex Psalmo isto contra Pharisæos defendit, ejusmodi quæstionem formans: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? cùmq; illi responderent, Davidis; ait: quomodo ergò David in spiritu vocat eum Dominum? dicens: dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos subsellium pedum tuorum. Si ergò David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus erit? Et nemo poterat ei respondere quicquam.* Matth 22. v. 24. usq; 45.

Illô ipsô Psalmô Apostolus noster usus contra Ebræos obstinaces, ut Messiam, non secundùm leges & ceremonias Mosaicas, *sed secundùm ordinem Melchisedeci*, ratione Divinitatis, Abrahamô & Mose antiquiorem & excellentiorem, æternô suô Regiô Sacerdotiô functurum ostenderet. Quod & validissimum contra Judæos argumentum æstimo.

Sed hodierni contumaciores & deteriores Judæi, ut in aliis S. Scripturæ locis textum, si non perperare & corrumpere possunt, detorquere tamen & pervertere solent, ita & in hoc Psalmo nullis argutiis parcunt, nullis vaframentis.

Petri Cunæi hac in parte justam animadversionem verbotenùs penè mutuare non displicet: *Rabbi Aben Ezra ait: Psalmi istius auto-*

autorem non esse Davidem, sed quendam מֵהַמְשׁוֹרְרִים Mehammeschorerim, *è Cantoribus. Itaq; cùm statim initio dicitur: Dixit Deus Domino meo, sede ad dextram meam, donec &c. verba hæc non sunt Davidis de Messia; sed ut ipse vult, Cantoris de Davide; ut hic sit sensus: Locutus est Deus Domino meo Davidi: esto rerum omnium securus, hostes enim tuos Pelistæos sic omnes fundam, ut eorum capitibus insultes. Posteaquam plura in eandem sententiam dixit Psaltes, tandem adjicit: juravit DEUS, & non pœnitebit: Tu es Sacerdos in æternum, ut Melchisedec. Persæpè Spiritus Divinus Reges, Principesq; & Doctores populi, Sacerdotes appellat; quia ceremoniarum ad eos, religionumq; cura & tutela pertinuit. Itaq; eris Sacerdos, regnabis, eritq; tibi summum imperium in cives tuos. Illud verò in seculum putat Rabbi Kimchi dictum ob hanc causam, quia Saulis fuerat exsecrabilis & brevis potestas. At David inter res lætas, florentesq; consenuit. Sequitur, sicut Melchisedec. Heic non idem sentiunt Judæi. Rabbi Abraham ait:*

הַטַּעַם שֶׁיִּשְׂרָאֵל (*) יִלְחֲמוּ וְאַתָּה תִקַּח הַמַּעֲשֵׂר כַּאֲשֶׁר לָקַח מַלְכִּי צֶדֶק מֵאַבְרָהָם׃

Hattaham schejisrael Jilchemu (pro Jlchom) veatta thikkach Hammahaser Kaascher lakach malki zedek meabraham.

Mens (verborum est) pugnabit Israel, & tu decimas (prædæ) accipies, ut Melchisedec accepit ab Abrahamo.

(*) Puto hic esse vitium Typograph. pro ילחום in singulari. Quod retinendum, quia sine punctis ponitur apud Cunæum ילחמו ubi facilè ו ante מ ponere, & sic errare potuit Typographus ex Officina Elzeviriana, Lugdun. Batav. atque sic etiam Minzelius Curiensis, 1666.

Rabbi Moses ne ad historiam quidem hæc retulit; sed Chaldæum secutus Targumistam, cujus est hæc interpretatio:

דאנת מתמני לרבא לעלמא דאתי בגין זכותא דהויתא מלך זכאי׃

Tu constituêris Dux Princepsq; annis consequentibus, idq; propter justitiam, quia es Rex justus. Ita enim accipio verba Chaldaica, inquit Cunæus, *quæ alii secùs intellexêre. Ut ad pauca redeam, memorat plures id genus Psalmos Aben-Ezra, in quibus non David, sed Cantor quisquis fuit ille, de Davide loquitur. Inter eos est Psalmus 20. Exaudiat te, Deus in die angustiæ. Tum & is qui se-*

quitur: Domine! in fortitudine tua lætabitur Rex. Item 72. Sed his omnibus repugnat luculentus locus Matth. 22. ubi Pharisæos interrogatione illaqueat ipse Christus. πῶς Δαβὶδ ἐν πνεύματι κύριον καλεῖ χριστόν; &c. Petr. Cunæus de Repub. Ebr. lib. 3. c. 3. de Melchisedec. circ. fin.

Paucissimis meo ingeniolo obviandum: Quamvis obfuscati Judæi sensum istius Psalmi, prout pravus eorum genius susurrat, Novum Testamentum rejicientes, detorqueant; attamen Semum, qui sententiæ ipsimet constantissimè patrocinantur, *Melchisedec* cognominatum, coram mundo exiguum Regium Sacerdotem in peregrina *Salem* fuisse; sed nihilominùs sanctissimum & incomparabilem Sacerdotem, priusquam circumcisio & leges ceremoniales introductæ, excelluisse, ipsoq; Abrahamô & Mose, respectu sacerdotii, non potentiæ majorem extitisse, inficiari nequeunt.

Davidem porrò quæsiti Psalmi autorem & Melchisedec ibidem propriè ut agnomen Semi accipi, ipse titulus, sensus, antiquitas & ipsa formatio nominis testantur.

Igitur quando David in Spiritu vaticinatus: *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam donec &c.* Nullatenus hoc modo politica potestas comparari potuit; sed aliud nimirum spirituale Messiæ sacerdotium significari necesse est.

Cæterùm evenit Judæis, ut locô eorum Japhitæ *in tabernaculis Semi habitent.* Ipse Semus olim inter Ethnicos Cananæos sacerdotium habuit, & procul dubium auditores aliquot & adhærentes obtinuit, Christus inter universos Gentiles dogma suum dispertitus, modicam collegit Ecclesiam.

Quoties autem S. Scriptura *salutem Messiæ Ethnicis* promittit & repetit, ille de Japheto libellus succedens demonstrabit.

CAPUT XV.

De levidensi explicatione Epistolæ ad Ebr. 7.

TOtam ad Ebræos Epistolam profundorum arcanorum, in puncto præsertim Melchisedeci plenissimam, à non omnibus verò ritè & decenter explanatam esse, neminem latet. Abstrusa & difficillima moles hisce insistit verbis: ἀπάτωρ, καὶ ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων: h. e. *sine patre, sine matre, sine genealo-*

nealogia, nec initium dierum, nec vitæ finem habens. Paul. ad Ebr. 7. v. 3.

Melchisedecum hominem fuisse Paulus haudquaquam negat; contra verò non communem, sed singularem & selectum hominem præ aliis extitisse, hisce verbis: *Erat Rex, erat Sacerdos sine patre, sine matre &c.* maximè adseverat. De genuino autem intellectu inter Autores non convenit.

1. Nonnulli ignorantiam ingenuè fatentur, & S. Scripturam singulari ratione id ignorari voluisse prætendunt. Et licèt à quibusdam inquisitum, levioribus tamen, quam par fuit, & obsoletis, quas prætermisi, ratiunculis collinitum.

2. Parentes aliqui sub nomine Semi, non sub nomine Melchisedeci habuisse tradunt. Quæ ratio post evidentius dilucidetur.

3. Alii *sine parentibus*, i. e. majorem vel digniorem parentibus volunt. Id verò labascit, quum naturaliter omnes homines, cujuscunq; etiam conditionis parentes habuisse oporteat; ac licet quis major parentibus fuerit, sine parentibus tamen nemo purè naturalium hominum censendus.

4. Prævalet ex istis inferioris notæ sententiis; ac si Melchisedecus ἀγενεαλόγητος, i. e. *sine parentibus & genealogia* ita simpliciter introductus foret; ac si Ebræis suis Apostolus ingesserit: Vos gloriosi Ebræi! qui genealogias & electas familias, qui Abrahæ gradus & lineas, qui ordinarium & successivum Leviticum Sacerdotium tantoperè existimatis, magnifacitis, omnibusq; præfertis, ut nauseam inde acceperim sæpiusculè, Collegasq; meos ab ejusmodi intricationibus (1. Tim. 1. v. 4. & ad Tit. 3. v. 9.) dehortatus sim. Ecce intuemini! heic longè antecellit Regius Sacerdos Melchisedec, sine titulis, sine divi generis ambagibus, imò *sine patre, sine matre* (aliàs enim parentum nomina, ut Gen. 36. in gente Edom *Rex Bela filius Bechor, Rex Jobab filius Zare de Bosra &c.* plerunq; annexa leguntur) *sine genealogia* amplissimè diffusæ posteritatis plurimarum gentium, sine nativitate deniq; & discessu ita nudè & simpliciter repositus. Ecce! Hic erat, ante circumcisionem & leges, Sacerdos, & quidem Regius ac incomparabilis summus Sacerdos, cui ipse Abrahamus, perq; eum ipsi Levitæ decimas tribuerunt. Quodq; maximum: *secundùm ejus ordinem*, non secundùm Levitarum victimas, Messias Regium Sacerdotium suum, Davidis attestante vaticiniô, instituturus, commonstratur. Attamen *sine patre, sine matre, sine genealogia, sine initio & fine dierum* à Mose & Davide ita humiliter & simpliciter ex abru-

abrupto quasi introducitur. Ut sententiæ huic penitùs assentirer, pulcherrimâ apparentiâ primitùs adductus, sed aliquô modô retraxit me versiculus 8. ejusd. cap. ubi non inditum: cujus mors vel discessus recitetur à Mose, nec ne; sed contrarium potiùs: *De quo Davidis testimonium extat:* ὁ μαρτυρούμενο ὅτι ζῇ, *quod vivat*, scilicet, quod æternùm vivat, singulari cum emphasi ad differentiam Levitarum, qui in eodem commate ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι *mortales homines* appellantur. Totus textus ita se habet: καὶ ὧδε μὲν δεκάτας ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι λαμβάνουσιν. Ἐκεῖ δὲ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. *Atq; hîc quidem decimas morientes homines accipiunt. Ibi autem is, de quo testimonium extat, quod vivat.* Paul. ad Ebr. 7. v. 8.

5. Nonnulli quidem, ùt Cornelius à Lapide comment. ad h. l. sic explicant: *Ac si Melchisedecus forsan non mortuus, sed vivus in cœlum transiverit.* Verum hoc non est cum S. Scriptura commentari.

6. Alii sic explicant: *Quod ita introducatur, quasi adhuc viveret, cùm obitus non exprimatur.*

7. Quidam immortalitatem ad solum Christum antitypum tantùm trahunt; sed hoc passu Melchisedecus protypon rotundè non conferetur.

Ac licèt 8. virtutibus alioquin æternitas juxta illud Horatii: *Dignum laude virum, Musa vetat mori &c.* attribuatur: Sicq; hoc respectu καθ' ἐξοχὴν *viveret perpetuò*, Levitæ verò tanquam multò inferiores mortui habendi. Attamen huc respexisse Apostolum non verisimile; cùm & Levitæ nonnulli tali æternâ memoriâ florescerent.

CAPUT XVI.

De spirituali interpretatione prædictæ Epistolæ.

MElchisedeci sacerdotium ita extollendum est, ne plenariæ Christi Salvatoris satisfactioni aliquid derogetur. Æternum celebratur, (nullum alioquin Sacerdotium vel protypon æternum dici potest) non ratione propriæ virtutis, sive energiæ, vel efficaciæ, sive perdurationis; sed, aliis reservatis, ratione inspiratæ collimationis ad futuram Æterni Salvatoris institutionem præfigurandam examussim directæ. Omnis autem vis, potentia, efficacia & completio soli virtuti Altissimi, Salvatori nostro Jesu Christo, adscribenda sunt.

Neque

Neque extenuandum celebratum sacerdotium. Quamvis Psalmo benè cognito insertum nomen τὸ, æternum: Messiæ propriè, Melchisedeco figuratè, ita nimirum: *Tu es propriâ virtute verus Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedeci*, attributâ virtute æterni, dispartiri possit; vera tamen & æterna illa comparatio, sanô sensu illibata potiùs observari debet. Quantumvis prædictæ epistolæ contenta: *sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, nec vitæ finem habens &c.* aliorsum jejunè deflectenda forent; interpretationi tamen temporali spiritualem adjungendam esse, sive inter Physicam, & contemplationem mysticam satius distinguendum esse evincit.

Spiritualia proinde sive cœlestia prædicata ista Melchisedeco mysticè competunt.

1. *Semus agnomine Melchisedecus æternus Sacerdos, sine initio dierum* prædicandus est, ratione peculiaris æternæ electionis. DEUS namq; incomprehensibilis omnes suos dilectos *ab omni æternitate in Christo prævidit & elegit*; sicq; per consequens multifariis officiis administrandis prædestinavit; juxta illud Apostoli: *DEUS quosdam dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, Pastores & Doctores.* (1. Cor. 12. v. 7. Eph. 1. v. 4. & c. 4. v. 11. Tim. 1. v. 9. Tit. 1. v. 2.)

Ad distinctionem verò Levitarum (qui non peculiari ejusmodi tali selectione ut Melchisedec, sed communi electione processerunt) quod attinet; illorum succedaneum sacerdotium tempore certô legibus ceremonialibus initiatum & introductum, respectu hujus ab æterno selecti & singulariter inspirati protypi, temporaneum, determinatum & disterminatum distat.

2. Ratione divinæ adoptionis. Nomen enim τὸ Filius Dei tripliciter considerandum. Semo singulariter specialiterq; competiit. Deus itaq; eundem ab æterno ad singularem specialemque, non communem, sed separatam à cæteris, peculiarem Altissimi Sacerdotem & incomparabilem præfigurandi Messiæ archetypum præparavit, secrevit, illuminavit; Filiumq; specialemque, juxta illud Noachicum vaticinium ratione qualitatis & relationis maximè amplificandum, spiritualiter appropriavit, adoptavit, adscivit, elegit. Hoc, inquam, respectu, *Sem agnomine Melchisedec* ante nativitatem, *Sacerdos Dei extitit Altissimi, nec initium dierum, nec vitæ finem habens*, sc. cum aliis mortalibus communem. Vid. sup. c. 1. & 2. de Semo.

3. *Sine patre, sine matre, sine genealogia &c.* h.e. Sem agno-

mine Melchisedecus, licet quatenus homo vel puer natus, parentes Noam cum conjuge habuerit; quatenus Regius Sacerdos tamen sine parentum additione, solâ dependentiâ divinâ ita declaratus, & à cæteris seclusus est. Quemadmodum æternum perfectum suum præfiguratum antitypum, Messias *nominatus est ab Angelis Jesus, antequam in utero virginis conciperetur.* Ut & prodromus ejus: *vocatus Johannes*, (non vocandus) repræsentatur. Luc. 1. v. 63. & 2. v. 21.

4. *Sine patre, sine matre, sine genealogia &c.* h. e. non mediantibus, adjuvantibus, instituentibus, conducentibus, vel cooperantibus istis, sed solo delectu, separatione & secretione divinâ, Regius prænotatur Sacerdos. Insuperq; ad discrimen præcipuè Levitarum, qui ordine legali, ceremoniali atq; nativitate coincidente Leviticâ, Sacerdotes facti & quasi prognati dicendi; ordo autem Melchisedeci ab æterno selectus, temporali altari ceremoniali non addictus prædicatur.

5. *Melchisedecus æternus Sacerdos, de quo testimonium extat, quod vivat*, sc. quod unicus & solus talis ejusmodi æternus DEI Sacerdos, etiam post discessum, vivat ratione genuinæ collimationis, optumè commodissimèq; declarandus est. De quo antea.

6. Levitæ ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι *intermorientes homines* (ut ipsô versiculô 23. & 24. patet) *ideò dicuntur, quia plures eorum facti fuerunt succedanei Sacerdotes, quod per mortem non sinerentur permanere.* Atqui cessante tunc Sacerdote, etiam sacerdotale officium cessabat. Unici verò Melchisedeci sacerdotium typicè suffecit; neq; post discessum ejus ulterior successio vel imitatio vel continuatio methodi ejusmodi opus erat.

Hinc 7. *Melchisedecus & Messias* nihil impediente morte naturali *Sacerdotes æterni celebrati*, superviventibus post discessum eorum sacerdotiis; unius illius in genuina collimatione; unici istius in effectu.

8. Quinimò, quod Leviticum sacerdotium succedaneum, & mortale fuerit; istud verò à Melchisedeco repræsentatum, perpetuum, æternum, atq; salvificum, multis innumerabilibus spiritualibus rationibus commonstrari potest.

9. *Melchisedecus Regius Sacerdos ab æterno in æternum permansit*, non quidem ratione functionis perpetuandæ, neq; minus realiter, neq; saltem virtualiter (omnis namq; realitas, virtus, intercessio & propitiatorium in solo Messia Christo redundant) sed ratione

tione clarificatæ apparentiæ. Quemadmodum enim Moses & Elias sub cognobili, procul dubium, Prophetico habitu promicuerunt. Quemadmodum porrò Elias curru cum equis splendidis igneis & visibilibus ut Triumphator in cœlum est translatus. 2. Reg. 2. Quemadmodum Apostoli ut Judices tribunalibus insidentes apparebunt. Quemadmodum denique Doctores orthodoxi ut Jubar Solis; & justitiæ Duces siderum instar splendebunt. Ita solus Melchisedecus in apparentia Regii Sacerdotis præfulsurus insinuatur.

10. Melchisedeco etiam prædicata ista sive encomia *Regii æterni Sacerdotis*, ut temporali, ita & æternâ quasi periphrasi, ad concomitativam antitypi Christi perfectam collimationem attribuenda sunt.

11. Propter cœlestem talem clarificationem, Melchisedecus porrò ad differentiam Levitarum, qui expressè mortui dicuntur, non mortuus, sed æternùm vivus Sacerdos prædicatur. Quæ distinctiva periphrasis Levitas non damnat, sed eatenùs discernit: quod Melchisedecus non tanquam communis ἀποθνήσκων, sed tanquam cœlestis Regius Sacerdos vivat. Dum èccontra Levitarum tanquam extinctorum Sacerdotum vel privatorum hominum in vita æterna statuatur respectus.

12. Melchisedecus deniq; *sine patre, sine matre, sine genealogia* perinde ratione æternæ clarificationis introducitur: *Ubi beati nec nubent, neq; nubentur*, nullasq; consanguineas societates degunt; *sed instar sunt Angelorum DEI in cœlo.* Quod & Christus alibi notificare voluit: *Clarifica nunc me, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui prius, quam mundus fieret apud te.* Et paulò post: *Non pro iis rogo tantùm, sed & pro istis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint.* Item aliô locô: *Omnes filii DEI eritis,* Tandem quid aberit, quin & alibi idem Apostolus in statu præsenti locutus ad futurum collimaverit: *Induentes novum eum, qui renovatur ad agnitionem DEI, secundùm imaginem ejus, qui creavit eum: ubi non est masculus & fœmina, Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber. Sed omnia & in omnibus Christus. Sitis ergò induti, tanquam electi DEI, sancti & dilecti.* Matth. 22. v. 29. Joh. 17. v. 5. usq; 23. Gal. 3. v. 26. Col. 3. v. 10. & seq.

Insuperque Christus vitam beatorum demonstrans, induxit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob. Deus autem*

 non

non est Deus mortuorum sed viventium. Quin & antè Christi nativitatem sancti Patres eâ fiduciâ mortui sunt, quod scirent: *Spiritum redire ad eum, qui dedit illum, & animam justorum esse in manu DEI. Omnesq; Sanctos in manu illius contineri, & in conspectu ejus vivere.* De qua vita & actionibus beatarum animarum multa, quæ prolixitas vetat, dicenda forent. Matth. 22. v. 32. Exod. 3. v. 6. Deut. 33. v. 3. Sap. 31. v. 1.

Itaq; Melchisedecus vitæ æternæ, quam aliis sine dubio prædicavit, singularem prægustum etiam in vita temporali præsensit, tandemq; assecutus.

CAPUT XVII.

De comparatione Melchisedeci & Christi.

MYsticis istis periphrasibus pro modulo virium resolutis, ad ipsam comparationem Melchisedeci & Christi, quæ procedens ita se habebit, pergam.

1. *Sem agnomine Melchisedecus* Altissimi DEI Filius (ut antea perceptum) ab æterno singulariter præadoptatus, selectus, selegatus & cæteris mortalibus excellentior, ad præfigurandum veri Messiæ verum idioma, ita illuminatus insinuatur. Messias Salvator noster gloriosissimus etiam alibi V. ac N. Testamentorum ut proprius DEI essentialis filius declaratus obvenit, ut: Ps. 2. v. 7. *Tu es filius meus &c.* Item alibi:

וּמַה־שֶּׁם בְּנוֹ כִּי תֵדָע׃

Umah schem beno ki theda.

Et quod nomen filii ejus, quod noveris? Prov. 30. v. 4.

Qui locus clarissimus de Deo Omnipotente Patre & essentiali Filio ejus indubitatò agit. In N. T. multoties, tam sæpissimè dilucidatur, quàm suavissimè.

2. Sem agnomine Melchisedecus non communis homo, (licèt naturalis homo, Noæ filius) sed præ cæteris electus, selectus, selegatus & secretus, divinisq; aliis ineffabilibus prærogativis adauctus ad miraculum usq; præstitit reliquis mortalibus; juxta illud Noæ vaticinium: *Benedictus sit Dominus DEUS Sem. Atque: Dilatet DEUS Japhet & habitare faciat in tabernaculis Semi,* h. e. *Melchise-*

chisedeci præfigurato Sacerdotio. Prævaluit κατ᾽ ἐξοχὴν Messiæ protypon juxta Pauli declarationem ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, *assimilatus est Filio DEI.* (Ipsi tamen antitypo Messiæ multò inferior cessit.) Christus namq; omninò haud merus naturalis homo, sed DEUS antea & insimul æternus cum Patre æterno æqualis essentiæ, secundùm illud:

וּרְאִיתַנִי כְּתוֹר הָאָדָם הַמַּעֲלָה יְהוָה אֱלֹהִים׃

Urithani kethor haadam hammaalah Jehova Elohim.

Et vidisti me, secundùm dispositionem hominis, excellentiæ Domine Deus. 1. Paralip. 17. v. 17. juxta Ari. Montan.

Juxta versionem Lutheri, du hast angesehen mich / der in der Gestalt eines Menschen GOTT der HErr in der Höhe ist. 1. Paralip. 18. v. 17.

Huc etiam respicit vaticinium illud gloriosissimum: *Ecce Virgo prægnans est, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Immanuel.* Esa. 7. v. 14.

Item: *Parvulus enim natus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus; & vocabitur nomen ejus: Admirabilis, Consiliarius, DEUS fortis, pater futuri seculi, Princeps pacis.* Esa. 9. v. 6.

Item alibi: *Et hoc est nomen: (quo vocabunt eum) DEUS Justitia nostra!* Jer. 23. v. 6.

Item: *Adspiciebam ergò in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & usq; ad antiquum dierum pervenit. Et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum. Et omnes populi, tribus & linguæ, ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Dan. 7. v. 13. & 14.

Itemq; adhuc: *DEUS dixit: & salvabo eos in Domino DEO suo.* Ose. 1. v. 7.

Ex Novo Testamento vid. Joh. 1. v. 1. Rom. 9. v. 5. 1. Joh. 5. v. 20. &c.

3. Sem agnomine Melchisedecus secundus Noæ filius, sed honore primogenituræ & præeminentiæ condonatus, ex tribus Patriarchis præcipuus, Vir maximi generis, Rex atq; summus Sacerdos, regimen familiare relinquens, propria de patria, ex terra Semitarum in peregrinum tunc temporis solum, ultrò pauper discessit, *Salemq;* condidit.

Christus secunda Divinitatis persona, & æternus primogenitus, de throno majestatis ultrò se exinanivit, & humanâ naturâ assumtâ molem terrestrem diversatus, ubi non totidem proprii possedit, quo caput reponeret suum sanctissimum.

4. Melchisedecus prout nomine & omine Rex pacis, sive salutis audivit, non strenuus Tyrannus, multò minùs bellicosus politicus Monarcha extitit, nec fieri affectavit, nedum bello isto immixtus legitur; sed justus, sincerus, pacificus, verax, mitis, humanus & humilis Rex erat Patriarchicus, pauper advena inter Gentiles, cujus Regia sedes *Salem,* quæ ut nomen proprium, civitatem, ut appellativum, pacem, salutem significat. Sed quò humilior in terra, eò sublimior æstimatus in cœlo. De Messia Christo Patriarcha Jacob ita modificatus: *Non auferetur Sceptrum de Juda & Dux de femore ejus, donec veniet, qui mittendus est, Siloh.* (Rex salutis vel Salvator.) *Et ipse erit aggregatio Gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & filium asinæ suæ ad vitem. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Oculi ejus rubicundiores sunt vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Item alibi: *Non austerus erit,* sed gratiosissimus, amœnissimus, humanissimus, *formosissimus mortalium.* Genes. 49. vers. 10. &c. Jes. 42. vers. 1. &c. Psalm. 45. vers. 3.

Cui & alibi Vates Jesaias & præsertim Zacharias accinuerunt: *Princeps erit pacis.* Item alibi: *Ecce Rex tuus tibi veniet justus, mansuetus & Salvator. Ipse pauper & adscendens super asinam & super pullum filium asinæ.* Esa. 9. v. 6. item 62. v. 11. Zach. 9. v. 9. Matth. 21. vers. 5. Marc. 11. vers. 7. Luc. 19. vers. 35. Johan. 12. vers. 15.

Christus ipse de suo veritatis & lenitatis regno Pilato respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset, ministri mei utiq; certarent, ne Judæis traderer. Nunc autem regnum meum non est hinc. Quærentiq; porrò Pilato: Ergóne tu Rex es? iterum respondit: Rex ego sum, atq; in hoc natus & in mundum veni, ut testimonium veritati feram.* Joh. 18. v. 36. & 37.

5. *Melchisedecus* non solùm perhumanus, humilisq; Rex extitit, sed etiam Sacerdos. Et inprimis quidem ante circumcisionem & leges ceremoniales excelluit Sacerdos benignus, beneficus, promptus, liberalis, officiosus, tractabilis, accommodabilis, subserviens, qui spontè obviam progressus, *panem & vinum obtulit, ipsiq; Abrahamo benedixit.*

Exopta-

Exoptatissimus Messias, ut ipse promptus Sacerdos & sacerdotale piaculum DEO Omnipotenti (ut in Genesi totius S. Scripturæ per periphrasin primariò capite promissus erat) seipsum ultrò obtulit, ita morigerans: *Sacrificia & oblationes noluisti, aures autem aperuisti mihi; holocausta & sacrificia pro peccatis noluisti. Tunc dixi: Ecce venio! in capite libri* (in Genesi) *scriptum est de me, voluntatem tuam, DEUS! facere delector.* Gen. 3. vers. 15. Psalm. 40. vers. 7.

6. *Melchisedecus æternus Regius Sacerdos DEI virtute* ita illuminatus prædicatur. Eòque porrò collimavit Regius Propheta, de Messia vaticinans: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Multis imò S. Scripturæ locis Messias declaratur tanquam *Regius Sacerdos.* Quod & Propheta Zacharias *de Regio Sacerdotio Messiæ* divinans contestatus: *Ecce Vir,* צֶמַח Zemach, *nomen ejus, & subter eum* יִצְמָח Jizmach, *germinabit. Et ipse ædificabit templum Domini, & ipse exstruet templum Domini, & ipse portabit gloriam. Sedebit & dominabitur super solio ejus, & consilium pacis erit inter ipsos ambos.* Ps. 110. v. 4. Zach. 6. v. 13. it. c. 3. & 6. per tot.

Divus Daniel *Regium nostrum Sacerdotem* ita introduxit: *Septuaginta hebdomadæ decisæ sunt:* (post pauca interjecta) *& ungatur Sanctus Sanctorum.* Dan. 9. v. 24.

7. *Melchisedecus* intimus fidelis inclaruit Sacerdos; veruntamen respectu Messiæ typus modò & simulacrum extitit.

Christus enim fidelissimus, usq; ad mortem fidelissimus Sacerdos præstitit, qui officium immolationis exercendo, *seipsum, pro peccatis, DEO Patri obtulit.* Quod & Propheta Jesaias prædicavit: *Oblatus est, quia ipse sic voluit. Et non aperuit os suum, veluti ovis ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente obmutescit.* Cui & Divus Petrus adstipulatus est; *Ipse peccata nostra protulit (obtulit) in corpore suo super lignum.* Item Paulus: *Non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemtione repertâ.* Esa. 53. v. 4. quod cap. de prior. humilit. & insecut. sublimit. leg. per tot. 1. Pet. 2. v. 24. Paul. ad Ebr. 9. v. 12.

8. *Melchisedecus obtulit panem & vinum & benedixit &c.* O admirabilem omnium typorum architypum & protypon! O ineffabilem ante annorum aliquot chiliades verax & genuinum præsagium!

gium! Tu proinde, Melchisedece beatissime! hac præfiguratione: *panis & vini:* solo consideratâ, (aliis typis compluribus unà observatis) sacerdotii illius Regii, veracis & æterni præfigurator cluis æternus, imò ante leges Mosaicas excellentissimus. In oblationibus enim Mosaicis simplex panis & vinum prorsus non usu venerunt. Regius ergò Propheta David, dum Messiam futurum ita: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec &c.* effigiaret, leges Mosaicas excludendo cassavit.

Christus namque *secundùm ordinem Melchisedeci* S. Cœnam Novi vel renovati Testamenti præcisè *in-cum-& sub pane & vino*, sive mediantibus panis & vini symbolis, sanctissimum corpus suum pro nobis in mortem traditum, & sanctissimum sanguinem suum pro nobis in ara crucis effusum, cum cœlesti benedictione instituit. Tu proinde, suavissime Jesu Christe! solô hoc antitypô, quinimò potiùs aliis compluribus sanctè & accuratè perpensis: *Vicissim Sacerdos & Satisdator es in æternum secundùm ordinem Melchisedeci* efficacissimus, ut Regius Prophetarum Psalmista & Apostolorum Coriphæus concinuerunt. Ps. 110. v. 4. Ebr. 7. & 9.

Obstinaces igitur Judæi istud, juxtimq; illud: *Japhet in tabernaculis Semi habitare* justè & sincerè animadvertant; contra verò dictum Mosis; *Prophetam sicut me Dominus excitabit de fratribus vestris*, de externa tantùm visibili forma & quidem comiter contemplanda, non de essentia Messiæ accipiant. Deut. 17. v. 15.

9. *Melchisedecus benedixit Abrahæmo, & ait: benedictus sit Abraham DEO Altissimo, qui creavit cœlum & terram, & benedictus DEUS Altissimus, qui tradidit hostes tuos in manum tuam &c.*

Christus attestante Lucâ *benedixit discipulis suis.* Sic & Divus Petrus coram concione professus: *Misit DEUS Jesum benedicentem vobis.* Ideòq; Divus Paulus ita comprecari voluit: *Benedictus sit DEUS Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit vobis omni benedictione spirituali in cœlestibus bonis in Christo.* Luc. 24. v. 50. Act. 3. v. 26. Eph. 1. v. 3.

10. *Melchisedecus* ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ καὶ ἀγενεαλόγητος ad perfectè præfigurandum Messiam, in terris jam ita clarificatus est. Christus est ἀπάτωρ secundùm humanam naturam, qui tantummodò ratione humanitatis matrem, Virginem S. Mariam, & quidem virtute Spiritus Sancti, sine ullo virili accessu, obumbratam agnovit.

Ἀμήτωρ est secundùm divinam naturam solummodò ab Æterno Patre,

Patre, sine matre, ineffabiliter Filius DEI generatus est. Quo referunt pii Veteres dictum Esaiæ: *generationem ejus qui enarrabit.* Esa. 53. v. 8.

11. *Melchisedec porrò, nec initium dierum, nec vitæ finem habens*, ita electus & clarificatus introducitur.

Christus, Divô Petrô annotante, *præordinatus fuit antequam conditus esset mundus; sed manifestus extremis temporibus. Ita prædicamus*, (exorditur Paulus) *DEI sapientiam in mysterio, quæ abscondita est. Quam DEUS prædestinavit ante secula.* Rom. 16. v. 25. 1. Cor. 2. v. 7. Eph. 3. v. 9. Col. 1. v. 26. 2. Tim. 1. v. 10. 1. Pet. 1. v. 20.

Fuit ab æterno, & erit in æternum, manebitq; *Rex & Sacerdos noster dilectissimus.* Atq; juxta Esaiam *pacis non erit finis, & regni ipsius non erit finis.* Esa. 9. v. 7. Dan. 7. v. 14. & 18. Mich. 4. v. 7. Luc. 1. v. 33.

De æterno hoc sacerdotio vid. etiam Zach. 3. & 6. it. Epist. ad Ebr. per tot.

12. Melchisedecus unicus & solus *Rex & Sacerdos, sive Regius Sacerdos* excellenter declaratus. Idemq; unicus ejusmodi talis architypus.

Christus est unus & solus Mediator DEI & hominum, qui dedit redemtionem semetipsum pro nobis. Qui semel seipsum obtulit. Qui per proprium sanguinem introivit semel in Sancta Sanctorum, æternâ redemtione repertâ. 1. Tim. 2. v. 2. Ebr. 7. v. 27. & cap. 9. v. 12.

David quidem Regius Propheta claruit, sed neutiquam Regius Sacerdos. Unde & celebratus Apostolus, Regium illud sacerdotium de Melchisedeco describere aggressus, nullibi accuratiùs & concinniùs ac in illa ad Ebræos condita Epistola profecutus, solidissima argumenta ex Psalmo 110. ipsius Regii Prophetæ desumens. Evidentissimè enim atq; emphaticè Messiam, ejusq; æternum efficax Sacerdotium *cum Melchisedeco* protypo, minimè verò cum Levitarum cessantibus & succedaneis sacerdotiis comparare elegit.

Quæ Epistola, etsi à nonnullis, non quidem ratione Canonicæ Autoritatis, sed ratione Autoris (utrum Paulus fuerit, nec ne) in dubium vocata fuerit; certè tamen, si ullis ex Sacræ Scripturæ locis genuina & accurata sententia de Sempiterno Messiæ Regio Sacerdotio petenda; ex prædicto Psalmo atq; hac Epistola colligi abunde potest.

CAPUT XVIII.

De Semi obitu & posteritate relicta.

HIstorica denuò reiterare & terminum vitæ Semi describere, requiritur: Compleverunt autem dies vitæ ejus 600. annos, & mortuus est post diluvium 503. Gen. 11. v. 10. & seq.

Reliquit V. filios, 1. Elam, 2. Assur, 3. Arphaxad, 4. Lud, & 5. Aram. Sed posteri pietatem deseruerunt, exceptâ solâ Ebræâ stirpe ab Arphaxado progressa, quæ quantum cognitum, fidelis ex parte perseveravit.

CAPUT XIX.

De Elam Semi primogenito & ejus posteris.

E*Lam*, i. e. Adolescens, juxta omnes Interpretes stirps est Elamitarum vel Persarum. Horum potentissimus Rex fuit Kedarlahomor, qui annô post diluvium 376. Semo, Japheto & Chamo originalibus omnium Patriarchis adhuc viventibus cruentum illud bellum inter novem Reges disceptantes duxit. Quanta proinde hominum nuper à diluvio liberatorum crudelitas! qui ibidem non primitus, sed ut colligendum, antea multoties, in mutuas cædes, consanguinitate adhuc cognitâ, corruerunt. Gen. 14. v. 1. & seq. Epiphan. in Chron. Vid. & Salom. Gesn. David Chytr. & alios ad h. l. Item Joh. Func. in Annal.

Elamitæ vel Persæ usq; & semper excellentissimi accreverunt. Jesaias quoq; eorum meminit, inquiens: *Adscende Elam, obside Madai contra Babyloniam.* Jes. 21. v. 2. & 22. v. 6. Jer. 25. v. 24. Vid. & Ezech. 31 v. 24. Act. 2. v. 9.

Similiter Propheta Daniel & populum & regionem & fluvium ejusmodi nominis recenset, scribens: *Cùm essem in Susan castro, quod est in regione Elam prope fluvium Ulai,* (*vel Eulai*, juxta Plinium) Flavius Josephus *Elym* posuit & *Persas* inde expressè deduxit. Ptolemæus & Xenophon perinde Elymæorum in exercitu Cyri, Persarum Monarchæ, meminerunt. Dan. 8. v. 2. Vid. & Plin. Fl. Joseph. Ptol. & Xenoph. diverf. loc.

CAPUT

CAPUT XX.

De Assur secundo Semi filio & ejus posteris.

A*SSur*, i. e. assurgens obviator, item faustus, beatus, &c. Assyrios condidit, ut omnes Sapientes demonstrant, ac ipsa appellatio abundanter ostendit. Inter filios vel posteros quendam nomine Ninum primum (nam & plures ejusmodi soni succreverunt) habuisse, ac in memoriam hujus, urbem Nineven, i. e. Nini domum vel habitationem exstruxisse statuitur, annô post diluvium 176. Olim enim tam piis, quàm impiis usitatum fuit, à filiorum nominibus mœnia condere civitatum. Heic à nostra parte ipse stat Augustinus: *Assur in filii sui nominis memoriam Nineven quasi Nini domum ædificâsse.* Quam urbem Herodotus sæpissimè *Ninum* absolutè appellavit. Augustin. lib. 16. de Civ. D. c. 3. Herodot. pass.

Primæ Monarchiæ primordia & vicissitudines repræsentare subjacens materia optumè conducit. 1. Nimrodus alienus inquilinus ex stirpe Chamitica, conditâ Babyloniâ tyrannidem molitus, primus Semitarum regionem ingressus, ibidemque contra pios & veram Ecclesiam grassatus, sed citò oppressus. Et hæc esset prima periodus.

2. *Assur de terra illa egressus est & ædificavit Nineven, & Rehoboth, Ir, Calah, Resen quoq; inter Nineven & Calah, quæ* (scilicet integra Nineve) *est maxima civitas.* Deinde succedente tempore Assur vel ejus posteri robore congregato, Nimrodicis expulsis, universarum rerum potiti. Unde regnum Assyrium. Genes. 10. v. 11.

Nonnulli, *Assur* fugisse Nimrodi tyrannidem, atque ex timore Nineven ad refugium receptaculum ædificâsse volunt. Targumici textum prorsus pervertunt, ac si Assur h. l. ipsius regionis Assyriæ appellatio esset, unde sensus: Nimrodum non contentum Babyloniæ in Assyriam profectum, prædictas urbes condidisse, imperiumq; dilatavisse. Sed nos Ebrææ veritati insistimus, alioquin enim dicendum fuisset, Assurah vel (ut Ose. 5. v. 13.) *El Assur in Assyriam.* Præterea inexplicabilis quæstio, unde ipsum Babylonicum imperium Assyrium vocatum fuisset, remaneret. Victoriosum enim nomen non succumbens, potentiæ inhæret, atq; à potiori semper denominatio fieri solet. Tandem regnum Assyrium statim post diluvium nomen & insignium occepisse, inde patet, quod Moses *Tharam Abrahami patrem, inter Chaldæos agitâsse*, sæpiusculè ostendit.

Assur verò sacerdotalem Chaldæorum Magistratum instituit, ut Jesaias testatur: *Ecce terra vel colonia Chaldæorum, talis populus non fuit* (antea de Chamitis locutus) *Assur fundavit eam.* Assyrios ergò, expulsis prius Nimrodicis, dominatos fuisse constat. Vid. Genes. 11. & 12. pass. Jes. 23. v. 13. Item Salom. Gesner. in Genes. ad h. l.

His insuper omnibus reconditis alia plura indicia: Semitas auxiliô Japhitarum tyrannis (quorum non diuturna potestas) Nimrodicis, haud diu post Babyloniam conditam fugatis, justum dominium erexisse, supersunt. Argumentum quoq; est, quod in S. Scriptura, circa primæ Monarchiæ historiam, semel nominato Assure, postea nec de Nimrodicis, nec Chusitis Æthiopibus, nec ullis Chamitis unica litera vel vocula percipienda. In Æthiopiam verò & Arabiam repulsos fuisse, permagna ibidem eorum resumta potentia ostendit. Vid. Laurenberg. in Acerra Philol. cent. 5. Hist. 18. & seq.

De hisce verò bellis antiquis, quomodo & quando Assur vel posteri ejus, Chusæis seu Æthiopibus Nimrodicis expulsis, primæ Monarchiæ Domini evaserint, accurata historia deest. Procul dubio autem gesta illa, ut & alia desiderata plura, designata fuerunt in lib. de bellis Domini. Quæ sanctissima monumenta, & forsan adhuc alia desiderabilia, nobis iniquæ Parcarum subduxêre manus.

Suprà dictum est: *Assur ædificavit Nineven, & Rehoboth, Ir, Calah, & Resen &c.* de his urbibus idem est sensus: *ædificavit Nineven in aliquot diversas civitates* distributam, instar Babyloniæ, cui opposita. Nineve autem (quæ identidem totius Monarchiæ capax celebratur) amplissima olim excelluit, reliquas civitates nimirum, *Rehoboth, Ir, Calah atq; Resen*, peræq; generaliter unô nomine Nineven appellatas comprehendens. Cujus amplitudo trium dierum iter ex Propheta Jona patet. Nominatur quoq; ibidem

וְנִינְוֵה הָיְתָה עִיר גְּדוֹלָה לֵאלֹהִים׃

Ve-Nineve hajetha ir Gedhola lelohim,

i. e. *& Nineve erat magna Dei civitas.* Unde nonnulli: Assur idololatriæ Nimrodicæ odio habuisse, hanc Dei civitatem ad religionem conservandam condidisse, atque, ut ex historia Jonæ dispalescit, reliquias veræ doctrinæ ibidem remansisse existimant. Plurimi tamen hanc, ut omnes civitates, Deo curæ fuisse malunt. Et hæc est secunda periodus. Vid. Jon. 3. It. Luc. Osiand. Gerhard. & alios in Genes. ad h. l.

3. Juxta

3. Juxta Assur etiam Chaldæi æqualiter Semitæ ex familia Arphaxadi (de quibus proximè agetur) adsociârunt; unde regnum Chaldaicum. Cæterùm Assyrii & Chaldæi simul aliquandiu regnârunt: Reges de Assur nomen suum usq; retinuerunt, atque, ut conjiciendum, Ninevæ resederunt.

Chaldæi plerunq; nominati sunt Reges Babyloniæ absolutè: quod Prophetæ hisce verbis demonstrat: *Primùm comedit Israelitas Rex Assur, deindè exossavit eos Nebucadnezar Rex Babyloniæ. Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego visitabo Regem Babyloniæ & terram ejus, sicuti visitavi olim Regem Assur.* Jer. 50. v. 17. & 18.

Alibi quoq; Babylonia & terra Chaldæorum est una eademque, ac iterum Assyria & Regnum Nineve cum adjacentibus prope Septentrionem ibidem. Provincias subjugatas fermè innumeras inter se participarunt. Quæ differentia optumè observanda, & ad primæ Monarchiæ circumstantias rectè intelligendas egregiè conducit. Et hæc est tertia periodus. Vid. Esa. 37. v. ult.

Tandem hoc bipartitum regnum promiscuè transvolutum & Imperatores sæpissimè mutati, ut eorum accuratus ordo & successiones in obscuro lateant. Sed omnes hi errant, qui continuam genealogiam de stirpe Nimrodica extorquere conantur. Vid. ult. Georg. Horn. in introduct. ad Hist. univers. in pr.

CAPUT XXI.

De Arphaxado tertio Semi filio & ejus posteris.

ARphaxad *quasi Arphac-sad*, Medicus sanans vastitatem. 1. In genere vastissimum populum, qui à professione *Casdim vel Chaldæi*, i. e. divinantes, Sophi, Magici, denominabantur: 2. Exinde in specie progressos Ebræos, i. e. peregrinantes, congeneravit. Hos ambos præcipuè populos congeneratos cognatos & consanguineos esse, atque ipsum Abrahamum primitùs Chaldæum egisse certissimè constat. Atq; Moses: *Ur Chaldæorum Thara & Abrahami patriam* sæpissimè descripsit. Gen. 11. v. 28. & 12. v. 4.

Cui Josua respondit: *Hæc dixit Dominus Deus Israel, Patres vestri Thara, Abraham & Nachor habitaverunt initiò trans fluvium, & serviebant Diis alienis. Tuli ergò patrem vestrum Abra-*

bam de finibus istis, & adduxi eum in terram Canaan, & multiplicavi semen ejus. Jos. 24. v. 2. Act. 7. v. 3.

Quod supra: *Assur Chaldæos fundâsse*, relatum est ita: Assur Chaldæos ad Sacerdotes vel sacrorum Præsides constituisse & sustentâsse, eos verò (instar Magorum in Persia & Pontificum atq; Episcoporum in Italia) fastigio rerum, donec potirentur, inhiâsse, accipiendum. Sed Assyrios atq; Chaldæos à duorum fratrum origine eatenùs divisos fuisse, aliis testimoniis reservatis, Jeremias ostendit, atq; expressissimè Josephus & D. Hieronymus comprobaverunt. Jer. 50. v. 51. Joseph. & Hieron. pass.

Nomen Chaldæus vel *Casdim* non est patronymicum, sed in propria lingua Vatem vaticinantem, Persicè Magum vel Magicum, Græcè Sophum vel Philosophum, Latinè Sapientem denotat. Sub quo titulo olim non tantùm Arphaxadæi in genere, sed & Ebræi primitùs in specie comprehensi sunt; veluti Brachmanes in India, quos similiter ab hacce professione deducere non absurdum. Unde Strabo conscripsit: *Nuspiam diligentiùs severiùsq; Mathematica studia exculta fuisse, quàm apud Chaldæos.* Similiter à Cicerone & aliis Scriptoribus, ut inclutissimi Sapientes commendantur. Strab. lib. 7. prolixè.

Cæterùm promissi & benedicti nostri Messiæ principalis radix in subsequenti Ebræa linea consistit: *Arphaxad enim procreavit Salachum, atq; post eum genitum vixit trecentis tribus annis, & genuit filios & filias. Salachus verò progenuit Eberum & alios perinde plures. Eberus iterum duos propagavit filios:* NB. *1. Pelegum, & 2. Jaketan.* Gen. 10. v. 24. & 11. v. 12. usq; 17.

1. De Pelego Arphaxadi pronepote, & Eberi (professione Chaldæi) primogenito.

Peleg, i. e. divisor, quoniam ejus temporibus terra divideretur, *vixit triginta annis & genuit Rechum, ac post eum genitum, vixit ducentis novem annis & genuit filios & filias &c.* Similiter Rechus Sarugum & sic deinceps usq; ad Abrahamum. Quæ genealogia sanctissima accuratè in sacris aliquoties repetita extat. Gen. 10. v. 25. & 11. v. 18. usq; ad fin.

Cæteroquin ab Abrahami etiam extraneâ lineâ sunt Ismaelitæ ex Hagar (qui postea Hagareni item Saraceni & tandem Mahumetistæ rectiùs Muhammetistæ) & Keturæ progenies. Ex Abrahami quoque confratribus & agnatis plures populi succreverunt. Uti de

Nahor

Nahor Syrorum quædam præcipua natio; ejusdem enim filius Kamuel articulatim Syrorum pater, i. e. Princeps vel Præses nuncupatur. Laban quoq; Abrahami agnatus celebris Syrorum Phylarchus declaratur. Atque à Lotho Moabitæ & Ammonitæ descenderunt. Imò ab ipso Isaci filio Esau Edomitæ vel Idumæi degenerarunt infideles. Quorum generationes S. Scriptura ob primi forsan acquirentis autoritatem insignire non dedignata. Vid. Gen. & V. lib. Mos. It. alia loc. S. Script. pass.

2. *De Jaketan Arphaxadi pronepote & Eberi (professione Chaldæi) secundo filio.*

Jaketan, i. e. succinctus, verfasst/ untersetzt/ tredecim filios progenuit, qui sunt:

1. *Almodat vel Elmodat*, i. e. anceps, indifferens, non abjiciendus, item mensus vel Dei mensura.

2. *Saleph*, i. e. extrahens.

3. *Hazarmaphet vel Chazarmaveth*, i. e. sonus mortalis, vel castellum mortis. Arias Montanus in Phalego ita connotavit: חֲצַרְמָוֶת Chazarmaveth est, *à quo Sarmatæ & Sauromatæ denominantur; atq; Sarmatia regio inter Jactanis filios & Chazarmaveth.* Epiphanius verò contra Sethianos scribit: *Eum fuisse Patrem Arabum.* Certi nihil haberi potest, dictio ipsa חֲצַרְמָוֶת Chazarmaveth est atrium mortis. Arias Montan. in Gen. 10. v. 26. in Phaleg. Epiphan. contra Sethian. vid. & Matth. Mart. Lex. Phil. sub nom. Sauromat.

4. *Jara*, i. e. Luna, it. adspirans, adorans.

5. *Hadoram*, i. e. ornator vel coætaneus.

6. *Uzal*, i. e. grassus, vel ardelio.

7. *Dicla vel Dicela.* Palma, it. gracilis.

8. *Obal*, i. e. transfluens, volvens.

9. *Abimael.* virtus vel gaudium patris.

10. *Seba vel Saba*, plenus, superfluus, it. captiosus.

11. *Ophir*, i. e. cinis vel pulvis.

12. *Hevila vel Havila*, progignens.

13. *Jobab*: clamator.

De his omnibus Salomon Gesnerus ex D. Hieronymo inquit: *Harum gentium nomina posteriora invenire non potui, quia vel nimis procul à nobis remoti sunt, vel ita vocantur, ut priora ignoran-*

rantur. Possederunt à Cophene fluvio, omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Jeria. Quibus verò addunt alii, quod ab Ophir regnum sit Ophir, hodiè Peru, unde aurum ad templi constructionem allatum aliaq; merces pretiosæ. Quare non existimare debemus, Indicos populos, hac postremâ ætate inventos aliunde, quàm à Noæ nepotibus originem duxisse. Cum tot incognitarum gentium nomina, quæ Indiam occupârunt, heic enumerentur. Moses nihil adjecit, quàm quod habitatio illorum fuerit à Mesch usq; ad montem Sephar orientalem. Salomon Gesner. ex D. Hieronymo in Genes. ad h. l.

Aurelius Cælius *ab Ophir, Africam, quæ aliàs Put & Libya dicitur, nomen accepisse,* & *quæ tempore Salomonis Ophir dicta, deinde mutatis aliquot literis Africam transnominatam fuisse,* tradit. Hæc ille. Vid. & Fl. Joseph. ad l.

Similiter à prædictis filiis partim Arabiæ immensæ regionis incolas, patim remotissimos Indiæ colonos atq; ipsos Brachmanes, quorum adhuc cognita Philosophia & vitæ continentia, antiquam sapientem prosapiam testantur, descendisse verisimillimum est.

Cæterùm inter consonantia nomina Sabæ & Havilæ ex stirpe Arphaxadæa, & Sebæ vel Schebæ atq; Hevilæ ex stirpe Chamitica notanda est homonymia & differentia. Veluti enim ante diluvium ex pii Sethi & maledicti Caini posteritate diversi Patriarchæ nominetenùs consonuêre. Ita & illis postdiluvianis seculis separati isti populi, propter discretos fundatores, discernendi sunt.

Ab hocce Saba ex stirpe Arphaxadæa propriè denominata est Saba Arabica; cujus celeberrima Regina olim ad Regem Salomonem veniens ænigmatibus eum tentatura, omnifariis doctrinarum & divitiarum muneribus instructa, retrò domum dimissa legitur. 1. Reg. 11. & 2. Paralip. 9.

De hac Judæi multifaria confingunt, contendentibus quibusdam: Nicaulam audivisse; aliis verò Merquerdam, ac filium ex Salomone suscepisse Meylichum. De quo iterum varia fabulantur. Josephus quoque istius Reginæ sub nomine Nicaulæ, Herodotum irritè contestans, meminit, atq; Ægypti perinde ac Arabiæ Gubernatricem fuisse, reminiscitur. Joseph. lib. 8. Ant. Jud. c. 2.

In Itinerario S. Scripturæ Henrici Buntingii citatur Leonhardus Rauwolpius M. D. & insignis Peregrinator hisce verbis Latinè redditis: Leonhardus Rauwolpius in itineribus suis scribit: Æthiopes sub Preto Johanne, Priester Johann / habitantes prodere, Reginam de Saba,

Saba, Regem Salomonem ſplendidis olim muneribus inviſentem Merquerdam audiviſſe. Henr. Bunting. in Itinerar. S. Script. lib. 1. f. 145.

Juxta Salomonis Schweigeri Itinerarium ejusmodi farrago, Latinis verbis breviter congeſta ita reſultat: Abyſſini vel Æthiopes ſive Indi in regno Preto-Johannico, qui & Copti vel Coffti, hoc eſt, circumciſi Chriſtiani ſunt, circumciſionem hanc ſuam de Reginæ illius Arabicæ olim Jeruſalem profectæ, & à Rege Salomone excellenter edoctæ, ſimulq; fœcundatæ filiô gloriantur; unde Judaicam religionem, ſacrificia & alias ceremonias aſſumſiſſe; ſolam verò circumciſionem hucusq; conſervâſſe: non quidem eatenus, ac ſi æternam ſalutem inde acquirerent, ſed recordationis ſaltim & memoriæ gratiâ antiquiſſimorum Patriarcharum & Regum. Conf. Sal. Schweig. lib. 3. Itin. c. 3. p. m. 292.

Cæteroquin Regibus Abyſſinis (qui Barbaricè Lederwick à Perſis verò Ammah vocantur) ſceptra capeſſentibus conſimul agnomen David promiſcuè attribuitur, indicandæ recordationis & memoriæ gratiâ: Reges ſuos de domo & ſucceſſione Davidis & Salomonis provenire. Ad quod remonſtrandum adducunt hiſtoriam de Regina Sabæ, *Nicaula* vel *Merquerda* vocata. Quæ, ut ſacræ literæ teſtantur, ex Arabia, cum copia Camelorum auro, gemmis aliisq; pretioſis onuſtorum, Hieroſolymam ad ſapientiam & magnitudinem Salomonis auguſtiſſimam cognoſcendam venit. Juxta aliorum traditiones verò à Salomone concepit; partoq; ibidem filio, nomine *Meylicho*, & apud Salomonem relicto, ipſa ſola in Arabiam reverſa eſt. Filius deinde adultus, datâ occaſione perinde in patriam competentem, ingenti comitatu ſubſecutus. Vid. Flav. Joſeph. lib. 8. ant. Jud. c. 2.

Celeberrimus ille hiſtoriarum collector Martinus Zeilerus: Reginam illam Maquedam, filium verò Meilech audiviſſe tradit. Mart. Zeil. part. 2. epiſt. centur. 2. epiſt. 4. p. m. 304. ubi alleg. Damian. à Goës in ſeiner Æthiopiſchen Hiſt.

Hæcce de Merquerda & Meylicho jam relata, tacente S. Scripturâ, apodicticè probari non poſſunt. Cæterùm Sabæos doctrinam de Meſſia accepiſſe, ex prædicatione Prophetæ, *de accurrentibus ex Saba ad Meſſiæ nativitatem celebrandam, atq; munerandam.* Item ex Evangeliſta firmiſſimè conſtat. Jeſ. 60. v. 6. Matth. 2. v. 5.

R Saba

Saba hodierno die plerunq; sub generali Arabiæ nomine comprehenditur. Cujus Præses Persarum lingua vocatur Præstegan, i. e. Rex Apostolicus; vulgò Presbyter Johann / & corruptè Prestè-Joan. Germanicè Priester Johann / und Priester Johannis Land.

CAPUT XXII.

De Ludo quarto Semi filio & ejus posteris.

LUd, i. e. natus. A quo Lydi, juxta Divum Hieronymum & plerosq; Doctores, sine ulla fermè controversia deducuntur. Fl. Josephus constanter attestatus: *Qui verò Lydi nunc vocantur, olim Ludi, Ludam generis autorem habuerunt.* Fl. Joseph. lib. 1. antiq. Jud. c. 7.

De horum Regibus incrementis, successibus, ac quomodo Græci olim iisdem subjecti fuerint; item de eorum decremento & ultimo Rege Crœso, præpotentiâ Cyri superato ac victo, vid. Herod. Halicarnass. in Clion. siv. lib. 1. per tot.

CAPUT XXIII.

De Aram quinto Semi filio & ejus posteris.

ARam, i. e. decipiens. A quo, additô S. Blæsô, *Saram* compositum; unde postea nomen Syrus quasi Sarus, ut nonnulli conjiciunt, reformatum. Ac licèt Eusebius *Philarchum quendam Syrum expressè dictum, à quo Regio & Syrorum gens nuncupata, annô post diluvium 690.* recenseat; attamen Flav. Josephus in nostram partem egregiè attestatur, inquiens: *Aramus Aramaos tenuit, quos Græci Syros appellare malunt.* Flav. Joseph. lib. 1. antiquitat. Jud. cap. 7.

Sed distinguendum est inter Aramæos Syros, & inter Armenios Scythas; *quos Berosus, à Persis Sacas, ab antiquis verò indistinctè Aramæos vocatos fuisse,* trādit. Beros. libro tertio antiquitat. in fine.

Cæterùm nomen Syrus accrevit postea commune virtuosum insignium maximè olim dilatatum; quod in Latina lingua idem est, ac Dominus, item sublimis vel adspirans, comprehendens olim Syros ipsos

ipsos absolutè sic dictos, item Cœlo-Syros, Leuco-Syros, Syro-Phœnices &c. Item Nahoris & Kamuelis posteritatem Syrorum nomini se olim adsociantem, & id genus alia. Vid. Genes. 22. vers. 20.

Veruntamen Aram in genere plerunque Syros designat, ac in Sacra Scriptura identidem ita accipitur, ut & ipsa Syriæ Metropolis Damascus, *caput Aram* apud Prophetam appellatur. Jes. 7. vers. 8.

NB. Specialiter Aram quatuor reliquit filios: Uz, Hul, Gether & Mas.

1. De Uz Aram primogenito.

Uz, Josepho Uses, i. e. Consiliarius Arami primogenitus Syrorum præcipuè coinstitutor potentissimus; à quo regio ejusdem nominis in promontorio Seier vel Idumæa, sancti & patientis Hiobi patria denominata. Unde apud Jeremiam: *Gaude filia Edom, quæ habitas in terra Uz.* Aliarum quoq; urbium, *Trachonidis nimirum ubi ipsius Usis frequens habitatio, Damasci &c.* conditor juxta Fl. Josephum celebratur. Hiob 1. v. 1. Thren. 4. v. 21. Joseph. lib. 1. ant. c. 7.

2. De Hul Arami secundo filio.

Hul, i. e. indolens. Specialis ejus posteritas valdè obscura. Reperiuntur quidem consona ejusmodi nomina, *ut Hylatæ* populi Cœlo-Syriæ juxta Plinium, item *Halyzones* juxta Homerum. De hisce verò, ut perquàm implicatis, nil rati affirmari potest. Josephus, quem Hieronymus secutus, *Otrumeum*, sed nescio quo fundamento, nuncupat, *atq; Armeniæ partem olim accoluisse inquit.* Vid. Plin. lib. 5. c. 23. Homer. it. Fl. Joseph. lib. 1. antiq. c. 7.

3. De Gether tertio Arami filio.

Gether, i. e. convallis amnicola, Dominus molarum. Ab hisce confratribus Gether & Mas, nonnulli absq; ulla ratione & autoritate, solummodò ex etymologia atq; erroneo nominis sono, Getarum vel Gothorum & Mysorum primores detorquere audent; haud probabiliori argumento; ac si quis Macedoniam, quæ olim Hemathia dicta, à Chami nepote & Canaani filio Hemath deducere vellet. Cæterùm D. Hieronymus *à Gether Carios sive Acarnanios in Caria media Asiæ regione* derivat. Totius autem Cariæ Metropolis est Halicarnassus inclutissimi antiqui historici Herodoti patria. Cujus olim

Regi Mausolo defuncto Artemisia fidelissima conjux Mausoleum illud celebratissimum monumentum exstruxit. Fl. Josephus *ab hoc Gether Bactrianos Indiæ populos* ac forsan Getulos confines reformat. Vid. Hieron. in quæst. Ebr. It. Fl. Joseph. cit. loc.

4. *De Mas quinto Arami filio.*

Mas sive *Mes*, i. e. tangens. *Circa Pison vel Pisini castra* (uti Josephus nominat) *maximum Indiæ fluvium aliàs Gangen appellatum, Mesaces* (Hieronymo & aliis Mæones) *condidit*. Ab hoc *Mas* sive *Mes* quoque Mesopotamiæ (quæ regio à patre Aram nonnunquam *Aram Naharaim vel Pedam Aram*, i. e. colonia Arami appellata) cultores & Syriaci nominis participes evasisse, verisimiliùs cadit.



LIBER

LIBER V.

De

JAPHETO, NOÆ PRIMO-GENITO.

Qui ad integrum & perfectum suæ posteritatis ordinem huc reservatus, dignissimus est, qui nominis sui Etymologiam; duplicem item benedictionem à patre acceptam, quin & successus progressusq; cum aliis circumstantiis adipiscatur solidissimè.

CAPUT I.

De verbi Pathah propriâ significatione.

יַפְּתְּ Japht, vel יֶפֶת Jephet, derivatur à יַ Ja, sive יֶ Je, præpositiva & Ebræis communissima nominum propriorum formativa; atq; verbo radicali פָּתָה Pathah, quod propriè dilatare, ampliare, Tropicè verò sive Metalepticè convertere, allicere consignificat, adjungitur. Prætereaq; aliæ פָּתָה Pathah significationes non contemnendæ. Vid. Schindl. Lexic. Pentaglott. Col. m. 1505.

Quod פָּתָה Pathah verbum universale & multorum aliorum radicale proprio & communi intellectu dilatare denotet, ex multis S. Scripturæ locis dispalescit. Ubi plerumque, quando textus Ebræus פתח Pathah habet, Targum Chald. per רְהַב Rahab vel הרהיב Hirhib, quod expressè pandere, dilatare denotat, frequenter & lubenter exposuit. Vicissimque, ubi Ebræus radicem vocis Rahab vel Hirhib ponit, Chaldæus פתה Petha, vel אַפְתִּי Aphthi annotavit, ut textus sic reciprocarent. Istud Chaldæorum Petha cum Ebræo Pathah concordans insimul extendere vel dilatare, ut omnibus earum linguarum peritis notum viget, absolutè & extra ullam ambiguitatem significat.

Hîc observandum, quod, cùm cæteroquin vocabulum Pathah per Rahab vel Hirhib vel aliud verbum exponatur, hoc tamen loco, tam in textu, quàm in paraphrasi, propter amabilem Paranomasiam, utrobiq; retentum permanserit, ut;

יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת וְיִשְׁכֹּן בְּאָהֳלֵי־שֵׁם׃

Japht Elohim le Jephet vejischòn beohóle Schem.
i.e. *Dilatet DEUS Japhet, & habitare faciat in tabernaculis Sem.*

Chaldaicè:

יַפְתְּ יְיָ לְיֶפֶת וְיַשְׁרֵי שְׁכִינְתֵּיהּ בְּמַשְׁכְּנֵי דְשֵׁם׃

Japht Jehova le Jephet vejischre schecinteh bemaschcene de Schem.
i.e. *Dilatet DEUS Japhet, & inferatur gloria ejus tabernaculis Sem.*

LXX. Interpretes: πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφεθ, καὶ κατοικησάτω ἐν τοῖς σκηνώμασι τοῦ Σήμ. i.e. *Pandat vel impendat DEUS Japheto, & conducat ei in Semi* (Melchisedeci) *tabernaculis*. In communi autem versione: GOtt breite Japhet aus. Gen. 9. v. 27.

Quod autem פָּתָה Pathah proprio & genuino insignio dilatare, pandere, impendere, einraumen significet, ad abundantiam probatur ex linguarum Syriacæ & Chaldaicæ affinitate. Nam si in aliis ancipitibus vocabulis, saltus ad Arabicam, multò remotiorem linguam conceditur; eò magis ad Chaldaicam & Syriacam tanquam Ebrææ agnatiores linguas, justus recursus admittitur, meritòque, juxta veteres Interpretes hisce frequenter indagationibus usos, adseritur. Ut affatim demonstravit Nicol. Fuller. miscell. sacr. lib. 3. p. 384. & 385.

Ad rem proventu: extat in Syriaca lingua ܦܬܳܐ Petho, vel in conjugatione gravi Paël ܦܰܬܺܝ Pati, æqualiter in Chaldaica פְּתָא Petha, vel in conjugatione Aphel Ebræis Hiphil אַפְתִּי Aphti accuratè cum nostro Pathah, maximorum Doctorum, Ferrarii inprimis consensu correspondentia. Ferrar. Nomencl. Syr. edit. Rom. 1622. de his verb.


Utrumq; hoc verbum præcisè dilatare, pandere, impendere, attribuere, einraumen/etiam alibi denotat. Veluti Targum ipsum alibi expli-

explicuit, ubi legitur Ebraicè: *Dominus nos fecit* הִרְהִיב Hirhib, Chaldaicè אַפְּתִּי aphti, i. e. dilatos. Sic iterum alibi וְאַפְתִּי ve-aphti, *& dilatabo terminum tuum*, & id genus alia. Gen. 26. v. 22. Exod. 34. v. 24.

Tametsi quis objiciat: ac si Syriacum ܦܬܚܘܢ Petho, & Chaldaicum פְּתָה Petha, non à פָּתָה Pathah, sed ab Ebræo פָּשָׂה Pasah, per usitatissimam τῦ שׂ vel שׁ sch. in ת th. transmutationem (sicuti nostrum S. apud inferiores Saxones & Belgas in T.) provenire. Inibi haud inconcinnè reponendum: Literarum quidem permutationem concedi, verum 1. jamdum omninò ab Ebræa radice *Pasah* alia vocabula sine ulla mutatione orta esse, nempè Chaldaicum פְּשָׂה Pesa, & Syriacum ܦܫܐ Peso, quæ similiter dilatare, extendere, expandere connotant. 2. Licet quandoq; verbum aliquod, quod in penultima radicali t. vel th. habet, reperiatur, ab s. vel sch. formatum, non tamen exinde sequi, ut omnia verba ejusmodi radice, necessariò proveniant.

Atq; his omnibus positis. Quæ verba in Ebraica lingua, quoad secundam vel tertiam radicalem reciprocè cum sch vel th formantur, illa eadem sunt, & ejusdem significationis, e. g. הָרַשׁ Harasch, & הָרַת Harath, utrumq; exaruit, insculpsit. כָּתַשׁ Katasch, & כָּתַת Kathat, utrumque contudit. בְּרוֹשׁ Berosch, & בְּרוֹת Beroth, utrumque abies. Hoc respectu, (si Pasa & Pathah conferantur, ac quomodo unius ejusdemq; significationis sint, considerentur) crebrò celebrata sententia, quod Pathah proprio & nativo sensu dilatare denotet, corroboretur, ubi etiam cunq; circumspicietur.

Tandem ab hoc verbo Pathah Matth. Martinius Latinum pateo, deducit. Quod non demirandum, notorium siquidem, Latinam linguam ex Sabina, cujus origo Chaldæa, potissimùm esse petitam, ut idem Matthias Martinii in voce Quiris observavit. Matth. Martin. Lex. Philol. sub prædict. nom.



CAPUT

CAPUT II.

De verbi Pathah tropicâ sive Metaphoricâ significatione.

פתה Pathah, ut propriè, ita & Metaphoricè sive Metalepticè commodissimè redditur Germanicè einraumen.

LXX. Interpretes cùm alioquin Pathah per allicere, adducere, persuadere transverterint, quatuor tamen locis per πλατύναι aptissimè expresserunt.

1. Hoc nostrô versiculô: πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφεθ. *Dilatet Deus Japhet.* Gen. 9. v. 27.

2. Ubi Moses Israelitas adhortatur: *Cavete, ne cor vestrum* יִפְתֶּה jiphtheh, juxta Interpretes πλατυνθῇ, *dilatetur.* Deuter. 11. vers. 16.

3. Proverb. 20. v. 22.

4. Ibid. c. 24. v. 28.

Alioquin Lutherus in locis præcipuè parallelis aliud verbum רָהַב Rahab perinde ac dilatari egregiè per Germanicum erheben/ exposuit, ut: Deut. 8. v. 14.

Item רְהַב לֵבָב Rehab lebab, propriè dilatus, elatus corde, Metalepticè superbus corde. Ps. 101. v. 5.

Sic רְהַב נֶפֶשׁ Rehab nephesch propriè dilatatus, latus, elatus animâ, Metalepticè superbus animâ, Prov. 28. v. 25.

Augustum illud & Interpretibus acceptabile vocabulum τὸ πλατύναι, quod attinet, curiosè id Apostolus etiam in N. T. adhibere voluit, ut: ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται, *cor nostrum dilatatum est;* Item πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς, *dilatemini & vos.* 2. Cor. 5. v. 11. & 13.

Ad quæ verba Flacius Illyricus: *Dilatari cor significat securè, liberè, & plenâ animi fiduciâ ac persuasione, non tantùm exclusô timore, sed etiam adhibitô amore & gaudiô cum aliquo agere aut loqui. Id quoq; de suis Paulus requirit Corinthiis.* Flac. Illyric. p. 241. A.

Πλατύναι autem provenit à πλατὸς, latus, amplus, spaciosus. Unde platea quasi à latitudine dicta.

Ut ad verbum פָּתָה Pathah revertar, significat illud Metaphoricè vel Metalepticè allicere, animare, adducere, item seducere, antecedente nimirum positô pro consequente; quoniam ejusmodi amplifi-

plificationibus cor hominis tam rectè, quàm sinistrè quasi dilatatur, capitur vel etiam decipitur.

In bona parte ipse David adhibuit: בְּצָר הִרְחַבְתָּ לִּי Bazar hirhabtha li, in angustiis dilatâsti me, Metalepticè: liberâsti, exhilarâsti me. Item cum apposito: *Viam mandatorum tuorum curram, cùm dilataveris cor meum*; Metalepticè: cùm consolatus fueris cor meum. Ps. 4. v. 2. It. Ps. 119. v. 32.

In mala significatione transsumitur: *Mi fili! si malitiosi* אִם יְפַתּוּךָ Im jepathucha, te dilataverint. Wann dich die bösen Buben locken. Prov. 1. v. 10.

Sumitur & tali allectu, qui fit formâ & pulchritudine, quæ animum delectat, & ad se subitò allicit; sive de tali allectu, qui fit venustâ blandientiq; linguâ.

Ast bonum hoc verbum Pathah, bonæ materiæ vel textui applicatum, ostendit plerunque excellenter admovere, impellere, vel etiam convertere, exquisitis verbis fidem adducere. Veluti Jeremias adhibuit: פִּתִּיתַנִי יְהוָה וָאֶפָּת Piththisani Jehova vaeppath, *adduxisti me Domine, & adductus sum.* Talis quoq; sententia ab ipso Omnipotente ad Hoseam pronunciata extat: *Ecce ego pelliciam eam* (scil. Ecclesiam) *verbis bonis, & ducam eam per desertum, & loquar ei in cor ejus.* Jer. 20. v. 7. Hos. 2. v. 14.

Ab hoc verbo Pathah Græcum ejusmodi fermè soni verbum πείθω, persuadeo derivatum esse censetur. Id de prædicatione Evangelii quò DEUS corda hominum allicit & quasi persuadet, quamplurimum usurpatur. Ut de iis, qui crediderunt, dicitur: quod ἐπείθησαν, persuasi fuerint.

Item Paulus nominatur πείθων, persuadens ea, quæ sunt de regno Christi. Act. 10. v. 4. It. Act. 19. v. 8. Vid. & 2. Cor. 5. v. 11. & Gal. 1. v. 10.

●§:(o):§●



CAPUT III.

De Japheti nominis Etymologia.

NOmen proprium יֶפֶת Jephet à י Je, & פָּתָה Pathah componi certissimum & probatissimum viget. Tò: Je apud Ebræos communissima est formativa nominum propriorum compositio. Quemadmodum enim יִפְתָּה Jephtah, id est, apertus, reclusus ab eodem fonte Pathah aperuit, præpositô J. formatus; ita etiam Japht vel Jephet æqualis conditionis particeps.

Cur autem Japhet non Jephet in communi legatur, ratio est, quod primitùs Japhet in fine jam suppositi versiculi ob repræsentationem accentûs distinctivi reperiatur. Quapropter sæpiusculè τò ֶ (e breve) in ָ (a longum) producitur. Vid. Schickard. can. 130.

Japhet igitur Germanicè idem est ac Jngeraumt / Ingeramus, deme viel eingeraumet oder beygeleget ist / temporaliter regionibus & coloniis. Spiritualiter & in specie accessu *ad tabernacula Semi, i.e. Melchisedeci sacerdotium.* Quas utrasq; significationes vocabulum Jngeraumt apud Germanos, veluti Japhet apud Ebræos in se continet atq; indigitat.

Hinc ab eruditis & linguarum Orientalium peritis Japhet tam dilatatus & augustus, quàm permissivus ac convertibilis diversô respectu assumitur. Proinde etiam ejus posteritas in genere primitùs amplissima; deinde verò in specie pars principalis ad fidem orthodoxam (Omnipotenti sit gloria gratesq; perennes) est conversa.

Quas utrasq; divinationes, ominosum Japheti nomen, ut repetam, importat.

CAPUT IV.

De explicatione textuum originalium.

יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת וְיִשְׁכֹּן בְּאָהֳלֵי־שֵׁם׃

Japht Elohim le-Jephet vejischòn beohole-schem.

Juxta vulgatam versionem: *Dilatet Deus Japhet, & habitare faciat in tabernaculis Sem.* GOTT breite Japhet aus / und laß ihn wohnen in den Hütten Sems.

Targum

Targum reddidit:

יְפַת יְיָ לְיֶפֶת וְיַשְׁרֵי שְׁכִינְתֵּיהּ בְּמַשְׁכְּנֵי דְשֵׁם:

Japht Jehova le-Jephet, vejiſchre ſchecinteh bemaſchccene de-Schem.

Dilatet DEUS Japhet, & inferatur gloria ejus tabernaculis Semi.

Septuaginta Viri verſiculum hunc ita interpretati ſunt: πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφεθ, καὶ κατακησάτω ἐν τοῖς σκηνώμασι τοῦ Σήμ. *Pandat, impendat, impertiat, attribuat vel contribuat Deus Japheto, & conducat ei in Semi* (Melchiſedeci) *tabernaculis.* Gen. 9. v. 27.

Duplicem heic Noa Japhetici nominis reſpectum habuit: 1. Juxta intentionem temporalem latiſſimam: patefaciat vel impleat Deus Japheto diffuſam latitudinem nominis ſui. 2. Juxta intentionem ſpiritualem & ſpecificam: & habitare faciat gloriam ejus, i. e. præcipuam Japheti poſteritatem, in Semi agnomine Melchiſedeci tabernaculis.

Maxima & admirabilia Doctorum judicia de priori temporali latiſſima ſignificatione adſunt, an, *Japht Elohim le-Jephet*, melius vertatur: *dilatet Deus Japhet &c.* an verò perſuadeat, adducat. Inſuperq; Auguſtinus Steuchus, Cajetanus, & alii verbum hoc ex radice יפה Japhah, i. e. ornare, decorare, derivantes componunt: *condecoret Deus Japhet.* Conf Schindl. Lexic. Pentaglott. col. m. 783.

* Verùm ejusmodi ſi foret ſenſus, verbum יף Jiph, vel יוף Joph, ut D. Fridlibius demonſtravit, apponendum fuiſſet. At verò adeſt יפת Japht ſingulari Emphaſi. Unde excellentiſſimus Theologiæ D. & Prof. Joh. Gerhardus ita prius commentari voluit: *Senſus eſt, faciat Deus Japhetum creſcere, & multiplicet ejus poſteritatem; potuiſſet uti verbo Rahab, ſed maluit retinere Pathah elegantem propter Paronomaſiam: Japht Elohim le-Jephet.* Vid. Gerh. & Fridl. in Gen. ad h. l.

B. Lutherus, quamvis in communi verſione, antiquæ & propriæ translationi, GOtt breite Japhet aus/ perfectè adhæſerit, in commentario ſuo magno, Metaphoricam verbi Pathah ſignificationem magis affectatus repoſuit: GOtt rede freundlich mit Japhet/ perſuaſione divinâ, ut habitet in tabernaculis Sem.

Cæterùm verbum radicale Pathah, cujus ſignificationes antea prolixè traditæ, heic in ſenſu proprio accipi, multis argumentis irrevincibiliter reſultat.

1. Patet ex conjugatione hujus loci & ejus usus proprietate. Vocabulum enim Japht, uti in textu hoc nostro adhibetur, & per Syncopen τῦ h. tertiæ radicalis pro japhteh legitur, pertinet ad conjugationem Hiphil, & quidem ad ejus futuri tertiam personam masculinam. Atqui, verbum licet Pathah in aliis conjugationibus, ut Kal, Piel & Pual, quandoq; idem, ac persuadere, adducere, allicere, intendat; in hac tamen conjugatione Hiphil, semper significationem propriam retinere, sine ulla controversia obtinet.

2. Patet ex Chaldæi sermonis idiomate, ubi verbum istud indistinctè & immutabiliter dilatare significat.

3. Ex septuaginta Virorum interpretatione.

4. Ex affinium linguarum consonantia; quæ, ut jamdum pertractatum, unanimiter eandem sententiam comprobant.

5. Ad superfluum non rejicienda communis Rabbinorum calculi proclivitas. Equidem eorum scripta fabulosis & perversis Sacræ Scripturæ torturis impleta esse, manifestissimè constat; nilominus hoc concedendum est, quamvis in toto fermè textu, ac continuo Sacræ Scripturæ sensu, declinent, minimè tamen in verborum significatione & sensu; Etenim hoc passu permagna illis debentur ἑρμηνευτικά, meritòque illorum lexica & alia scripta, præsertim ubi ipsimet pro nobis militant, consulantur. Isti æqualiter, quod *Pathah* h. l. propriè idem ac dilatare significet, consentiunt. Veluti in Targo suo Germanico haudquaquam recedunt; sed verbo radicali *Japht* talem glossam annectunt: Er soll derweitern GOtt (ita vitiosè Judæi) zum Saamen Japhets sein Gemarck (limites) und Königreich. Targ. Germ. c. 1. p. 32. col. 13. vid. Rabb. Dav. Kimchi. lib. rad. col. 423. it. Rab. Salom. Ben Melech. in com. univ. sup. V. T. cui inscripsit perfect. pulchrit. p. 1. lit. A.

6. Firmissimè comprobo ex ipsius eventûs perspicuitate. Primitùs enim Japhet ut merus temporaliter dilatatus amplissimarum gentium, ut benedictio Prophetica generaliter ad nomen allusit, pater & propagator extitit. Deinde verò ut spiritualiter & specialiter devotus vel benedictus præcipuam posteritatem finaliter credentem reliquit. Ita etiam Chaldæa paraphrasis annotavit: *Japht Jehova le Jephet, vejischre schecinteh, bemaschcene de Schem*, id est, dilatet DEUS Japhet, & habitare faciat gloriam ejus (scilicet posteritatem selectam) in tabernaculis Sem. Item LXX. Viri πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφεθ, καὶ κατοικησάτω ἐν τοῖς σκηνώμασι τοῦ Σήμ.

Quæ

Quæ prior significatio est temporalis, communis & propria, posterior spiritualis, mystica & tropica. Posteriori sententiæ B. Lutherus plus affectus, prævalidissimam hanc benedictionem Japheto, loco primogenituræ attributam fuisse, perelegantur sentiscit. Luth. in Gen. ad h. l.

Hujus duplicis benedictionis contenta aptissimè per geminam πλοκὴν repræsentari possunt, nimirum Japhetus propriè fiat Japhetus, id est, augustus, dilatatus: atq; mysticè fiat Japhetus, id est, convertibilis. Talisque temporaliter & spiritualiter nomine omineque evadat.

Temporalis quidem dilatatio benedictioni spirituali, ob prævaricationes accrescentis mundi turbulentissimas retardatæ, antegressa; sed mitissimus tandem DEUS posterioribus seculis in communi Filii sui dilectissimi donatione nos Japhitas iterum illustravit, ut subsequentibus capitibus revelabitur.

CAPUT V.

De Japheti benedictione temporali.

JApheti posteros, omnibus primùm utrinq; floruisse donis, extra dubium versatur; Atqui divinâ cognitione obscuratâ, rebus tantummodò gavisos humanis, proh dolor! reperimus.

Singularum gentium singulas latitudines & extensiones quod attinet: Semi prolem inter angustos Asiæ limites sese detinuisse in confesso est. Diffusior quidem impius Chamus totam fermè Africam cum Ægypto compleverat. Veruntamen his omnibus perpensis ambos illos etiam conjunctim sumtos multò superavit Japhetus, & plus quàm geminam extensionis palmam retinuit; contemplatione susceptâ, qui in universos mundi cardines ad miraculum usq; sese dilataverit.

Berosi enim, Annii Viterbiensis, Münsteri, attributionibus Aphricæ prætermissis, Japhitæ maximis Asiæ plagis, Armeniâ potissimùm & Cappadociâ primitùs repletis, ac latissimis deinde locis, à sinu Issico, usq; ad Trapezunten occupatis, exsuperantis adhuc posteritatis copia abundaverunt.

1. Unde pars secundùm Occidentem in Europam transmigrârunt.

2. Pars erga Septentrionem in Tartariam prope Polum Ar-

&ctricum retendere. De quibus Borealibus tractibus, Arcticisque plagis legatur. Marc. Paul. vel Polus Venet. in Itiner. Tartar. lib. 3. c. 47. & seq.

3. Pars Asiæ tractum Orientalem, Regnum Chinæ & attingentes insulas, Corcan, Japan, Islas, Delas, Uclas, cum Philippinis possederunt.

4. Ulterius Meridiem versus in tractum continentem sinûs Persici, circa Pegu, Mallagan, Calicut, recesserunt; ac abinde porrò ad littorales Bornu, Moluccas, Javan majorem & minorem insulas, novamq; Guineam per fretum adjacens (quod Japhitis de regno China deq; aliis regnis circumjacentibus ad prædictas insulas, ob deflexum Ponti Septentrionalis & ductum æstûs marini, ex Streto de Anjan, valdè accommodatum & conducibile extitit) sese trajecerunt. Ibi ut Louys de Barthema refert, circa Sumatram plures ac 800. insulæ parumper distinctæ sitæ. Louys de Barthema lib. 5. itin. c. 31. p. 326.

Ex lumbis autem Japheti citatas regiones fuisse possessas, vel ex aliquot earundem nominibus, ut *Japan* & ambabus *Javan* insulis, primos parentes satis utcunq; indicantibus præsumendum. Itaque haud abs re Moses de Japheti filiis repetiit: *Ab his divisæ sunt* נפרדו Niphredhu *insulæ gentium in regionibus suis, quæq; juxta linguam suam juxta familias suas, in nationibus suis.* Genes. 10. v. 5.

Hodierni insuper Cosmographi, quod mirificissimum, in hac irrepugnabili sententia: ex posteris Japheti totam Indiam Occidentalem sive Americam, quinimò multò prolixiorem Terram Australem repletas fuisse, persistunt. Fretum quippe de Anjan, mediantibus faucibus peranguſtis, maximè se opportunum exhibuit. Ubi portus, faucesq; non solùm compendiosissimi; sed in tali quoq; compendio permultas cohærentes insulas intercipiunt. Quà Chinenses facillimè se transportare, hocce modô totam ulteriorem Indiam & Septentrionalem & Meridionalem occupare potuerunt. De his vid. Joh. Fischer tab. nov. Geogr.

Terram Australem consequenter ex Meridionali parte intrare promtissimum fuit, proclivâ æqualiter Freti Magellanici introductione. Quod similiter valdè propinqua littora obtinet, & adhuc intrantibus brevissimas, ac mutuò se apprehendentes insularum intercapedines, facillimosq; transitus ostendit; multisq; cohærentibus pen-

peninsulis expeditum aditum in terram *del Fuego* & Subaustralem præbet. Jam dictum Fretum Magellanicum nomen habet à Ferdinando Magellano, qui id 1524. primùm invenit, cujus propriam descriptionem reperies apud Adolph Decker. in itin. circ. univ. orb. ab 1623. usq; 1626. absolut. p. 24. & seq.

Magnitudinem Terræ Subaustralis, scribit Petrus Fernandus de Quir Hispanus: *Tantam esse, quanta sit totius Europa, cum Asia minori, usq; ad mare Caspium, cum Persia omni, omnibus insulis tam maris Mediterranei, quàm Oceani Gallici & Germanici, ne Angliâ quidem, Scotiâ, Hiberniâq; exceptis.* Pet. Fern. de Quir. Hisp. ap. Bent. tab. Geogr. p. 84.

De Japhitarum porrò extensione apprimè Nicolaus Fullerus conveniatur, ita assignans: *Notum est, Europam totam Japheto & posteris ejus fuisse attributam; majorem item Asiæ partem, nempe peninsulam illam grandem, quæ à sinu Issico ad Trapezuntem usq; pertinet, amplissimos item tractus à Cappadocia & Armenia (quorum incolæ Moschicæ sunt gentes à Mesech oriundi) item à Media & Persia, deinde ab Indo fluvio, Scytharum, Sacarum, Serum, Sinarum provincias ad ultimas Orientis metas, indeq; sursum versus ad ipsum usq; polum. Universam hanc plagam Septentrionalem, cujus magna pars Tartaria, Magni Cani imperium hodiè dicitur Mari Eoo Indicoq; terminatum.*

Et paulò post: *Plusquam probabile profectò est, ab ipsis primùm habitatam fuisse Indiam Occidentalem. Certa nempe res est: Gentes universas ex continente, quam nos accolimus, in quaslibet Orbis terrarum plagas tanquam Colonias initio fuisse deductas. Hinc India Occidentalis sive Columbina vel America primùm incolas acceperit, necesse est. Atq; ex omnibus hujus continentis tractibus longè aptissimus Japheticus, quocunq; nomine censeatur, Scythicus, Sarmaticus, Cimmerius, Cimbricus, Celticus, deniq; iste, quem nos spectamus, Septentrionalis, ad rem illam perficiendam. Itaq; sine ulla controversia multò ille quidem Septentrionalis propior est Columbinæ, brevisq; & facilis erga Indiam Occidentalem trajectio fuit, appropinquantibus sensim utriusq; continentis littoribus, donec tandem in angustam cervicem, ut quibusdam placet, aut saltem, quod verò propius est, in multas insulas, quæ modicis intervallis liberum & expeditum transitum penetrantibus præbent, disjunctas desinant.*

Atque

Atque paucis iterum interjectis: *Quare procul dubio à Japheti posteris Septentrionalium partium istius continentis incolis habitari etiam cœpta est India Occidentalis sive America, sive verius Columbina. Atq; istis valdè conveniunt, quæ Antonius Galvarus generosæ stirpis Lusitanus (qui diu apud Indos Muluccenses in potestate fuerat) in libello quodam de novarum terrarum inventoribus, Anglicè à Richardo Hackluito recens edito, commemoravit. Nimirum: Tabencos* (quos vocat) *seu Chinenses vehementer affirmare, sese omnium primos in longinquas orbis regiones navibus trajecisse; seq; cùm sient totius Tartariæ gens illustrissima, maximæ parti Scythiæ olim fuisse dominatos. Insuper ait: Prorsus credibile videri, à Chinensibus hisce Tartarisve, aut Scythis Orientalibus, repertam fuisse Columbinam & incolis repletam. Nam nationes ejus & moribus vivendiq; ratione & corporis totius filo, parvis videlicet oculis, naribus simis, aliisq; proprietatibus, persimiles sunt Chinensibus. Hucusq; Antonius Galvarus.*

Cæterùm utut hoc siet, satis tamen apertum est illud, Indos Occidentales primos à Japhetica terra, i. e. tractu hoc Septentrionali in regionem illam longè amplissimam, verèq; novum orbem concessisse, à sequentibus seculis ulterius, vel suâ sponte, vel pulsos à finitimis fortioribus, superatô Fretô Magellanicô in illud australe clima polo vicinum processisse. Nihil enim impedit, quum Fretum illud mirè angustum sit, utpote unius alicubi & perpaucarum alibi leucarum, teste omni exceptione majore Nobilissimô Navarchô nostrô Franciscô Dracone, Primarii Ordinis Equestris Virô, qui id totum perlustravit. Quamobrem (siquidem ad Europam, Septentrionalemq; Asiæ tractum Novus Orbis ut immensæ magnitudinis auctuarium Japheto posterisq; ejus accessit, & jure quasi hæreditariô in perpetuam possessionem obtigit) negari non potest, perfectè & absolutè impletam esse benedictionem, atq; Japhetum verissimè denominatum, qui dilatetur, h. e. vastissimum planèq; stupendæ magnitudinis spacium, duplicis portionis instar, non parcè & restrictè, sed largissimè effusissimèq; accipiat. Nic. Fuller. Miscell. sacr. lib. 2. c. 4. p. 170. & seq.

De harum terrarum cognitione, an priscis innotuerint, immensa digerenda esset; sed prolixioribus transitis sententiis, Georgii tantùm Hornii compendium adjiciam: *Certum est, inquit, antiquissimis temporibus orbem illum Occidentalem à Phœnicibus, Carthaginensibus, Romanis, aliisq; nationibus frequentatum fuisse. Deinde*

inde omnis notitia periit; cùm excisâ à Romanis Carthagine navigationes in Mari Atlantico negligerentur. Georg. Horn. in introduct. ad hist. univ. circ. med.

CAPUT VI.

De Japheti benedictione spirituali.

LÆtiferô nùnc gradu acceleret benedictio, & quidem ea, quam morigerus, sincerus & obedientissimus Japhetus, ob timorem DEI & piam patris reverentiam, in se posterosque suos transtulit spiritualem.

Textum originalem iterum repetere teneor: *Japht Elohim le-Jephet, vejischcon beohole-Schem.* Dilatet DEUS Japhet, & habitare faciat in tabernaculis Sem.

Quem ita illustravit Chaldæa paraphrasis: *Japht Jehova le Jephet vejischre schecinteh bemaschene de Schem.* Dilatet DEUS Japhet, & habitare faciat gloriam ejus in tabernaculis Sem. Utrorumq; illorum verborum Ebraici *vejischcon* & Chaldaicè *vejischre* Emphasin circumspicuam ex originalibus inæstimabilibus monumentis degustabis suavissimè.

Quæ benedictio spiritualis posterioribus seculis suum assecuta effectum; atq; Japhetus vel juxta Chaldæam paraphrasin *gloria ejus*, i. e. præcipua pars Japheti, consummatis temporibus, tunc demùm in *tabernaculis Semi*, h. e. in Melchisedeci sacerdotio, sive verâ Ecclesiâ, conversione ad fidem Christianam benignissimè susceptâ, habitare cœpit.

Cujus rei totam basin ex probi Patriarchæ Noæ oraculo constructam per relicta monumenta Moses fideliter adseveravit. Monumenta dignissima sunt, atque cum Evangelio Matthæi de conductione operariorum in DEI vineam aptissimè comparanda. Matth. 20. v. 1. & seq.

Verba, si numerentur, brevia & concisa, sensus verò si attendatur, copiosissimus & pervalidissimus. O magnam lautæ hujus prophetiæ admirationem & efficaciam! dignam profectò, quæ intimis semper infigatur animi medullis. Etenim Prophetæ & Patriarchæ Noæ Præconi justitiæ divinitùs sunt instillata verba, tanto autori, quô nemo unquam majori probitatis ac secretæ profundæq; doctrinæ dono præditus fuit. Profectò non sunt ambigua nec fallibilia

Apollinis oracula, quæ interrogantibus ſæpè periculoſa, credentibus peſtifera extiterunt. Sed plena ſunt veritatis & veritas ipſa; quibus eventus beatè ſubſecutus (Deo propterea laudes ſint decantatæ perennes) pari & æquali reſpondit effectu.

LXX. Viri textum originalem ita interpretati: πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφεθ, καὶ κατοικησάτω ἐν τοῖς σκηνώμασι τοῦ Σήμ. *Pandat vel impendat DEUS Japheto, & conducat ei, ſecundet ei, vel ſedem figat in tabernaculis Semi.* GOtt raume dem Japhet viel ein/ und verhelffe ihm zu den Hütten Sems.

Quando Japhetus in Semi tabernaculis dicitur habitaturus, genuinus hicce eſt ſenſus: quod aliquando in præcipuis ſelectis poſteris, non ſecundùm Levitarum victimas ceremoniasque: ſed ſecundùm Semi divô agnomine Melchiſedeci ſacerdotium & juxta incomparabilem dilectiſſimi Meſſiæ noſtri Jeſu Chriſti myſticè conceſſam æquiparationem, certiſſimè veriſſimèq; ſit crediturus.

Senſus eſt, quod Gentiles præcipuèque Japhitæ, extra Iſraelis conſortium poſiti, in gremium ſinumq; veræ matris, Eccleſiæ videlicet, ſint admittendi; velutiq; Oleaſtri oleæ ſanctæ inſerendi, conſortesq; radicis & oleæ pinguedinis, hoc eſt, gratiæ divinæ, verbi, ſacramentorum, meriti Chriſti, fidei, remiſſionis peccatorum, victoriæ ſpiritualis, cuſtodiæ Angelicæ, omnium imò beneficiorum ſpiritualium, ſalutiferâ Chriſti Salvatoris noſtri incarnatione, nativitate gaudio plenâ, cruentâ inſuper atq; amarâ paſſione & morte, quin & glorioſâ reſurrectione atq; triumphante adſcenſione acquiſitorum participes fiant. Vid. Rom. 11. v. 17. 18. & ſeq.

CAPUT VII.

De Objectis quibusdam.

AD OBJECTUM PRIMUM.

NOn deſunt Judæi vel Judaizantes S. Scripturæ frequentes depravatores; qui, ac ſi hac beatitudine nos privare, penes eos ſitum foret, confingunt, ſenſum detorquent, nugas inanes fundentes: *Heic ſaltem denotare plebeculam Japhiticam, prope Jeruſalem olim ſeſe detinentem, & ad templum ingrediendum, ceremoniasq; ſpectandas privilegiariam &c.* Sed qualis nugoſa, vana & mendax explicatio, nec teſtimoniis divinis, neq; hiſtoricis ſuffulta; ubi nulla textus

textus est verborum Emphasis: ubi nulla, quam Noa tamen in Japheti benedictione tantoperè magnificit & exaltavit *in Semi tabernaculis* vera collatio vel collocatio repræsentata invenienda. Cujus refutationem uberrimam reperies in Luth. Tom. Jenens. in Genes. 9. v. 27. ad h. l.

AD SECUNDUM OBJECTUM.

Judæorum alii textum merè temporaliter interpretantur: *Heic nimirum Japheti posteros Judæam & Palestinam devastaturos esse, prædictum fuisse.*

Verum hoc modô sensum quod attinet 1. Semi benedictio labefacta foret, quod pio & religioso Noæ divinitùs vaticinanti nequaquam imputandum. Semo enim solidè benedixit ac neutiquam veluti Chamo malè ominatus. Quod verò non tantùm Judæa & Palestina, sed etiam tota Asia, cum Syria & Ægypto, primitùs à Chamitis, Nimrodicis, Chusæis, deinde Assyriis, Chaldæis, Arabibus, Persis, Græcis, Romanis, Saracenis, tandemq; Turcis & aliis sæpenumero disturbata & adhuc devastata fuerit, ex pœna accidentali, ut multis aliis permaximis regnis contigit, propterq; peccata cumulata obvenit.

2. Quod Japhetum attinet, similiter benedictio ejus, si mera mundana & temporalis esset, falsata foret.

Noæ autem beatissimam & perfectissimam benedictionem fideliter apprecanti, ejusmodi matæologia & vaniloquentia, ad solam abominosam & bellicosam diffusionem spectans, minimè obtrudenda.

Neq; contenta textûs ita sapiunt; sed Japhetus vel juxta Chaldæam paraphrasin *gloria ejus tabernaculis Semi*, h. e. Melchisedeci sacerdotio, ejusq; ritibus, licet è longinquo sanè introducitur. Omnibus quidem & primùm Judæis salus DEI annunciata fuit; at nulli (exceptis præcipuis Japhitis) Evangelio obedientes permanserunt. Paul. ad Rom. 10. v. 6. & seq. vid. & Dav. Chytr. in Gen. ad h. l.

AD TERTIUM OBJECTUM.

Alii (ut Franciscus Vatablus, Nicolaus Fullerus miscellan. sacr. lib. 1. c. 4. p. 165. & Fridlib. in not. Bibl. ad h. l. deprehenderunt) sic exponunt: *Dilatabit quidem Deus Japhetum auctione mundanâ; sed ipse Deus semper habitet in tabernaculis Sem &c.* h. e. Deus solius Semi posteritatem in peculium eliget. Atq; ex commentario

Chaldaico τὸ: Gloria ejus non absolutè & relativè ad Japhetum; sed ad ipsum Deum divertunt.

Quod objectum concinnè ita refutandum.

1. Si appositum τὸ: *Gloria ejus*: ad ipsum Deum invocatum, adoratum vel appellatum tanquam ad personam in seipsum transeuntem applicandum foret, ex Chaldaico idiomate non שְׁכִינְתֵּיהּ Schecinteh, gloria ejus, sed שְׁכִינְתָּה Schecintoh, gloria sua resonare debuisset.

2. Benedictiones non sunt confundendæ. Atqui benedictio Semi: *De Benedicto Domino Deo Semi*, i. e. Messia, ex Semita Virgine Maria in plenitudine temporis oriundo, completè antea & dilucidè præcessit. Ergò cum Japheti vaticinio heic non obscurè erat confundenda.

3. Falsa si obtineret hypothesis; Japheto in Dativo casu benedicto, haud quaquam Ebræum *Vejischcon*, neque Chaldaicum *Vejischre*, neq; Græcum κατοικήσατο (i. e. coloniam ei exstruat, vel examen conducat, secundet) applicandum fuisset; sed aliud verbum continuam DEI & præclusam permansionem determinans, adaptari debuisset.

4. Quum proinde ipsi Semitæ Judæi, Semi præfigurationes & normam, non solùm neglexerint; sed ipsum verum promissum & à Semo Melchisedeco Regio Sacerdote præfiguratum Messiam repudiârint; nullâ ratione τὸ: *Habitare faciat gloriam ejus in tabernaculis Sem &c.* ad DEI vel Messiæ præclusam, adstrictam, devinctam, ligatam, infixam & compeditam perpetuam habitationem in Judæorum perversorum tabernaculis, coactè & præcisè detorquendum. Contra verò Japheti gloria, i. e. electæ posteritates *in Semi sive Melchisedeci tabernaculis* ambulantes, verumq; Messiam agnoscentes, indubitanter intelligendæ.

5. Noam in benedictione illâ divinâ & benignâ, solam mundanam & vanam gloriam, floremq; inanem tanquam coram DEO & respectu spiritualium bonorum nullius momenti, Japheto nudè & obiter arrogâsse, haud præsumendum; potiùs verò ac beatius ad suprema bona salutem divinam competitura, quæ rectè propriéq; vera bona censenda, prospexisse consentaneum.

6. Japheti primogeniti spiritualis benedictio & primogenituræ requisita illustratio, i. e. Japhitarum Gentilium conversio in primis illis post diluvium patefactionibus ac potissimùm in hisce Gentium fun-

fundamentis vaticiniis præmonstrandæ, necessariò indigitandæ sic competebant atq; restabant.

7. Si aliud vertetur, illud absurdum: Noam conversionem Ethnicorum aut ignorâsse aut reticuisse, resultat.

8. Maximi plurimiq; Interpretes & S. Scripturæ Doctores sanô hoc sensu intellexerunt; quos DEUS non ita penitùs in hoc præsertim excellentissimo puncto aberrare siverit. Consule apprimè B. Lutherum, qui mundanam gloriam prorsus floccipendens, totus S. explicationi affectus firmissimè huic sententiæ patrocinatur. Item Joh. Gerh. Fridl. & alios ad h. l.

9. Attestantur alia S. Scripturæ dictamina, ubi benedictio hæc aliquoties reiterata quasi legitur, ut: *Ex Abrahami germine benedictum iri omnes nationes terræ.* Multò clarius alibi ex ipsius Patriarchæ Jacobi vaticinio promanavit: *Non auferetur sceptrum de Juda, nec Dux de femore ejus, donec veniet, qui mittendus est Siloh, & ipse erit expectatio Gentium.* Item Rex & Propheta David adseruit: *Convertentur ad Dominum, universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus, universæ familiæ Gentium. Nam Domino est regnum, & ipse dominabitur Gentium.* Item Esaias: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo.* Ipse tandem Ethnicorum Apostolus firmissimè demonstravit, inferens: *Radix Jesse exsurget regere Gentes, & inibi Gentes sperabunt.* Gen. 12. v. 3. It. 18. v. 18. It. 22. v. 18. It. 26. v. 4. Gen. 49. v. 10. Psl. 22. v. 28. & 29. Jes. 11. v. 10. It. 60. v. 3. usq; 6.

10. Qualis consequentia, si quis præter celebratum, Ethnicis promissum, & à præcipua Japhitarum parte receptum Messiam, cum perversis Judæis sine sceptris & tabernaculis jamdiu vagantibus, malè & abominosè, alium expectaverit?

11. Ipse tandem exitus & eventus ita demonstravit. Apostoli quidem atq; DEI legati totum peragrârunt terrarum orbem, gratiam DEI omnibus annunciârunt populis; sed pauci accuratè secuti, exceptis Japhitarum aliquot, quorum *gloria adhuc in tabernaculis Semi*, h. e. vera Ecclesia requiescit. Multis licet in locis Christiani nomine tales reperiantur; revera tamen sunt alienissimi. Divus Paulus præcipuè à DEO donatus, qui prædicatione ad nationes convertibiles felicissimè functus, qui peculiaribus epistolis Galatas aliosque Japhitas recreavit, *qui à Jerusalem usq; ad Illyricum omnia Evangelio Christi se implevisse*, ipsemet professus est, Roman. 10. vers. 9.

Proinde ex hisce prædictis: quæ interpretatio S. linguæ proprietati ac ſenſui proximè accedat; quæ item maximorum & antiquiſſimorum Interpretum & ſanctorum Patrum conformibus ſententiis corroborata; item, quæ aliis S. Scripturæ locis cæterisq; probationibus confirmata, atq; proſperrimo exitu tandem repleta (quæ omnia heic coincidunt) iſtam præ aliis accipiendam eſſe, definitivè & categoricè concludo.

DEUS Omnipotens, cui mentes noſtræ quàm gratuitæ ſint oblatæ, in hac fide nos conſervare, ac tandem in æterna ſua tabernacula introducere velit.

CAPUT VIII.

An Japhetus Ethnicis cognitus.

MUlti conjiciunt inſignes Doctores, Japhetum quoq; Ethnicis Scriptoribus fuiſſe cognitum, ut & B. Lutherus: *De Japheto etiam Ethnicos ſciviſſe, eumq; Japetum nominaſſe*, conſenſit. Luth. com. in Gen. 10. v. 2.

Ut prorſus nihil omittam, falſam quoque & ridiculam Ethnicorum Japeti Etymologiam attingam, quam deflexerunt παρὰ τὸ ἵεσθαι καὶ πέτεσθαι ab emittere & volare; quomodo Euſtathius collegit: ἡ ὐρανία σφαῖρα λέγεται Ἰαπετὸς παρὰ τὸ ἵεσθαι καὶ πέτεσθαι, i. e. Cœleſtis Sphæra dicitur Japetus, ab emittere & volare. Euſtath. in Iliad. A. Videatur Proclus allegat. à Natal. Comit. edit. Hanov. 1619. lib. 4. Mythol. c. 6. de Prometh. p. m. 322.

Quanquam hîc Euſtathius in eadem Iliade primitùs notet ab ἰάπτειν τὸ ἄγαν βλάπτειν, mittere idem ac vehementer lædere, laceſſere.

Alii Græci fruſtrà ab ἰᾶσθαι, mederi, derivant. Verùm Petrus Walterus Chabotius Picto-Sanlupenſis rarus & præcellens ille in Horatium commentarius excuſus Baſileæ in officina Leonhardi Oſtenii A. C. 1593. (ubi allegata hæc maxima ex parte extant) expreſsè decidit: *Japetus ille Noachi filius dictus fuit à radice Pathah.* Petr. Walter. Chabot. in Hor. lib. 1. Carm. Od. 3. in pr. fol. ibid. 37. col. 2. lin. 60.

Rejectis derivationibus iſtis fluitent ſaltim illæ applicationes ab ἵεσθαι καὶ πέτεσθαι à volucri immiſſione q. d. emittat Deus & volare faciat Japetum per altitudinem, atq; ab ἰᾶσθαι mederi.

Heic

Heic juxtim apponere lubet: Gentiles apprimè Poëtas quandoq; *Jāpētum*, nonnunquam *Jăpĕtum* composuisse. Quod Poëtarum scripta legentibus, in pronunciatione maximoperè præscire conducit.

Verùm si Ethnicorum mutilatæ, sæpissimèq; depravatæ conceptiones notitiarum historicarum insigniô donandæ sunt, inter omnes potissimùm præstat Chaldæus Berosus, qui de Japheto & filiis ejus talem formulam adhibuit: *Japetus, qui & Jopetus & Cephus Italus genuit hos octo Duces ex Andromacha, qui sunt: 1. Comerus. 2. Medus. 3. Magogus. 4. Samotes-Dis, vel Dissamotes. 5. Tubal, cognomine Jubal. 6. Moscus. 7. Tyras. 8. Jon.* Beros. lib. 2. Antiquitat. in pr.

Octo heic numerantur Japheti filii, cùm tamen in tota S. Scriptura tantùm septem recenseantur. Dissamotes ergò superfluus erit, qui vel cognomen, vel à sciolo quodam Berosi corruptore immixtus. Nam si verus extitisset filius, Moses & Scriptor Paralipoménων haud reticuisset.

Japetus porrò apud præstrictos Gentiles, propter ætatem immemorabilem, *Cæli sive Titani & Terræ filius* confingitur. Hesiod. in Theogon. sive libel. de nativ. Deor. v. 19. & 139.

Quod hoc errore factum est: Gentiles veritatis originalis inscii, quando Majores suos genealogicè amplius, ulteriusve advolvere nequivêre, ne in infinitum caderent, originem ex Cœlo sive Sole & Terra tanquam communibus parentibus desumebant. Quemadmodum Tacitus de Tuiscone & Manno recensuit. Tacit. in Germ. c. 2. v. 3. & 4.

Vel alii, quibus ipse Noa Cœlum: & Conjux ejus *Titea vel Aretia*, i. e. Erde fuit, ita: *Cùm Cœlum Terram seminaverit, procerissimos Titanes tanquam à Titea genitos; quinimò cunctos prodiisse homines*, finxerunt. Vid. Beros. Ovid. & Xenoph. divers. l.

Nonnulli quidem Japetum habuêre magnificum & virtuosum, nonnulli atrô carbone notatum immitissimumu, exsecrabilem atq; ferocissimum Cyclopum Ductorem. Sed omnes unanimiter Promethei patrem constituunt.

Poëtarum Latinorum facilè Princeps Virgilius de gentili dierum selectione agens, quintam lucem post novilunium, quoniam inibi enormia exitia & noxia Terræ monstra contra Jovem militantia, diversimodè olim producta forent, his verbis exsecrat reprobatque:

Ipse

Ipse dies alios, aliô dedit ordine Luna
Felices operum. Quintum fuge: Pallidus Orcus,
Eumenidesq́ fata: Tum partu Terra nefando
Cœum, Japetumq́ creat sævumq́ Typhæa,
Et conjuratos Cœlum rescindere fratres.

Virg. lib. 1. Georg.

Unde permulti in hac opinione versantur: Istum Ethnicum Japetum alium & diversum à nostro in Sacris descripto extitisse. Verùm omnibus circumstantiis conspicuâ animadversione perpensis, merus archaismus provenit: Ethnici omnia confundentes, enormia facta prioris mundi contra verum DEUM, ad conamina Gigantum in falsum Jovem & pravum idololatram fabulosè detorserunt, & primæva cum secundævis commiscuerunt. Quæ sic se habent: Postdiluvianus quidam Tyrannus vel Chus, vel Nimrod, vel Belus se Deum Jovem projecit; à Semo verò & Japheto piis fratribus aliisq; sinceris viris adjuvantibus deturbatus est; cujus rei integra notitia procul dubio in libro de bellis Domini annotata, nobis periit. Sed de hoc vid. Petr. Laurenberg. in Acerr. Philol. centur. 5. Histor. 18. & seq.

Quæ historia ab Ethnicis ante- & postdiluviana pessimè confundentibus immanissimè corrupta est. Insuperque Jovem illum Tyrannum se in oppugnatores Cœum (fortassè Semum) Japetum & alios gloriosè vindicâsse, inconsideratè confictum, & fortissimis heroibus opprobrium affictum fuit. Quemadmodum usq; & semper piorum virtutes à malitiosis & frivolis hominibus in pessima facinora transtrahi solent. Quod & fortissimo Heroi Herculi juxta Lucianum contigit.

Nihilominus tamen ex hac implicata relatione verus noster Japhetus denominari potest. Heic quoque conducit, quod D. Philippus Nicolai 8. rationibus *Titanes fuisse ipsos Teutones, qui Chamitarum & Nimrodicorum Idololatriam debilitârunt*, confirmaturus procedit, Phil. Nic. lib. 5. de reb. Germ. Vid. & D. Joh. Micrel. in sua hist. sacr.

Ille quoq; Japetus, quem Ethnici unicum habent, justè rectèque Saturno, i. e. ipso Chamo antiquiorem constituunt; atque Promethei patrem comminiscuntur cum nostro Japheto, quoad tempus & alias circumstantias plures convenit. Vid. Hesiod. in Theog. v. 19. & 528. it. ἔργ. κὴ ἡμέρ. v. 58.

Porrò

Porrò falsus ille Jupiter, qui patrem Saturnum regno (quod Gentiles de Cœlo confingunt) expulit, prædictum Japetum tanquam acerrimum oppugnatorem vehementer timuit, & timorem simulavit. Ideò antiquissimus Ethnicorum Scriptor Homerus: *Jovem Junoni iratæ respondisse, se non curare neq; timere, etsi ultimos terræ marisq; fines, ubi Japetus Saturnusq; tanquam extremi sui adversarii sedentes, adiret, &c.* annotavit. Hom. Iliad. θ. v. 480. circ. fin. ibid.

Insuperq; Hesiodus, ut antea dictum, genealogicè *Japetum Saturno prætulit.* Et Pindarus: *Primos progenitores fuisse Japeti genitos & puellarum Saturniarum posteros, Reges,* accinuit. Hesiod. in Θεογ. v. 19. Pind. Od. 9. Olymp.

Ad exprimendam antiquitatem sequens paradigma conducat. Amor ab omni principio constitisse viget; Ethnici verò nihil antiquius ad æquiparandum habentes, Japheto tanquam primævo patri prætulerunt. Propterea Jupiter apud Lucianum Cupidinem de pueritia excusantem sic alloquitur: σὺ παιδίον ὦ ἔρως. ὃς ἀρχαιότερος πολὺ τῦ Ἰαπέτυ. O adolescentule amor! qui longè antiquior Japheto. Lucian. in Saturnal.

Respectum suum prædictus autor non ad Cupidinem quatenus Veneris filium, sed ut Lactantius eô nomine usus, absolutè ad amorem ipsum, qui omninò longior extitit Japeto, habuit. Lactant. lib. 1. Divin. Instit. c. 17.

Ante citatus Hesiodus de materiis primis, deque Amore talem confabulationem accinuit: *Primum omnium fuisse Chaos. 2. Tellurem vel terream materiam. 3. Amorem omnium suavissimum, solventem curas Deorum & hominum, atq; donantem in pectoribus animum & prudens consilium. Ipsumq; Amorem mediante terrâ* (nescio quo sensu) *genuisse Cœlum, sedem tutam Diis beatis, genuisse montes altos & Nympharum gratas speluncas: genuisse Pelagum & unda citatum Pontum. Tandemq; Cœlo conjuge genuisse homines. Inter quos præcelluêre Cœus, Japetus, Saturnus &c.* Heu qualis miserabilis Theognosia, vel Theogonia nedum Theologia. At sit, ut sit, attamen, Japheti heic antiquitatem inde apparere sufficit. Hesiod. in Theog. v. 116. usq; 137.

Amor cœlestis magnetis ad instar Deum ad condendum traxit mundum, cœlumq;. Sub cœlo vero quasi conjuge mundi, cum reliquis duabus Trinitatis Personis de creando homine, tanquam omnium creatorum nobilissimo compendio, creationem factam,

Ethnicos ſignificare & innuere voluiſſe arbitror. Vid. Geneſ. 1. v. 26.

Hinc ob inſignem antiquitatem Priſcis hoc : *τοῦ Ἰαπετοῦ ἀρχαιότερος*, proverbium valuit. Atq; ex hac comparationis ratione Plato: *Auroram Deam vix Japeto & Saturno antiquiorem* cenſuit. Plato in Sympoſ.

Præterea Japetum non ſolùm grandævum; ſed etiam valdè conſeneſcentem (veluti frater ejus Semus 600. annos compleverat) habitum fuiſſe, exinde diſpaleſcit, quod ſimiliter proverbii locô apud Ethnicos *Japetus pro ſene oblivioſo & repuerаſcente quaſi adhibeatur.* Sic namq; apud Ariſtophanem ſenex quidam conqueritur: *Japetum me vocabunt, non enim acceptarum plagarum memor ob ætatem.* Vid. Adag. Major. Eraſm. Roterodam. & aliorum in ſuis locis.

Titan & Japetus, Saturni fratres, Cœli & Terræ filii dicuntur aliquando communi conſilio regnâſſe, ut patet ex verſibus Apollodori Cyrenaici:

> Καὶ βασίλευσε Κρόνος, καὶ Τιτὰν Ἰαπετός τε
> Γαίης τέκνα φέριστα καὶ οὐρανοῦ ἐξεκάλεσαν.

Id eſt:

> *Regnavit Titan, Saturnus, Japetusq;*
> *Optima quæ Cœli (dixêre) & pignora Terræ.*

Apollodor. Cyrenaic. lib. 1. de Diis. allegat. à Nat. Com. lib. 2. Mythol. c. 2. de Saturn. p. m. 114.

Denique *οἱ πάνυ γέροντες λέγονται Ἰαπετοὶ, Κρόνοι, Τιθωνοὶ.* Qui ſunt admodùm ſenes, dicuntur Japeti, Saturni, Tithoni. Lucian. lib. 1. in Prometh. dialog. 1. de eo.

Tandem illi ipſi Japheto, quem unicum Gentiles habent, Aſiam Nympham conjugem, ex qua Prometheum, Epimetheum, Heſperum & Atlantem ſuſcepiſſet, adſcribunt. Quod figuratè accipi poteſt, Japetum inter alias acceptas mundi plagas, ingentem etiam Aſiæ partem ſortitum fuiſſe, quam inter filios ſuos poſterosque, quicunq; fuerint, diviſerit.

Alii Clymenem Japeti uxorem perhibent, ex qua Atlantem, Menœtium, Prometheum & Epimetheum ſuſceperit. Conf. Sapph. & Heſiod, in Θεογον. ſiv. Deor. generat. v. 508. & ſeq. cum eorum Scholiaſt.

Quid

Quid ex subsequente farragine carpendum, sapienti lectori committam: Buphagus in Arcadia fluvius est ab heroe Buphago dictus, qui Japeti & Thornacis filius fuit; quem honesta parùm affectantem in monte Pholoe Diana peremit Cæl. Rhodigin. libr. 26. cap. 2.

Ast quod est enormissimum, *hos prædictos omnes: Cœum, Japetum, Saturnum, Prometheum & reliquos &c.* nonnullis Ethnicorum Scriptoribus haudquaquam homines, sed instar Deorum terrestrium valuisse, inde colligendum, quoniam secundùm falsum eorum conceptum Prometheus genus primitùs formavit humanum. Multi quidem Ethnicorum, qui primævarum historiarum particulas mutilatas & corruptas perceperunt, omnia intricatè & depravatè confundentes, hominem quidem ultimò post omnes creaturas formatum retinuêre; sed an à Deo omnium Creatore, an verò à Prometheo Japeti filio ex terra, cœlesti semine superfusâ productum, fallibili opinione laborârunt. De quo Ovidius:

Sanctius ast animal mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est. Sive hunc Divino semine fecit
Ille Opifex rerum, mundi melioris origo;
Sive recens tellus, subductaq; nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina Cœli.
Quam satus Iapeto mistam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantem cuncta Deorum.

Ovid. lib. 1. Metam. fab. 2. v. 44. usq; 52. circ. fin. ibid.

Heic satus Japeto periphrasticè loco Promethei per Antonomasiam ponitur. Ubi Apollonius παῖς Ἰαπετοῖο καὶ Ἰαπετιονίδης habet.

Est & Poëtarum canor fingentium: *Istum Japeti filium Prometheum hominibus suis formatis, ignem ex cœlo, Jovi subreptum, intulisse. Ob quod furtum omnia immissa fuisse mala.* Quemadmodum Horatius comminiscitur:

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem Ætherea domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.

Horat. lib. 1. Carm. in pr.

Eruditi Prometheum, Japeti filium, ingeniosum plasten existimant, qui formas ex luto finxisset. Alii sapientissimum Virum extitisse, qui homines rudes bonis artibus informâsset. Sed hæc omnia Ethnica sunt figmenta; quæ ulteriori examine discutere, nec ventilare consultum, nec operæ precium.

Ethnici idololatræ religioso Japheto morborum caufam obtruserunt pari odio, quo posterioribus seculis Ethnici Imperatores Tyranni & persecutores crudelissimi, pestem, bella, incendia & alias ærumnas Christianis imputârunt.

Japhetum autem, Græci Japetum, & unum ex ejus filiis Prometheum nominârunt, & ab eo hominem ex limo terræ fictum, atque ignem Jovis ex cœlo delatum esse, hanc fortè ob causam, quia ex sermonibus ipsius doctrina de creatione protoplasti Adami ad Gentes emanavit. Vel quia veram sapientiam, quæ est radius lucis divinæ, videlicet doctrinam de DEO, præcepta de moribus, & leges motuum cœlestium, aliis tradidit. Ideò ab Hesiodo nominatur ἐΰς παῖς Ἰαπετοῖο. i. e. *bonus filius Japeti.* Item Ἰαπετιονίδη πάντων πέρι μήδεα εἰδώς. i. e. *Japeti fili! super omnes consilia sciens.* Vid Onomastic. Sacr. & Hesiod. ἔργα καὶ ἡμέραι. opera & dies. v. 50. & 54.

Verisimile est: Japetum cum suis in Europam in orbis divisione progressum, non statim è pectore omnem veri Jehovæ abjecisse curam. Cùm enim numerosam sobolem, cui tam vastæ terræ dispertiendæ erant, genuisset, non dimisit liberos à se & nepotes, nisi melle sapientiæ Divinæ tinctos. Sed fragmentis fabulosis pedetentim omnia depravata & penè insipida facta sunt. Promissiones quoque de Messia, caput Draconis contrituro, Ethnicis patuisse, confabulationes exortæ consignant: De Hercule Alexicaco in variis monstris conficiendis, Cerberum ligante & 12. labores insumente: De Apolline Pythium serpentem telis occidente: De Mercurio animas Orco educente, & in serpentes in Caduceo constrictos triumphante. Sed huc jam non digredior, priusquam demonstraverim: quomodo Antiqui per Venerem adumbraverint DEI venustatem, per Themidem ejusque tres filias, Dicen, Eunomiam & Irenen: Divinam justitiam, legem & pacem; per Cererem DEI in multiplicandis rebus largitatem. Et sic per alia symbola, alias ejus vires. Ita à symbolis Priscorum sacris, & hieroglyphicis emblematis, Dii Deæq; facti sunt; & quod prisca ætas docendis rudioribus effinxerat, ad Idolomaniam tractum est. Omnisq; Hierologia tam Orphica, quàm Hieroglyphica, fabulosis

losis Poëtis in materiam ridiculam figmentorum & turpium fabularum cessit.

Gentiles quoq;, ut ait Philippus Nicolai, *Hammonem in sacris abjectum, maximè extollunt & Diis connumerant; at Japetum, quem Moses à benedictione Divina commendat, respuunt, & ad damnatos relegant. Cur autem Japetum rejiciunt? Titanes instruxit, cum quibus falsos Deos impugnavit. En! ob idololatriæ contemtum, Japetum depresserunt. Unde autem Hammonem evehunt? Deos constituit, Deorum Parens prædicatur, quia Titanicam puellam vitiavit. Sed paulatim (quid dixi!) totus mundus superstitionum caligine, tanquam novô diluviô immergi, adeòq; penitùs obrui cœpit, ut nullum fermè Orbis regnum ab hac illuvie tutum & intactum relinqueretur.* Conf. Philip. Nic. lib. 5. de reb. antiq. Germ. allegat. à Joh. Micræl. Syntag. hist. Eccl. lib. 1. sect. 12 p. m. 16. usq; 21. cum allegat. Diod. Sicul. lib 6. c. 15. præprim. Gerard. Joh. Voss. in admirand. Idololatr. op. ubi hanc materiam absolutissimè pertractavit.

CAPUT IX.

De Japheti discessu & posteritate relicta.

PRæcipua Patriarcharum facta, cum residuis rebus bellisq; peractis inclutissimis, in libro, procul dubium, de bellis Domini recondita & abscondita nunc latent. Vid. Pet. Laurenb. in Acerr. Phil. cent. 5. hist. 13. & seq.

Integrum Japheti vitæ curriculum, senectus & discessus, haud evidentius, ac eatenus liquent, quatenus cum fratre Synchrono Semo (qui ante diluvium 98. progenitus, postea 502. annos vitæ adimplens, sexcentennis completè mortuus) licet non determinatè, implicitè tamen æquiparandus offertur. Gen. 11. v. 10. & 11.

Quin & summa Japheti senectus ex gentili illo consueto adagio: *quando Japetus pro sene, obliviosô & repuerascente* transumitur; confusè simul dispalescit. Conf. adag. mai. Erasm. Roterod. de Japet.

Cæterùm fœcundum Japheti genus hisce verbis expresse præfertur: *Hæ sunt generationes filiorum Noa: Sem, Cham & Japhet. Natiq; sunt illis filii post diluvium. Filii Japheti erant: Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Mesech, & Thiras &c.* Gen. 10. v. 1. & seq.

De posteritate Ethnicorum quoque Rhapsodias recurvare non defatigabor.

Prometheum, multarum artium inventorem, omnes consentiunt, Japeti fuisse filium; quicunq; etiam fuerit. Sed de matre magna est controversia: siquidem, ut aliis placet, Asiæ Nymphæ filius fuit. Alii ex Asope: alii ex Themide natum esse, putârunt. Hesiodus, Clymenes & Japeti filium fuisse, scribit; hisce in Latinum translatis:

Japetus Clymenem duxit dehinc Oceaninen
Perpulchram; simul hiq; thorum pressêre jugalem.
Mox Atlanta parit prudentem; deinde Menœti!
Te genuit: pariter Prometheu! callida cui mens:
Hinc Epimetheus exoritur, quem fallere promtum est.

Hesiod. in Theogon. v. 508. & seq.

Fuit ergò Japetus unus ex Titanibus, qui adversus Jovem arma sumserunt. Qui ante bellum Giganteum filiam habuit Anchialen, de qua nominata est urbs Ciliciæ.

(Cæterùm Asia Nympha, juxta Heród. Melpom. siv. lib. 4. num. marg. 105. fuit uxor Promethei; non mater.)

Japetus porrò, ut Isacius annotavit, *alteram filiam habuit Ephyram. Filios: Prometheum, Epimetheum, Buphagum, Menœtium, Hesperum, Atlantem, aliosq; plures.* Vid. Isac. rar. Græc. Aut. alleg. à Natal. Comit. lib. 4. Mythol. c. 6. de Prometh. p. m. 313.



LIBER VI.

De

JAPHITIS IN SPECIE.

IN antecedentibus de Japheti persona, nominis Etymologia, de duplici item benedictione, & de amplissima ejus posteritate, diffusè generaliter ac indistinctè tractatum. Nuncce de Japheti posteris atque stemmatibus in specie, quales propriè nationes abinde post diluvium processerint, quantumcunq; parabile, agere requiritur. Filii autem Japheti in Sacris septem declarantur. 1. Gomer. 2. Magog. 3. Madai. 4. Javan. 5. Thubal. 6. Mesech. 7. Thiras. Genes. 10. v. 2. 1. Paralip. 1. v. 5.

CAPUT I. Reservatum.

De Gomero Japheti primogenito.

IPse *Gomer*, (i. e. mensus vel mensuratus Japheti primogenitus) & posteritas ejus proximo libello subsequenti, ad concinniorem prosapiæ ordinem, reservetur.

Interim capitulum istud vel quasi ad observantiam requisiti ordinis debitô numerô insignitum. Vid. lib. 7. per tot.

CAPUT II.

De Magogo secundo Japheti filio & ejus posteris.

MAgog, i. e. ἄστεγος, sine tecto. Ma enim denotat sine & Gag sive Gog tectum; unde Magog Germanicè, Dachlos/ vagabundus. Filiorum hujus Magogi nomina (nescio quâ indignatione nos latente) haud exprimuntur. Vastissimas autem & immanissimas turbas inde provenisse ex Ezechiele ad abundantiam patet. Ezech. 38. & 39. de Gog & Magog per tot.

Propriè

Propriè autem atq; genealogicè à Magogo amplissimæ exoticarum ac Orientalium (Septentrionales Scythæ & Sarmatæ maxima ex parte à Gomero provenisse habentur) Scytharum, & Chinensium Tartarorum populi excreverunt. Antiquus Flavius Josephus accuratum testimonium exstruxit: *Magoges verò Magogarum à se denominatorum autor fuit, qui à Græcis* (abusivè) *vocantur Scythæ.* Fl. Joseph. lib. 1. Antiq. Jud. c. 7.

Scythæ quidem generaliter sumti, totidem ac omnes Septentrionales & Orientales Japhitas significant: Separatim verò etiam Magogitas, Nomades, Tartaros, Sinenses, Seres, Chinenses, &c. consignificare possunt. *Plagæ Septentrionalis maxima pars, Sarmatia, hodiè abusivè quoq; Tartaria & Magni Kani, Cani vel Kann imperium dicitur: Orientalis, ubi Magnus Mogul habitat mari Eoo Indicoq; terminatum. Tartari autem à feritate ita grandisonantes haud dubiè Scytharum Nomadum numero habendi.* Videantur Nicol. Full. miscell. sacr. lib. 2. vid. & Joseph. Hier. Cedren. Zonar. Laonicus Chalcocondiles Cælius. apprim. August. lib. 1. sacr. hist. it. Herod. lib. 4. Pomp. Mel. de sit. orb. & alii ad h. l.

Plinius expressè *Magogi* nominis reminiscitur, *& Bambicen urbem antiquissimam à Syris Magog dici ostendit.* Plin. lib. 5. cap. 1. & 23.

Ex quo sequitur, eos, qui Græcis vocati sunt Scenitæ, Hamaxobii, Hamaxobitæ, Scythæ, Sacæ, Nomades, &c. Syriacè Magogitas vocatos fuisse, ut D. Salomon Gesnerus attestaturus accedit. Heic coincidit, quod adstipulante Paulo vel Polo Veneto: *in Tartaria Jug & Mungug* denominatæ regiones valdè huc appropinquantes reperiantur. Salom. Gesner. in Gen. 10. ad h. l. Paul. vel Pol. Venet. in itin. Tart. lib. 1. c. 64.

Adhuc quoq; Magnus Indorum Mahumeticorum rectius Muhammeticorum Imperator ex genere Tartarico ortus, Mogol vel Mogul, quod congruit cum appellatione Magog, tyrannidis insigniô denotatur.

Turcas à Tartaris, sive vicinis sive cognatis progressos esse, communiter eruditi consentiunt. Herodotus in Scythiæ descriptione Ἰυρκας nominat, quos nonnulli à transcriptoribus corruptè scriptos esse Τύρκας existimant. Plinius ultra montem Taurum Turcos quasi Tauricos hodiernam prope Tartariam reponit. Herod. in Melpom. siv. lib. 4. n. 102. Plin. lib. 6. c. 7. vid. & Ptol.

Magog

Magog etiam unà cum Gomero Septentrionalium Scytharum genus propagavit. De hisce Philippus Melanchthon ita annotavit: *Magog gentem Septentrionalem denotare, & quidem postremis temporibus latè vastaturam Israel, id est, veram Dei Ecclesiam. Quare Scythicam gentem, id est, Turcicam intelligimus, quæ olim circumferebat tuguria, ut subinde alia loca occuparet. Cùmq; Apocalypsis ostendit: postremum regnaturum esse Gog & Magog, consentaneum est, Turcicam gentem significari appellatione Magog.* Phil. Mel. lib. 1. Chron. in pr.

Alii Turcas ab ipso Thogarma Gomeri ultimo genito, cujus posteritas Magogitis adhæsit, multis probabilibus argumentis deducere malunt. Quod sub ipso Thogarmæ capitulo explanatiùs.

De Tartaris illud sciendum. *A. C. 1200. quidam faber ferrarius, vel, ut alii volunt, bubulcus, Scythis ad arma concitatis & debellatò Johanne Imperatore Nestorianorum, amplissimum circa Sinam imperium constituit, & Chungris Chan vel Kan, id est, Rex Regum appellatus. A quo tempore universa Scythia* (quæ antea generalis multorum populorum patria fuit) *Tartaria, Scythæ verò & Magogitæ Tartari vocati fuerunt. Cujus nominis occasio inde fluxit, quod in illa expeditione Tartarica specialis Magogitarum sive Scytharum cohors semper præmitteretur. Quibus invadentibus, cùm vulgus afflictus inclamaret, Tartaros ingruêre, illud nomen paulatim universo exercitui, mox omnibus Scythis & Magogitis fuit impositum.* Georg. Horn. in introduct. ad hist. univers. circ. med.

CAPUT III.

De Madai, tertio Japheti filio & ejus posteris, deq; secundæ Monarchiæ Medo-Persicæ periodis.

MAdai à Midhah, id est, modius, mensura vel mensor. Flavio Josepho Madus, Beroso Medus. Ab hoc juxta etymologiam & probatissimorum Doctorum consensum Medi (cæteris posteris, procul dubio pluribus, iisq; incognitis coortis) præcipuè originem traxerunt; qui versus Orientem progressi, in regionem finitimam Armeniæ & mari Caspio.

In ea regione Dejoces urbem Ecbatanam condidit; cujus nepos fuit Astyages avus maternus Cyri, quem unà cum Dario regnâsse, Daniel memorat. Dan. cap. 5. v. ult. item cap. 6. v. 25. usq; ad finem.

Herod. in Clion. siv. lib. 1. num. marg. 35. usq; 97. Xenoph. lib. 7. de Pædejo Cyr.

Gens præclara Medorum, ut idem Daniel & Herodotus continuò testantur. In Sacris plerunq; Madai citantur, ut: 2. Reg. 17. v. 6. & 18. v. 11. Esth. 1. v. 3. & 14. v. 19. Dan. à cap. 5. usq; 9. per tot. Jes. 13. v. 17. Jer. 25. v. 25. & 51. v. 11.

Medi quoque ad tabernacula Semi accesserunt, cùm Daniel ex Darii Imperatoris mandato verum DEI cultum institueret. Atque Cyrus Persarum & Medorum Imperator veræ religionis patronus extitit; quin etiam, attestante Esdrâ, Hierosolymitani templi restaurator inclaruit. Dan. 6. v. 28. & 10. v. 1. Esdr. lib. 1. c. 1. per tot.

Difficillima quidem, sed utilissima res est, tam lectioni sacræ Scripturæ, quàm tractatui subsequenti conducens, nosse secundæ Monarchiæ Medo-Persicæ periodos chronologicas.

Prima Monarchia sub Sardanapalo non prorsus deleta. Medis licet & Assyriis rebellantibus, Babylonii tamen, conservatis Chaldæis & Arabibus, Monarchiæ titulum retinuerunt. Causa defectionis fuit Sardanapali mollities, dedignati, Belesus Babyloniorum, Tiglathphulassar Assyriorum & Arbaces Medorum præfecti. Qui Nineve expugnata, quum se incendiô consumsisset Sardanapalus, monarchiam & separata regna diviserunt. 1. Belesus vel Belochus sive Baladen, qui apud Ptolemæum aliosq; Scriptores antiquos, propter singularem æram, sive temporis epocham, Nabonassarus dictus, regnum Babylonicum adunatâ Chaldæâ & Arabiâ possedit. Cujus posteri varii sed celebriores Merodach & Ehardochabadus à Ptolemæo memorati; quin & Nebucadnezar, qui imperium Babylonicum omnium amplissimum reddidit, unde caput aureum Monarchiæ Babyloniorum à Daniele prædicatur. Hujus opus fuêre mœnia Babyloniæ; ideòq; pleraq; ea, quæ historiæ vulgò Nino adscripserunt, de hoc Nebucadnezare intelligenda sunt, sicq; consequenter historia Semiramidis ad uxorem ejus Neocrin spectat. Post Nebucadnezarem regnavit Evilmerodach, 4. Reg. 25. Jerem. 52. cujus fuit breve imperium: Ultimus fuit Belsazer, cui Darius Medus & Cyrus Persa imperium eripuerunt. 2. Tiglathphulassar vel Tiglathpilefer Æliano Thilgamus, Castori Rhodio Ninus Junior Assyriam cum Nineve & universis Bactris occupavit. Cui successerunt Salmunassar, Senacherib, Assaraddon & Chilodamus, seu Sarracus, sub quo Nineve à Medis iterum excisa fuit. 3. Arbaces Medus Mediam & Persiam asservavit.

De quibus implicitè Georg. Hornius in introduct. ad hist. univ. c. 1. de prim. Monarch. Period. 2. & 3.

Arbaces Medus autem, conflagratô Sardanapalô, Medis imperium, Persis quoque libertatem recuperavit, anno mundi 3148. ante Christum 823. Quam historiam locupletissimè & luculentissimè aperit Didodorus Siculus; posteros verò incongruis nominibus implicuit Diod. Sic. lib. 3. Biblioth. rer. ant c. 7. de Sardanap. per tot. it. c. 9. de reb. Med. per tot. à p. m. 156. usq; 170.

Herodotus continuat: *Quum Assyrii annis 520. Asiam obtinuissent, primi Medi ab iis deficere cœperunt, qui cum Assyriis pro libertate prœliati, strenuè se gesserunt, excussôq; servitutis jugô in libertatem sese asservârunt.* Herodot. cum recognit. Henric. Stephan. edit. Francof. 1595. in Clion. siv. lib. 1. numer. marginal. 18 p. m. 40.

Phraortes Primus Medus ab Herodoto porrò suppletus & Dejocis pater appellatus reponitur circiter anno mundi 3204. ante Christum 767. Ibid.

Dejoces Medus Phraortis filius. Hunc primum Medi Judicem, deinde ob justitiæ specimen Regem declararunt, Regiamque sedem Ecbatanam eidem condiderunt. Dejoces iste in exercenda justitia incorruptus, sinceros exploratores & auscultatores delictorum in ditione sua constituit. Regnavit annos 53. & mortuus anno mundi 3257. ante Christum 714. Ibidem numer. marginal. 19. p. m. 41. & 42.

Phraortes Secundus Medus, Dejocis filius, Persas debellatos in potestatem redegit, Asiam subegit; & in Assyria anno 22. regiminis cum pleraq; exercitus parte periit anno mundi 3279. ante Christum. 692. Ibid. num. marg. 19. p. m. 42. & 43.

Cyaxares Primus Medus, Phraortis filius, Asiæ populos primus in provincias, ordines & acies bellicas distinxit, Lydos exsuperavit, reliquam Asiam sibi conciliavit, Scythas Mediam ingressos expulit, partimq; tributarios fecit; Ninum civitatem expugnavit. *Post hac Cyaxares* (sunt Herodoti verba) *ubi 40. annos unà cum Scythis imperâsset, vita functus, anno mundi 3319. ante Christum 652.* Ibid. num. marg. 20. p. m. 44.

Astyages Medus, Cyaxaris filius, Medorum & devictorum Persarum atq; Scytharum Rex potentissimus celebratus cluit. Miraculosum illud somnium de filia Mandane habuit, quam postea Cambysi mediocri Persæ elocavit, prout historia de hisce parentibus & Cyro

filio notissima. Tandem, quum 35. annis regnâsset, ab Harpago & Cyro nepote captus & regno amotus est. Ctesias Cnidius Astyigem nominat atque tradit: *Fame sibi mortem conscivisse, atq; in deserto Persiæ loco cadaver ejus intactum permansisse, neq; à feris comesum. Leones enim cadaver ejus custodiebant, donec inventum, magnificè splendidèq; sepultum foret, an. mundi 3354. ante Christum 617.* Ibid. num. margin. 24. p. m. 54. Ctesiæ historia à Photio excerpt. de rebus Pers. fragm. lib. 7. num. marg. 1. circ. fin. f. istius. p. m. 580.

Astyages iste Medus etiam Sacris cognitus est, quem Daniel Ahasverum Priscum in Prophetia Canonica circumscriptum, in Belo Babylonico verò Astyagem expreßè declaravit. Dan. 9. v. 1. & in Bel. Babyl. in pr.

Cyaxares Secundus Medus Astyagis filius communiter adstruitur. Flavius Josephus, Darium Medum à Xenophonte Cyaxarem nominari innuit. Conf. Fl. Joseph. It. Dav. Chytr. in tr. de lect. hist. & Abrah. Bucholz. ind. Chron.

SECUNDÆ MONARCHIÆ

PRIMA PERIODUS.

Darius Medus, nonnullis Cyaxares Secundus, aliis Nabonidochus, quem Ptolemæus, citatô Berosô & Metasthene, Nabonidum nominaverit, apparet.

Cæterùm licet Medorum Regem quendam Cyaxarem vel Nabonidochum reponamus, eundem tamen à Propheta Daniele tanquam Chaldæo autographo, Darium peregrino etymo transnominatum fuisse, non est verisimile; nî prius nomen illud obtinuisset. Astyagis igitur fratrem, vel filium quendam, propriè Darium Medum audivisse, & ob summam excellentiam Sacræ Scripturæ, Gentilibus tacentibus, solummodò innotuisse, constat. Ut Propheta Daniel haud obscurè indigitat: *Et Darius Medus suscepit regnum annos natus 62. Et placuit Dario, ut 120. Satrapas universo regno præficeret.* Item paulò post: *Tunc Darius Rex omnibus populis, nationibus & linguis in omni terra degentibus scripsit.* Dan. 6. v. 1. & 25.

Juxta Flavium Josephum Darius fuit Astyagis filius, apud Græcos aliô nomine vocatus. Flav. Josephus lib. 10. Antiqit. Jud. cap. 12. per tot.

Alii ex libello illo apocrypho Bel. Babyl. (ubi post mortem Astya-

Astyagis regnum Cyro Persæ obvenisse extat) Astyagem ipsum Darium cognominatum fuisse rapiunt. Ast chronologia & aliæ circumstantiæ non conveniunt. Cyrus igitur, juxta sensum accuratissimum, postquam Astyagem ad ærumnam & necem compulisset, succedente tempore ad Regium fastigium, tandemq; ad Monarchiam conscendit; præsertim quum agnatus suus Darius Medus, quem superare non potuit, admodum senex à Daniele describatur; quô defunctô incomparabilem potestatem cumulavit. Plurimi tamen ex Esa. 21. v. 2. Adscende Elam, obside Madai, scil. Babyloniam, item ex abstruso illo portento: *Mene Mene tecel upharsin*, ac præcipuè ex verbo *Pheres*, regnum jam divisum & ad Medos Persasq; translatum, denotante, ambos: Darium Medum Babyloniæ & Cyrum Ninevæ vel alibi regnâsse, statuunt. Quod vel maximè inde confirmandum, quod Propheta *Daniel à tempore Nebucadnezaris usq; ad primum annum Corech, vitam transigens, evectus tam in regno Darii Medi, quàm in regno Cyri Persæ*, nullam voculam de expugnatione alterutra notaverit. Dan. c. 1. vers. ult. & cap. 6. v. 26. Flav. Joseph. cit. loc.

Darius Medus autem anno ætatis suæ 62. anno mundi 3395. ante Christum 576. regnum Babylonicum, occisô Belsazare, occupavit. Tandem ad veram DEI agnitionem à Daniele est conversus. Dan. 6. v. 26.

SECUNDÆ MONARCHIÆ
SECUNDA PERIODUS.

1. Corech vel Cores Persa, (qui Persicâ linguâ idem ac Sol est, teste Plutarch. in vit. Artaxerx. Mnemon. in pr.) Ethnicis Cyrus Superior Cambysæ vel Cambysis Persæ filius, & Astyagis ex filia Mandane nepos, mirabiliter educatus, Astyagem avum bellô superavit, Crœsum agnatum suum Lydorum Regem bellum inutile suscitantem devicit, Assyrios prorsus subjugavit. Iste Cores vel Cyrus, Monarchiam recuperatam maximè deinde dilatavit, anno mundi 3412. ante Christum 559.

Herodotus de morte Cyri ita præoccupavit: *Igitur, quemadmodum Persæ memorant, qui res Cyri non colorare, sed prout illæ se habent, referre student, ego scribam, gnarus, trifarias aliàs esse de Cyro narrandi vias.* Herodot. in Clion. siv. lib. 1. num. margin. 18. p. m. 40.

Deinde Herodotus colligere offert: Quomodo Cyrus ille Persa, Cambysæ filius à Tomiride Massagetarum vel Scytharum Regina, quibus infaustè bellum intulit, capite obtruncatus, & amarulentis opprobriis in utrem humanô sanguine impletum, intrusus fuerit, anno mundi 3437. post diluvium 1780. ante Christum 534. Sed Chronologi hanc circa denominationem valdè discrepant. Herodot. d. l. num. marg. 39. p. m. 86. in fin. lib. Vid. & Justin. lib. 2. in pr. Metasth. Valer. Max. lib. 9. c. 10.

Diodorus Siculus: *Cyrum Persarum Regem cum ingenti exercitu Scythiam ingressum à Scytharum Regina præliô superatum captumq; cruci affixum fuisse*, scribit. Diod. Sic. lib. 3. Biblioth. rer. ant. c. 11. de Scyth. p. m. 180.

Ctesias Cnidius: *Cyrum hunc jaculô ictum, domum reversum, testamentô hæredes admonuisse, filioq; Cambyse Rege denominato exspirâsse*, tradit Ctes. Cn. frag. lib. 8. num. marg. 2.

Xenophon vel ex adulatione, vel hallucinatione, Cyrum placidâ morte domi obiisse, solus confinxit. Xenoph. lib. 9.

Unde nonnulli Xenophonti assensi, tres Cyros formare conati sunt, ut Bodinus, David Chytræus & Abrahamus Bucholzerus seducti fermè observârunt. Cæterùm omne dubium, unà cum Herodoto patre historiarum Diodoro Siculo, Justino, Metasthene, Valerio Maximo & aliis, removit antiquus ille præclarus, sed parùm cognitus, Græcus Scriptor Arrianus Nicomediensis. Cujus autoritatem, priusquam iterum ad materiam revertar, decantare allubescit.

[Arrianum in specie Eusebius in annal. & Suidas in lex. Nicomediensem fuisse scripserunt. Eundem ob plura condita opera, Bithynica dicta & tria volumina de Epicteto Philosopho composita, Novum Xenophontem periphrasticè cognominat Stephanus Byzantinus Element. 13. Iste Arrianus libros Octô de rebus Alexandri M. reliquit. Alioquin Nicomediæ, ut ipse fatetur, honorem Magistratûs adeptus. Anno Christi 130. Romam veniens ab Hadriano usq; ad M. Antoninum floruit, teste Eusebiô. A quibus Imperatoribus, ut Heliconius testatur, honore consulari affectus. Legitur etiam, Arrianum hunc insignem fuisse Jurisconsultum, quem Paulus Patavinus citat in leg. Arrian. digest. de action. & obligat. Item Ulpian. Tyrius in l. 1. §. qui autem. ff. quor. legatorum. Ubi affirmat, ipsum bellissimè scripsisse. Plures etiam libros scripsit in Jur. Civil. & præcipuè de re militari. Ipsius quoq; extant leges in Pandect. Justinian.

Imp

Imp. ut l. videlicet, qui libertatem de liberali causa. l. qui cum uno. l. non omnes. Ac præcisè advocat ipsum Imperatorem Hadrianum Arrianus in l. omne dubium. §. qui vulneravit. Unde Philosophus, Historicus & Jurisconsultus excellens emicuit. Fuêre & alii Arriani posteriores, qui huc non pertinent. Cæterùm inter alia nostri Arriani monumenta octo libros de rebus Alexandri M. reliquit; quos, ut ipse lib. 1. in pr. fatetur, ex Ptolemæo Lagi & Aristobulo Aristobuli, & aliis antiquissimis Scriptoribus collegit, verissimaque eorum literis mandavit. Verùm Arriani octo illos libros Petrus Paulus Vergerius primitùs Barbarè & obscurè Latinos lacessivit. Quos jussu & privilegiô Sigismundi Imperatoris & Alphonsi Regis Arragoniæ, Bartholomæus Facrus Genuensis, Vir Græcæ & Latinæ linguæ eruditissimus emendare cœpit, & in eo studio annis circiter tribus dies noctesque incubuit, sed vix quatuor libris absolutis, morte præventus. Reliquos igitur Jacobus Curulus Genuensis summâ diligentiâ Latinos perfecit. Exemplaris autem mei titulus est: Arrian. Nicomedens. Nov. Xenophont. repurgat. à Bartholom. Facio excus. Basileæ 1539.]

Iste Arrianus, ut suprà inductum, omne dubium removit hisce verbis: *Sin illud objiciatur, Cyrum Cambysæ filium primum mortalium omnium à Persis ac Medis, Divinis honoribus affectum, cogitare oportet, eundem Cyrum à Scythis pauperibus ac liberis hominibus castigatum.* Item alibi: *Affirmare non possum, utrum clades apud Scythas accepta ex locorum iniquitate, vel aliô quopiam Cyri Cambysæ filii errore acciderit.* Arrian. lib. 4. in pr. p. m. 176. & lib. 5. p. 213.

Idem Arrianus de hoc Cyro superiore, Cambysæ filiô, & de Cyro illo juniore Darii Nothi filiô ac Artaxerxis fratre distinctè commemoravit. Tandem verò, quomodo Cyri Cambysæi obtruncati cadaver, permissu forsan reportatum, in Persia apud Pasargadas in hortis Regiis sepultum fuisse, hisce contentis indulget: *De sepulchro Cyri Aristobulus tradit: sepulchri titulum Persicis literis annotatum in hanc fermè sententiam: O Mortalis! Cyrus ego sum Cambysæ filius, qui Persarum regnum constitui, Asiæq; imperavi; itaque ne mihi ob hoc monumentum invideas, rogo.* Ibidem lib. 6. in fin. p. m. 292.

Hinc forsan error inolevit, Cyrum in Persia placidâ morte obiisse, quia ibidem sepultus. Sed nullus classicorum Autorum, tres Cyros

Persa-

Persarum Reges vel Principes unquam extitisse, articulatim compegit.

Cyrus autem iste superior reliquit Cambysen filium; & Atossam filiam, Hystaspis maritam.

2. Cambyses Secundus, Persa, Cyri filius. Qui 1. Esd. 4. Artaxerxes cum cognato Arthasasta, & in historia Esther Ahasverus vocatur. Hujus historiam recitat Herodotus lib. 3. obiisse sine liberis putatur, anno mundi 3450. ante Christum 521. Abrah. Bucholz.

3. Hystaspes Primus, Arsamenis filius. Quem, scribit Herodotus, habuisse conjugem Cyri filiam Atossam. Ibi Magorum breve interregnum reponendum.

4. Darius Hystaspides sive Hystaspis filius, in Sacris Ahasverus Secundus. Inter hujus concubinas numerat Herodotus Aristonam; quam, ait, valdè dilectam fuisse à Dario. Hanc, consentaneum est, fuisse Esther; cujus historia est in Bibliis. Darii anno 2. Aggæus & Zacharias Prophetæ populum Judaicum, ad instaurandum templum, exhortari cœperunt. 1. Esd. 5. & 6. Hujus Darii electionem & res gestas Herodotus lib. 3. 4. 5. & 6. copiosè exponit. Mortuus, ut colligitur, anno mundi 3486. ante Christum 485.

5. Xerxes, Darii filius, qui in Græcia bellum illud gessit infelicissimum. Quô regnante Herodotus vixit, & scribere desiit. Interfectus ab Artabano, anno mundi 3507. ante Christum 464. Herod. lib. 7. 8. & 9.

6. Darius Artaxerxes Longimanus. Hujus anno 7. Esdras Jerusalem venit Esd. 8. Postea anno 13. Nehemias. De hoc vid. Diodorum Siculum libro 16. Mortuus anno mundi 3547. ante Christum 424.

7. Darius Nothus, qui moribundus regnum Artaxerxi Mnemoni, Lydiam verò & Joniam cum multis civitatibus Cyro testamento legavit. Mortuus anno mundi 3567. ante Christum 404. Vid. Justin. lib. 5. c. 10. & 11.

8. Artaxerxes Mnemon, ab excellenti memoria ita dictus, Persarum Rex annos 43. Genealogia dehinc succedanea quum integra clareat & syncera, interim de Cyro juniore pertractare placet.

De Cyro juniori maximus error inde fluxit, quod modernorum historicorum nonnulli eundem non solùm tertium redhibuerint, sed etiam βασιλέα τὸν μέγαν vocârint. Cyrus verò junior non fuit βασιλεῦς, multò minus βασιλεῦς μέγας, magnus Rex Persarum. Juxta Ctesiam & Justinum, Princeps, Præfectus, Dynasta rectè justèq; percipitur.

Non-

Nonnulli etiam Interpretes Græcorum Autorum malè ad Cyrum istum in versionibus suis τὸ Regem suapte alleverunt. Nam, ut antea diximus, Artaxerxes (non Cyrus) in testamento patris & communibus suffragiis Rex declaratus excelluit. Nisi fortè quis fratres etiam Regis, Reges dici posse, prætendat; quod tamen hoc locô historiam valdè obscurare, nemini occultum esse potest. Eædem mendæ paulò ante ab Æliani Interprete commissæ fuerunt; nam τὸ βασιλεὺς in Græco non est, propterea nec Rex in Latino esse debet. Vid. Joh. Scheffer. Argentorat. in not. ad Ælian. lib. 12. c. 1.

Persicus iste Princeps Cyrus junior contra patris testamentum & jus gentium, ex incitamento frivolorum adulatorum commotus, bellum contra Artaxerxem fratrem majorem & legitimum Regem suscitavit, eundemq; auxiliô Græcorum, prope fluvium Euphratem haud procul à Babylonia, fermè superavit; sed propriâ temeritate seipsum vitâ & victoriâ privavit.

Quam rem gestam Ctesias Cnidius, qui prælio ipse interfuit, & nuncius ad Parysatidem Cyri matrem missus est, nervosâ hac narratione subsequente comprehendit; ut ex libello illo, qui Demetrio Phalereo vulgò adscribitur, Ctesiæ relatio annotata reperitur: *Stryaglius quidam Medus, quum ex equo Sacidem mulierem dejecisset, (apud Sacas enim mulieres eodem quò Amazones modô præliantur) eamq; & formosam, & ætatem florentem esse vidisset, salvam dimisit. At percussô postea fœdere, quum illâ, quam alioqui deperibat, potiri non posset, statuerat quidem inediâ vitam finire; scribit tamen prius illi hanc epistolam, quâ expostulabat: Ego quidem te servavi, & tu per me servata es, ego autem per te perii.*

Et paulò post: *Oportet autem, quæ facta sunt, non statim fateri facta esse, sed paulatim suspensum tenere auditorem nobiscum angi cogendo. Quod Ctesias in allato, de Cyri morte, nunciô fecit: Nec enim nuncius, simulatq; ad Parysatidem venit, et Cyrum mortuum esse dicit; (hæc enim Scythica oratio appellatur) sed primùm quidem victoriâ eum potitum nunciavit; quæ verba illi gaudium anxietate mixtum attulerunt. Postea verò interrogat,* scil. mater Parysatis, *at Rex quomodo se nunc se gerit? Tunc ille, fugæ se dedit, inquit. Illa sermonem excipiens, Thissaphernes horum ei malorum est autor, inquit, rursumq; interrogat: Cyrus verò ubi nunc est? Respondet nuncius:* παρ' ᾧ τινι τελέως ἀριστεύσαντας καταλύειν πρέπει, *i. e. ubi fortes viros diversari decet.*

A Plutarcho quoq; in vita Artaxerxis Ctesias allegatus: Ctesiæ

 narra-

narratio, ut brevibus multa perstringam, hujuscemodi est: *Cyrus trucidato Artagerse, equum in Regem permisit, & hic in illum, silentio uterq;. Occupat Cyri amicus Ariaus ferire Regem, nec sauciavit eum. Rex missâ lanceâ à Cyro aberravit, Thissaphernem autem fidum Cyro & fortem virum percussit atq; interemit. Cyrus intorto per loricam Regis jaculo, vulnus pectori illius ingessit duos digitos altum. Unde ille ictus vi defluxit ex equo in terram. Fugâ autem & tumultu cohortis Regiæ edito, Rex assurgens cum paucis (inter quos fuit Ctesias) tumulum vicinum cepit, ubi tenuit se quictum. Cyrum interea inter hostes volitantem equus ferox longè abstulit; nec ex tenebris jam cognoscebatur; ab hostibus & amicis quærebatur. Erectus autem victoriâ, ardorisq; & fiduciæ plenus, per medios vehebatur hostes, clamans: Cedite miseri! Dum hac identidem linguâ Persicâ clamat, pars venerabundi decedunt ei viâ. Sed cùm ibi tiara caput Cyri defluxisset, prætercurrens adolescens Perses (Mithridati nomen erat) tempus Cyri jaculo secundum oculum ferit, insciens quis sit. Eructante vim sanguinis vulnere, affectus Cyrus vertigine & sopore collabitur. Equus fugiens oberrabat. Prolapsum Cyrum excepit comes fidelis, & ægrè colligentem se assistentes evnuchi alteri equo imposuerunt, quo eriperent eum. Quem equitandi impotentem pedibus connitentem ire, sustinentes ducebant ob vulnus quidem in capite acceptum cespitantem; victorem tamen arbitrantem se, quia fugientes audiret: Cyrum Regem altâ voce appellantes, atq; ut parceret ipsis orantes. Interea Cannii, quidam homines tenui inopesq;, qui humilium ministeriorum gratiâ Regis castra sequebantur, confusi fortè cum amicis, qui circa Cyrum erant; ut tandem punicea sagula eorum advertêre, (quum Regii haberent omnes candida) intellexerunt hostes esse; ita ut unus eorum ausus est, ignarus qui esset, Cyrum jaculo à tergo ferire. Vulneratâq; poplitis venâ, prolapsus Cyrus tempus simul ad saxum offendit; unde animam exhalavit.* Et hæc contigerunt quadriennio post mortem patris Darii Nothi, anno mundi 3570. ante Christum 400. Ctes. Herodoto illi ab Henric. Stephan. recognito, & Francof. 1595. excuso coimpress. p. m. 590. Conf & apprim. Xenoph. lib. 1. per tot. Metasthen. & Phil. item incidenter Isocrat. class. 2. orat. 2. ad Philipp. it. Epist. 2. ad Philip. ubi temeritatem Cyri valdè animadvertit. Ælian. var. histor. libro duodecimo, cap. 1. Justin. lib. 5. cap. 10. & 11.

Ex prædictis quoque Ctesiam Cnidium insignem & artificiosum rhetorem præcelluisse, incidenter & evidenter collucescit. Qui matrem afflictam Parysatidem, insinuatione quâdam concinnè applicatâ, attentiorem prius factam, deinde dictô jam modô interpellavit. Orationis illud genus haudquaquam ἀλλότριον πάρεργον, seu alienum extraneum reputandum; sed rhetoricè potiùs definiendum est ἀντανάκλασις διανοίας περιφραστικὴ figura rei circumscriptiva vel obumbratilis; sive περιεργία, superfluitas, anxietas orationis; sive περιαγωγὴ, verborum circuitus. Propriissimè περιαστολογία vel πλαναίλογος, circumlocutio, anfractus, involucrum vel obliquitas orationis. Quæ figuræ hodiernis Rhetoribus parùm consuetæ. Huc pertinent quoque aliorum emblematum, paradigmatum & parabolarum genera, quibus auditorem in re aliqua commorari, detinere ac flectere possumus. Ejusmodi tali genere usi olim fuerunt Propheta Nathan & arguta mulier de Thekoa. Conf. Gerhard. Joh. Vossius lib. 4. Rhet. cap. 16.

Insuperque obumbratilis illa de Stryaglio Medo circumstantia simul observata haud absurdè applicatur. Ctesias enim, illatô Stryagliô, ipsum Cyrum, atque Sacide muliere despotεαn Sacaram vel solam vel cum Persis conjunctam allusivè præumbravit. Quemadmodum igitur Stryaglius virginem illam sibi non destinatam immodicè deperibat, ita Cyrus despotεαn incompetentem temerè ambiebat. Deinde veluti Stryaglius virginem fortè acquisitam inconsideratè amisit; ita Cyrus victoriam: amboq; cum vitæ detrimento furibundi sese præcipites egerunt. Per literas quoq; exprobrosas operæ & fidelitatis perditæ, Cyri seductiones, admonitiones & promissiones Sacis vel Persis (ubi se victorem exclamavit) frustrà oblatas, Ctesias obliquè redhibuit. Tandemq; fatorum ludibria cum solamine apposuit: *Cyrus est, ubi fortes viros diversari decet.* Vid. ulterius, ubi Herodotus & Ctesias desierunt, Thucid. Xenoph. Metasthen. & Diod. Sic. divers. loc.

CAPUT IV.

De Javano quarto Japheti filio & ejus posteris.

J*Avan* explicatur, hic est. D. Hieronymo *Ambiguus est*, vel *Non est.* Unde nonnulli simulatorem verterunt. Berosus eum simpliciter *Jon* nominat. Beros. lib. 2. in pr.

Jonicæ communiter vel Græcæ gentis Patriarcha celebratur. Sic enim Alexander Magnus Græcorum Monarcha apud Danielem *per hircum præfiguratus, nominatur Rex & Princeps Javan.* Dan. 8. v. 21. Vid. & Nehem. 2. Esd. 66. v. 19. Ezech. 27. v. 13. Zach. 9. v. 13.

Javan autem multifariorum aliorum populorum, Peloponnesium nimirum, Epirotarum, Cretensium, Cilicum ut & maritimæ Italiæ, sive antiquæ magnæ Græciæ incolarum fundator claret. Supersunt etiam, qui Indiæ Orientalis incolas de lumbis Japheti percensentes, in specie quosdam de hoc Javano desumunt, ducti ex regionum quarundam & insularum nominibus. Quarum præcipuæ: *Japan vel Japonia, duæ item Java vel Javoniæ major minorq; insignitæ.* Vid. Nicol. Füller. miscell. sacr. lib. 2. c. 4. & seq.

Javanum porrò consentaneum est (ait Philippus Melanchthon) *eundem esse, quem Græci & Latini Janum scil. juniorem sive posteriorem nominaverunt.* Phil. Mel. lib. 1. Chron. in pr. Vid. & Luth. com. in Gen. 10. ad h. l.

Cæterùm Javan genuit quatuor filios, qui fuêre: Ælisa, Tharsis, Chitim & Dodanim.

1. *Ælisa Javani primogenitus.*

Ælisa, i. e. sublatus vel DEI servus juxta Etymologiam, juxtaq; omnium Interpretum notas, Æoles in minori Asia fundavit.

Hunc Josephus Alisan vocat, & sic declarat: *Alisan Alisæis ut originem ita nomen dedit, qui hodiè sunt Æoles.* Joseph. lib. 1. Ant. Jud. c. 7.

Ab Æliso illo vel Elisa similiter ἕλληνες ita dictos provenisse apparet; item pro diversitate linguarum P-Elasgi non degenerant, juxta Herodotum *in insulis maris Mediterranei olim longè lateq; habitantes purpuram parantes.* Herod. pass. vid. & Gesner. comment. ad h. l.

Ab Elisa porrò, inquit David Chytræus, *P-Elasgos antiquissimam & populosissimam Græciæ gentem, ortos esse apparet. Ut autem Heneti in plurimis dissitisq; regionibus consederunt, ita & P-Elasgi* πολυσπερέες ἔθνος (ut Homerus eos nominat) *fuerunt. Vetustissima eorum sedes Thessalia fuit & Epirus, ubi in templo Jovis Dodonæi memoria Dodanim Elisæ fratris remansit. In P-Eloponnesum postea & Italiam promigrârunt. Sed belli Trojani tempore P-Elasgi etiam in Asia regione urbem Larissam Cunæ vicinam, ut ex Homero appa-*

apparet, tenuerunt. Occupârunt etiam insulas Asiæ minori vicinas, ut Crates testis est. Ideò Ezechiel ex insulis Elisa Hyacinthum & purpuram ad Tyrios adferri scribit. Et apud Poëtas campi Elisei celebres sunt. Item Æolus Rex ventorum, h. e. insularum in mari Græco. Dav. Chytr. com. ad h. l. Hom. Iliad. α. & β. Ezech. 27. v. 7. vid. & Strab. lib. 5. p. 153.

2. *Tharsis secundus Javani filius.*

Tharsis, vel Tharsus, i. e. contemplator maris, Cilices condidisse fertur: De quo iterum Josephus: *Pari modò Tharsensibus Tharsus originem dedit; sic enim olim appellabatur Cilicia, cujus rei signum est Tharsus urbium ejus regionis celeberrima, cæterarumq; Princeps.* Quæ Tharsus D. Apostoli Pauli patria fuit, hodiè Tirese. Joseph. cit. loc. vid. & 3. Reg. 10. v. 22. & 2. Paral. 9. v. 21. & 20. v. 36. Ezech. 38. v. 13. Jon. 1. v. 3.

3. *Chitim tertius Javani filius.*

Chitim vel Chetim à Cathah, i. e. percussor. Ab hoc, juxta diversos Autores, tres præcipuæ nationes provenerunt. 1. Macedones, de quibus maxima argumenta adstruuntur. Vetustas namque non modò dixit Macedonem, sed etiam μακετὴν, quasi dicas *à Cetim.* Quin etiam Alexander Magnus, qui antea Rex Javan generaliter prædictus fuerat, in subsequentibus apprimè apud Jesaiam vastator Tyri *Rex è terra Chetim vel Chitim* describitur. In libris item Maccabæorum *Alexander Rex de terra Chitim, qui Darium Persarum Medorumq; Regem cecidit*, expressè nominatur. Item Philippus posterior & Perseus Reges Macedoniæ à Romanis victi *Reges Cheteorum* articulatim describuntur. Παίονες insuper, quorum in Macedonica historia mentio fit Græcis perinde, ac Ebræis *Chetim* percussores significant. Unde & Ptolemæus *Cetium montem* in antiqua Pæonia constituit.

2. Italiæ maritimæ sive magnæ Græciæ priscos cultores olim inde provenisse patet; quando præprimis ultimum prævaricatorum Judæorum exitium ita annunciatur: *Trieribus venient ex Chitim* (Interpretes ex Italia) *superabunt Assyrios & vastabunt Ebræos.* Item contra *Antiochum Epiphanem venient naves ex Chitim*, Interpretes ex Italia.

3. De Cypriis tandem contendit Josephus hisce verbis: *Porrò Chetimus insulam occupavit Chetim nunc Cyprum. Quo factum*

 est,

est, ut tam insulas omnes, quàm pleraq; loca maritima Ebræi gentili voce Chetim significent. Attestatur mihi una ex Cypriis urbibus, quæ adhuc nomen retinet. Citium enim vocatur ab iis, qui in Græcum sonum vocabulum detorquent, ne sic quidem abludunt à Chetimi nomine. Vid. Jes. 23. v. 1. usq; 12. Jerem. 2. v. 10. 1. Macc. 1. v. 1. & 8. v. 5. Num. 24. v. 24. Ezech. 37. Dan. 11. v. 30. Vid. & Beros. ac Suid. divers. loc. Joseph. lib. 1. ant. c. 7. item Dav. Chytr. Com. in Gen. ad h. l.

4. Dodanim quartus Javani filius.

Per *Dodanim*, si ab *Anah* deductio fit, significantur cognati miseri; si *à Dan*, Judices dilecti. De posteritate ejus, ubi omninò processerit, parùm superstes. Quidam *Rodanim* legendum esse (ac si ר Resch errore transscriptorum in ד Daled; quod apud Ebræos similitudine literarum facillimè fieri potest) conjicientes Rhodios derivant. Philippus Melanchthon autem originali textu inculpato *Dodonæos priscos in Epiro* inde constituit & pergit: *Adeò vetus Dodonæ appellatio, ubi Hellenum regnâsse dicunt; ideò non reprehendo eos, qui Dodonæos in Rhodum collocant. Nam & Rhodii fuerunt Dorensium coloni.* Phil. Mel. lib. 1. Chron. in pr.

Dodanim autem nomen remansit in Epiro, ubi templum fuit Jovis Dodonæi, quod unà cum Jovis Hammonis oraculo monstratum fuit à duabus columbis ex Ægypto provolantibus. Prolixiùs describit Herodotus in Euterp. siv. lib. 2. n. 49. it. in Melpom. siv. lib. 4. n. 103.

Hæc ex diluvii historia promanâsse & à posteris, qui doctrinam patrum amiserunt, depravata esse apparent. Consentaneum est enim, Dodanim Japheti nepotem in ea Epiri ora, sedem Ecclesiæ & Scholæ instituisse, ut vera de DEO doctrina propagaretur. Hâc extinctâ, Diabolus blasphemiæ suæ & idololatriæ locum, ut semper in mundo fieri solet, ibi collocavit. Vid. Dav. Chyt. ad l.

CAPUT V.

De Thubalo quinto Japheti filio & ejus posteris.

THubal, id est, Politicus, Polypracticus, Thuscos, Italos, Iberos, Hispanos, omnesq; populos Cisalpinos secundùm probatam Doctorum sententiam congeneravit. Iberorum in Hispania singularem

larem mentionem Fl. Josephus ita fecit: *Quin & Thobelus Thobelis sedem dedit, qui nunc Iberi.* Flav. Joseph. lib. 1. ant. Jud. c. 7. vid. & D. Hieron. ad h. l.

Quod explanatiùs declaravit Philippus Melanchthon: *In gentium appellationibus quædam certa sunt ex nominum similitudine & testimoniis Propheticis & aliarum historiarum. Nec tamen similis est certitudo omnium interpretationum. Thubal Josephus interpretatur Hispanos & nominat Iberos. Fuerunt autem initiò Iberi & Chalybes in Asia vicini, inter Pontum Euxinum & mare Caspium metallicis venis clarissimi. Nomen autem Chalybes factum est ex alio vetustiori I-Alibes; quod congruit cum nomine Jobel exiguâ Metathesi literarum. Significat autem Jobel res natas ex terra*, ein Gewächs aus der Erden. Unde *Jalibes*, die dasselbe Gewächs gesuchet haben; sicuti nos dicimus, die Bergleute. Hinc *nomen urbis factum, cujus meminit Homerus:*

Αὐτὰρ Ἁλιζώνων ὁ Διὸς, καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον
Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.
Μυσῶν δὲ Χρόμις ἦρχε καὶ Ἔννομος οἰωνιστής.

Sed Halizones Dius & Epistrophus imperabant
Procul ex Alybe, unde argenti est origo.
Mysis autem Chromis præerat & Ennomus augur.

Hom. Iliad. β. circ. fin. p. m. 86.

Et Argonautas, (scribit Apollonius) à Chalybibus in Asia provenisse, de quibus cecinit:

Hæc gens tellurem rigidam non vertit aratrô.
Sed ferri venas scindit sub montibus altis.
Mercibus hæc mutat, quæ vitæ alimenta ministrant.

Hos Iberos & Chalybes in Asia, qui ibi venas metallicas scrutati sunt, ortos esse à Thubal consentaneum est. Nam & Ezechiel collocat Thubal in Septentrionem. Scribit autem Justinus in postremo libro, Chalybes in Asiam venisse, ac, ut credibile est, illius gentis homines quæsivisse venas metallicas etiam in aliis regionibus. Ideò non temerè interpretatur Josephus Thubal Hispanos, quia Chalybes ex Asia in Hispaniam migrârunt. Varias autem existimo gentes ab initio in Hispaniam ex vicino Asiæ littore infusas fuisse. Phil. Melanchth. lib. 1. Chron. in pr. Chronic. Carion. part. 1. Latin. exposit. & auct. à Phil. Melanchth. edit. Witeb. 1562. p. m. 22. b.

Pro-

Propheta Ezechiel *populorum de Thubal commercia describens, inter alia etiam metallorum meminit.* Item potentiam describens *tantam, quæ toti terrarum orbi terribilis sit, extollit.* Unde Italos vel Romanos vel Hispanos denotari, haud obscurè colligitur. Ezech. 27. v. 13. It. 32. v. 26.

CAPUT VI.

De Mesech vel Mosoch sexto Japheti filio & ejus posteris.

MEsech vel Mosoch, id est, extendens ab extendendis arcubus nomen factum esse videtur, aut certè significat longinquos aut procul extensos, die sich weit ausgebreitet haben. Moschios autem vel Moscovitas, Russos, Cappadoces, Caspios, item Armeniæ cohabitatores, olim prope Palestinam circumvolantes diffudit. Quorum feritatem immensam fuisse ipse Rex & Propheta David arguit, ubi de suo exilio conqueritur: *Heu mihi, quod peregrinor inter Mesech, & ago in tentoriis Kedar.* Ps. 120. v. 25.

Alii Tropicè Mesech exponunt pro impiis hæreticis & falsis insidiosis vicinis. Alii Allegoricè de futuris Ecclesiæ devastatoribus, intelligentes *per Kedar Arabes vel Saracenos*, ac per Septentrionalem Mesech, mediante quâdam Synecdoche, Gogi vel Magogi membrum. Vid. Ezech. 38. fer. per tot.

Moscovitas propriè inde descendisse vel ex ipsa Etymologia patet, atq; crebrò citatus Philippus Melanchthon efficaciter confirmat: *Mesech congruit cum appellatione Moscoviorum; Veteribus: Moschicorum vel Mossenæcorum in Argonautico carmine. Et scribit Poëta: Dictos esse à casis ligneis, quarum apud ipsos nomen fuit μοσσύνοι. Ea gens ut plerumq; aliæ, cùm primùm in littore Ponti Euxini sedes teneret, ad fluvium Thermodoontem, ubi & Cappadoces fuerunt, deinde versus Septentrionem progressa est.* Phil. Mel. lib. 1. Chron. in pr.

Strabo *Colchidis incolas ad Ponti Euxini littora Mosenæcos à ligneis casis ex propria lingua nomen traxisse*, erroneè conjecit. Strab. lib. 12. Geogr. it. Apoll. divers. loc.

Cappadoces similiter expressè inde denotat Fl. Josephus hisce verbis: *Et Meschini à Mesech autore appellantur. Cappadocum enim appellatio nova est, veteris autem vestigium adhuc superest. Urbs*

Urbs enim est apud eos hodiè quoq; Mazaca satis indicans intelligere volenti, hoc priscum fuisse gentis nomen. Fl. Joseph. lib. 1. c. 7. vid. & Hieron. ad h. l.

Quidam ab hoc Mesech Mysiam veterem Asiaticam utcunq; designant, quæ postea Cappadocia nuncupata. Alii prorsus absurdè Italiam innui distrahunt.

CAPUT VII.

De Thira septimo Japheti filio & ejus posteris.

THiras vel Thires, Id est, destructor, demolitor vel irrorans aut irroratus. Ab hoc secundùm omnes Interpretes Thraces per Metathesin literarum olim amplissimi populi exprimuntur. Reliqui posteri forsan plures sub densis ignorantiæ latebris absconditi latent. Nonnulli equidem ex Beroso aliisq; tradunt: ab hujus Thiræ posteris urbem quondam celeberrimam Tyrum, sacris etiam præclaram conditam; à Cananæis verò dum Japhitæ ex Palestina, Phœnicia, iisdemq; priscis sedibus discederent, inhabitatam fuisse. Vid. Dav. Chytr. & Salom. Gesn. ad h. l.

De his omnibus B. Lutherus ita concludit: *Hoc itaq; genus est Patriarchæ nostri Japheti, quem Gentiles etiam cognitum habitum, Japetum nominârunt. Ab eo exorti sunt omnes gentes Septentrionales: Scythæ nimirum universi, Medi, Tartari, Sueci, Norvegi, Poloni, Vandali, Dani, Tuiscones, Græci, Itali, Galli, Hispani, &c.* Et paulò post: *Qui omnes Japheti posteri; inter quos, procul dubio, sanctissimi Patres viguerunt, qui familias suas divinis & humanis institutis benè gubernârunt. Etenim, lege nondum certâ definitâ, cujus tenore præcisus locus sacrificiorum & religionis selectus, ubiq; sacrificare licebat; veluti & nunc adorare & religionem exercere, ubiq; licitum. Postea verò genus humanum magis magisq; ad idololatriam descivit.* Luther. Tom. Jenens. German. in Genes. 10. in fin.

CAPUT VIII. Extraord.

De explicatione cap. 38. Ezech. de Gog & Magog.

ET factus est sermo Domini ad Prophetam, dicens: Fili hominis! pone faciem tuam contra Gog, terra Magog, Principem capitis

Mesech (Mosoch) & Thubal: & vaticinare de eo, & dices ad eum, hæc dicit Dominus DEUS: Ecce ego ad te Gog, Principem capitis Mosoch & Thubal, & circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis, & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam hastam & clypeum arripientem & gladium. Persæ, Æthiopes & Lybies cum eis, omnes scutati & galeati. Gomer & universa agmina ejus. Domus Thogarma latera Aquilonis & totum robur ejus, populiq; multi tecum. Ezech. 38. v. 1. usq; 6.

Gog quatenus certus Patriarcha & gentis cujusdam fundator in sacris haud admodùm claret. Berosus quidem sub posteritate Chami ejusmodi recenset: *Chur* (forsan *Chus*) *genuit inter alios Sabam, cujus primogenitus Gogus, pater Ganges & Indi.* Beros. lib. 2. circ. medium.

Gogus itaq; Sabæ filius Arabiæ Felicis accultor Mahumetem rectiùs Muhammetem, cujus secta in tota versatur terra Magog, denotare, vehementissimosq; fidelium vastatores Muhammetistas præfigurare posset.

Aliis Gogus, i. e. Gigas apparet; à quo omnes ejusmodi qualiter Gigantes describuntur, sic denominandi forent.

Alii Syrum inde intelligunt, tanquam titulus iste ab antiquissimo Rege Gyge desumtus esset, cùm Asiæ Syriæq; populi inprimis Israelitarum infensissimi hostes extitissent. (Gyges autem heic non Lydorum Regis, sed antiquissimi Gigantis nomen est, de quo Natalis Comes in Mythologia.)

Schindlerus Gogum Magogi filium vel posterum existimat; atq; ille ipse & cum eo plures nimirum Joh. Magnus, Olaus Magnus, Aurelius Cœlius &c. Gothos inde deduxerunt. Sed illorum sententiam eruditè castigat Philip. Nicol. lib. de Ant. Germ. vid. & Schindl. in Lexic. Philol. sub nom. Magog. It. Philip. Henric. Fridl. in notis Bibl. ad h. l.

Cæterùm, an Gogus certus unquam Patriarcha extiterit, haud liquidò constat, sacris literis id satis non exprimentibus. Jure igitur meritoq; cum D. Hieronymo nomen *Gog* Allegoricè accipimus: *Gog* enim, id est, tectus, denotat Pseudoprophetam vel Hæresiarcham, omnium istorum malorum caput atq; autorem. Qui nullus alius, nisi Muhammet Periphrasticè ab Ezechiel *per Gog*, caput *Magogim*, allusionis vel Paronomasiæ quadam specie (quibus sacra lingua abun-

danter

danter gaudet) repræsentatus. Exempli gratia: *Gog in terra Magog* idem est ac dicam: *Caput in Capitolio illo maximo.*

Certò imò *Gog* connotat, effigiat & protendit caput illud perniciosissimum, quod Psalmistâ præcinente, Christus divinâ ac miraculosâ suâ potentiâ tandem percussurus erit: *conquassabit caput de terra multorum.* Ps. 110. v. 7. & Ps. 111. v. 5.

Muhammet enim caput illud, & Pseudopropheta ille est, qui Magogitas, Tartaros, Indos, Persas, Libyes, Ægyptios, Syros, Assyrios, Arabes, Turcas, & omnes obtexit Ecclesiæ hostes & occupavit: cujus finis & interitus in Johannis Apocalypsi ita describitur: *Et descendit ignis à DEO de cœlo, & devoravit eos. Et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris; ubi & bestia & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte, in secula seculorum.* Apocal. 20. v. 10. vid. & Hieron. in declarat. nom. Ebr.

Magogus genealogicè secundus est Japheti filius, & denotat Magogitas, hoc est, omnes alienigenas & exoticos, Scythas vel Tartaros Orientales, Indos, Kalicutenses, Chinenses, Seres & omnes, qui de Magog & Tartaris, ut ante pertractatum, descendunt.

Figuratè omnes hujusmodi asseclas, Ecclesiæ hostes & adversarios, unde etiamcunq; proveniant. Testis omni exceptione major adest Johannes in Apocalypsi: *Ubi gentes à Dracone congregatæ ex quatuor angulis terræ, Gog & Magog appellantur.* Apocal. 20. vers. 8.

Qui per *Mesech* vel *Mosoch* & eorum feritatem, item per *Thubal* &c. Moscovitæ nimirum Walachi, Iberi, Colchi, & ejusmodi copiæ auxiliares, qui contra veram Ecclesiam definitò tempore in unum fœdus conjurabunt, intelliguntur, similiter antea perceptum est.

Persæ, Æthiopes, & Libyes cum iis &c. ibi prædicatur fore, ut ex his omnibus ingens exercitus colligatur, *quorum numerus est, sicut arena maris.* Apoc. cit. loc. v. 8. & 8.

Gomer & universa agmina ejus, id est, Riphæi vel Hyperborei, qui similiter à Gomero proveniunt, & hodiè inter Russos vel Tartaros Albos, numerantur. Tartari enim non ex una natione linguâque; sed plurimis diversissimisq; populis consistunt. Plur. de his vid. apud Sigism. ab Herberst. it. Bonifin. M. Paul. vel Pol. Venet. Matth. à Michov. it. Haython. Armen.

Domus Thogormah latera Aquilonis & totum robur ejus, populiq; multi tecum &c. De Magogitis antea & eorum asseclis in ge-

nere dictum est. Nunc in specie *de Thogormah* Gomeri ultimô genitô peragitur & concluditur; unde plurimi Doctorum Turcicam gentem, quæ in ultima illa Barbarorum expeditione adversus Christianos, sævissima severissimè notatur, intelligunt. Plur. de hoc vid. inf. lib. 8. de Thogor.

Quam multitudinem ita gloriosè jactantem: *Adscendam in terram absque muro, & inde veniam ad quiescentes habitantesq́; securè. Hi omnes habitant sine muro, vectes & portæ non sunt eis:* Tu, O sanctissimum Oraculum Divinum! ita alloqueris: *Imò adscendes, ut diripias spolia & invadas prædam, & inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerunt & postea restituti. Et super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere cœpit, & esse habitatores umbilici terræ.* Unde Doctores transgressum per Poloniam, (Deus avertat) quæ non habet multas urbes & arces munitas ex hisce aliisq; conjecturis collegerunt. Vid. Luc. Osiand. & alios ad h. l.

OBJECTUM.

Jam antea: *Gomer & universa agmina ejus, inter turbas illas Gogi & Magogi validissimas* relata & connexa fuerunt, qui locus gravis aliquantùm & obscurus videtur. A Gomero enim Cimmerii etiam, & Germani sive Teutones proveniunt.

Sed 1. limitandum est, quod prædicata ista: Omnes, universi, cuncti, &c. in Sacra Scriptura pro multis vel plurimis, ac vice versa per Synecdochen quandam reciprocentur. Sic etiam *Gomer & universa agmina ejus* per plurimos Gomerenses, Riphæos nimirum, Hyperboreos, Russos, Tartaros & Turcas explicantur. Contra verò Gomeri primogenitus Ascenas vel Tuiscon ejusque posteritas usque & semper sese à Barbaris Magogitis separârunt; donec tandem successivis exulabundis migrationibus in hanc Europæ oram discesserunt. Multi ideò Gomerenses, non omnes impiæ & præpotenti Magogiticæ ambitionis asseclæ denotantur. De quo infr. libro 7. & 8.

2. Distinguendum est inter *universa Gomeri agmina* quatenus sic dicta vastissimæ illi multitudini adhærentia. Et inter particularem Christianorum fidelium manum firmam & constantem. Maxima proinde Gomerensium agmina, κατ' ἐξοχὴν universa, ac si reliqua

qua paucitas, respectu plurimorum, obscurata quasi & incognita videretur, nuncupantur.

3. Veluti non omnes ex Israel sunt Israel, ita non omnes ex Christianis sunt veri Christiani. Hisce enim corruptis seculis plurimi Gomerensium aliorumve Christianorum falsorum, sive rectius hypocritarum, sub sordidis quibuslibet veræ Ecclesiæ infensis stipendiis militant. Quodque deterrimum, (proh Christiani nominis indignitatem!) apud Turcas aliosque sanæ doctrinæ adversarios, plerique Duces & tormentarii reperiuntur peritissimi de societate Christianorum digressi. Quid igitur abest, quin Propheta sic exclamare, necesse spiramen sic efflagitatum habuerit.

Inde est, quod ipse Evangelista: *An Filius hominis Christus veniens, fidem in terris inventurus sit*, conqueritur, hoc est, sinceri fideles erunt paucissimi, quemadmodum ante diluvium universa caro corrupta erat. Luc. 17. v. 28. & 29. it. 18. v. 8.



LIBER VII.

De

GOMERO JAPHETI PRIMO-GENITO.

Qui omnibus Japhitis recensitis, adhuc, quo ejus persona ejusq; posteritas tam in communi & indistinctè, quàm in specie & ordinatè juxta formam normamq; concinnam historicam pertractentur, spontè reservatus.

CAPUT I.

De ipsius Gomeri statu & conditione.



GOmeri, cujus mentio in Sacris alibique aliquoties introducitur, nominis Etymologia est *complens, consummans*, item *Modius continens*, vel *efficiens, perducens, integer, perfectus*, vernaculô idiomate Garman. Gen. 10. v. 2. & 3. 1. Paralipom. 1. v. 5. & 6. Ezech. 38. v. 6. Vid. & Hieron. ad h. l. Item Flav. Joseph. lib. 1. cap. 7. Item Beros. ubi est Comerus per C. diversis locis.

Multa innumerabilia de hoc genearcha, quæ omnia sub vetustis gentilitiis convoluta, & densis seculorum viminibus obumbrata latent, desiderantur. Hoc saltem firmiter probari potest, eundem tales fermè vices, quæ pio Ebero & Abrahamo contigerunt, in suo genere passuq; persensisse, ex consequentibus ut patebit.

Singulis plerumq; piis Patriarchis, ut unà cum posteritate electa, degeneres stolones congeneraverint, evenit, ut monstratur. Gen. 11. per tot. 1. Paral. 1. v. 17. & seq.

Eberus inprimis, & benedictus Abrahamus diversarum gentium patres extiterunt. Ab Ebero enim non solùm Israelitæ & veri Ebræi; Sed

Sed etiam Chaldæorum, Syrorum & Arabum maximæ cohortes, nec minus Ophir, Libyæq; cultores ex Jaketan, qui tredecim filiorum & per consequens totidem tribuum stemmatumque propagator evasit, descenderunt. Gen. 10. v. 25. It. Gen. 11. v. 15. usq; ad fin. Vid. & sup. lib. 4. de Arphax. & Eber.

Ex Abrahami quoque lumbis, cui quàm sæpissimè promissiones de Messia annunciatæ & benedictiones cum patefactionibus attributæ divinis, cujus celebrata posteritas semen præ cæteris benedictum audivit, cui innumerabilia DEI dona & spiritualia & temporalia præmonstrata, qui tandem electum DEI populum veræ Ecclesiæ Israelitas fundavit; insimul immanissimæ gentes progerminârunt. Progerminârunt namque Ismaelitæ de Hagar Saræ ancilla, qui & Hagareni, item Saraceni & primi Mahumetistæ vel rectiùs Muhammetistæ cognominati in duodecim tribus divisi maximiq; ferocissimiq; populi, qui fatali suâ periodô multas regiones depopulati & Ecclesiam DEI vehementer afflixerunt. Progerminârunt Keturæ progenies: tandemq; Edomitæ vel Idumæi in Syria ab nepote Esau progerminârunt. Gen. 16. 21. 25. 27. & seq. pass.

Eandem conditionem & qualitatem Gomerus in generationibus suis expertus, ut eventus post mortem ejus demonstravit. Is erat Japheti benedicti primogenitus, cui benedictio duplex præcipuè competebat; nihilominus tamen juxta morigeram Ascenæ prolem, definitô tempore veræ fidei capacem, alios etiam degeneres posteros & perversos: ex Riphato nimirum Riphæos, Hyperboreos, & ejusmodi, qui inter Russos Albos & Tartaros numerantur, condidit; ex Thogarma, maximorum Doctorum consensu, Turcas eos ipsos secundùm Prophetam Ezechielem ultimos veræ Ecclesiæ devastatores congeneravit. Proinde dictum istud: *Domestici vel familiares hominis sunt inimici ejus infensissimi*, heic quàm accuratissimè congruit. Matth. 10. v. 37.

CAPUT II.

De Gomeri cognomine Galli relicta memoria.

Archipatriarcha & universalis nostrûm fundator *Gomerus*, antiquo Chaldæo Berosô semper *Comerus cognomine Gallus*, à primis statim post diluvium temporibus usque continuandis resonuit. Quod in Ebraica lingua est inundatus. *Galaath* enim, *vel Gallim*,

undam

undam vel inundationem apud Ebraos & Aramaos significat, ut Talmudista Samuel exposuit. Unde haud pauci doctissimi Viri, Gomerum hunc nostrum Japheti protogeni iterum primogenitum, intra diluvii tempestates, aut in utero matris reconditum vixisse, aut durante diluviô natum fuisse colligunt. Dum econtra Arphaxadus Semi primogenitus biennio post diluvium editus fuerit. Vid. infra lib. 11. c. 1. de nom. Gall.

Gomerum autem Gallum virum perfectissimum gravissimis negotiis, expeditionibus & commissionibus perfunctum ferunt. Noæ atque Japheti ablegandarum coloniarum Ducem inq; directione & populorum translocatione coadjutorem, in officiis denique publicis vicarium egisse fidelissimum, Berosi fragmenta constanter evincunt.

Annô 131. à salute ab aquis, Babyloniâ jamdum fundatâ. Janus pater in Asiam Orientalem misit Gangem cum aliquot ex filiis Gomeri Galli: In Europa Regem Sarmatiæ fecit Tuisconem à Tanai usq; ad Rhenum, junctiq; sunt illi omnes filii Istri & Mesa cum fratribus suis ab Adula monte usq; in Mesembriam Ponticam. Et paulò post: *Ipse Gomerus Gallus Italiam tunc temporis administravit.* Berof. lib. 2. arbor. genealog. 3. & lib. 4 pass.

In specie porrò verba ita resonantia supersunt: *Comerus Gallus* (annô Nimrodi 10. post diluvium 141.) *posuit colonias suas in regno, quod post Italia dicta est. Et regionem à suo nomine cognominavit, docuitq; illos legem & justitiam.* Et paulò post: *Annô 40. ejusdem Regis aliquot coloni ex filiis Comeri in Bactrianis sibi sedem quæsiverunt.* Berof. lib. 5. sub gest. Nimrod. in pr.

Item alibi: *Comerus Gallus iterum in Italiam venit, atq; more Scythicô Italos docuit urbem curribus componere. Idcircò urbes Veja appellatæ vocabulô Sagô, id est, Scythicô, qui Vejam plaustrum appellant, si magna sit Vlurdum, si mediocris Zyochelam, si parva sit Veitulam. Atq; subinde Comeri posteritatem Gallos appellatos fuisse*, subsequitur. *Annô Belei 45. post diluvium 232. Janus pater colonias posuit in Arabia Felici, & suo nomine unas vocavit Noas cognomine Janineas. Qui verò ex posteritate Gomeri Galli erant, ab avito cognomine illos appellavit Gallos.* Berof. lib. 5. sub gest. Bel. Jov. pass. Vid. & Johann. Annii Viterbiens. comment. ad h. l.

Difficilè equidem, quod Berosus de variis *Gomeri*, vel ut ipse scribit, *Comeri Galli coloniis* retulit. Sed partim de comitatu & introductione

ductione concomitativa intelligenda, partim re ipsâ vera sunt. Posteritas vel colonia Comeri, quæ sæpiusculè in Italia recensetur propriè in Norico prope mare Adriaticum Italiæ adjacens vel in Italia Ripensi ad stagnum *Ry-Comersum*, dem Comer-See statuenda est. Japhetus quoque duxit colonias in Africam ex filiis primogeniti sui Comeri; unde ad hanc ætatem Hispani modicam Afrorum partem vocant Comeros. De Asia dicit, *quod Janus Gangem cum aliquot ex filiis Comeri Galli in Asiam Orientalem miserit.* Ptolemæus quoque *Comeros vel Comeras* urbes in Bactris & India notat cum aliis Geographis. Vid. Ptolem. & Johan. Ann. Viterbienf. cit. loc. p. 30. b.

Gomeri vel Comeri Galli memoria adhuc in Italia retenta. Oppidum & solum namq; in antiqua Hetruria vel Thuscia nomine Clusium (per quod Hannibal olim in Aretium vel Arretium & Trasimenos penetravit) Plinió & Catone testibus, primùm *Comer Sol, i. e. Comeri solum* audivit, & quidem à Duce Comero, ut ait Cato, quod Livius *Comars* appellavit. Berosus ante consignavit: *Janum instituisse Regem Vetaloniæ Comerum cognomine Gallum, à quo regio & locus nominata sunt.* Vestigia permanent *in prisci Comer soli* memoria in agro Volturno, ubi *vallis Comera & Ryccmerium*, i. e. Regis Comeri amnis, der Comer-See. Et in Phaliscis *Comersana* insula. Plin. lib. 5. hist. nat. cap. 29. Cat. de Aborig. circ. fin. Liv. lib. 10. fol. 179. dec. 19.

Cimmerii, i. e. Gomeri posteri in Italia quoque erant ad Avernum & Bajanum sinum prope Neapolin & Puteolos; qui in subterraneis domiciliis habitantes per cuniculos commeare erant soliti. *Toto in illis die delitescebant, noctu tantùm ad latrocinia egressi, cùm victum ex metallorum alioquin effossione, divinationum mercede, & proventibus à Rege concessis quærebant*, ut ex Ephoro scribit Strabo. *Penes quos ingens quondam superstitio increbuit, loci natura erroribus suffragante. Ibi sacra nemora venerata, fluminibus etiam ac fontibus suus honor fuit. Specus præterea famosi & ad inferos crediti aditus: quibus intrare fas non erat, nisi prius, quo auspicatior descensus foret, sacrificiis Diis Manibus placatis.* Carol Steph. in lexic. Hist. sub nom. Cimm.

Specialiter jam recensitos Cimmeriorum populos, advenas conductos vel stipendiarios potiùs, quàm naturales indigenas extitisse verisimilius apparet. Ancipiti igitur hypothesi Silius Italicus de prædicta regione cecinit:

Cimmerias jacuisse domos noctemq́; profundam
Tartareæ narrant urbis.
Sil. Ital. lib. 12. de bello Punic. p. m. 201.

CAPUT III.

De Gomeri obitu & posteritate relicta.

TEmpus Gomeri mortis neq; ex sacris neq; profanis historicis accuratè determinari potest. Ex multis autem conjecturis & Berosi testimoniis aliisve rationibus, provectissimâ ætate (ut illius seculi Patriarchis longævitas divinitùs concessa fuit) obiisse, vel ex patruelium & consanguineorum agnatorum Synchronia dispalescit, e. g. Arphaxad Gomeri Synchronus & patruelis in æquali gradu ex Semo natus vitam suam ad 438. annos perduxit, obiitq; post diluvium 440. Sic etiam Salah, Eber, Phalech, Rehu & alii. Genes. 11. v. 10. usque fin.

Defunctô Gomerô posteri ejus in communi & indifferenter juxta Fl. Josephum dicti sunt *Gomarenses vel Gomerenses*, juxta Hieronymum *Gomeritæ*, juxta Berosum verò, Pomponium Melam, Plinium & alios *Comari* vel *Comeri*, item plerumq; Cimmerii vel Cimbri, tandemq; *Germani quasi Gomermani* pro diverso Autorum respectu percrebuerunt. Quæ posteriores appellationes in subsequentibus capitibus præcipuè observabuntur. Fl. Joseph. lib. 1. ant. c. 7. Hieron. com. in Gen. 10. Beros. Mel. diverss. l. de Cimm. vid. & Herod. pass.

In genere denique Gomerus omnium horum populorum: Tuisconum, Gallorum, Belgarum, Suecorum, Danorum, Gothorum, Norvegorum &c. ex Ascena sive Tuiscone: item Riphæorum, Hyperboreorum Novæ Zemblæ, Terræ Subaustralis incognitæ & Grœnlandiæ incolarum, quin & Sarmatarum, Paphlagonum, Henetorum insimulq; Russorum Alborum ex Riphat: item Carmanorum, Phrygum, Turcarum, Jugrorum & Hunnorum ex Thogarma: cunctorum imò Scytharum Septentrionalium (Scytharum autem appellatio, quorum Orientales de Magogo veniunt, generalissima est) fundator excelluit. Proinde *Gomer & universa agmina ejus & domus Thogarma* haud immeritò *latera Aquilonis* nuncupantur. Ezech. 38. vers. 6.

Veluti

Veluti autem Novus Orbis à Japhitis repletus censetur, sic etiam Subaustralis incognita & Nova Zembla ab iisdem, & quidem à Gomeri posteris Riphæis, Hyperboreis & aliis Septentrionalibus Cimmeriis, consita reputatur. Vid. Nicol. Füller. miscell. sacr. lib. 12. c. 4. p. m. 170.

CAPUT IV.
De Gomerensibus sive Cimmeriis in genere sic dictis.

NE de Cimmeriis, Italiæ, Arabiæ & Asiæ Orientalis, tanquam singularum coloniarum comitibus ab ipso Noa sive Jano & Japheto juxta Berosum coadunatis & præpositis aliquid proferam. Nec de Novæ Zemblæ & Terræ Subaustralis incognitæ incolis aliquid repetam.

Cimmeriorum quasi *Gomeriorum* nomen in sua significatione latissima de universis *Gomeri* posteris multifariis commune ac generale, ex memoria avita diffulget. Vastus enim tractus Septentrionalis est, vastissimasq; in se regiones (quæ ab Armenia & collaterali Oriente incipientes, à Meridie ad Thraciam usque & Græciam à Septentrione verò ad mare concretum pertingentes plerumq; sub magnæ Scythiæ, magnæ Germaniæ, Moscoviæ, Sarmatiæ, Scandiæ & Norvegiæ nomine continentur) amplectitur. Vastitatem illam de Cimmeriis olim ex Armenia digressis illucque profectis Græci & Latini Cimmeriam vel Terram Cimmeriorum, antequam Scytharum appellatio innotuit, inaugurârunt.

Hinc & Oceanus Cimmerius & Fretum Cimmerium pro mari concreto & extrema Boreali terrarum ora usurpatur. Atq; longè è diverso Bosphorus Cimmerius, Thracius intimatur.

Cimmeriorum diversa fuêre genera, præcipuè verò duo, Asiaticorum & Europæorum; unius tamen capitis & stirpis, sed locis modò diremtorum & linguis. Gesn. atque Chytr. comment. in Genes. 10. ad h. l.

CAPUT V.
De Cimmeriis prout Tuisconibus in specie.

QUemadmodum ex Eberi & Abrahami posteris, h. e. permultis aliis diversisq; coortis populis quasi separatis, soli Israelitæ pro-

togeni verum Gentilitium nomen reservârunt. Veluti à Mizraim, plurimi licet maximiq; Chamitarum populi in genere processerint; soli Ægyptii tamen genuinam appellationem retinuerunt. Ita & in hoc genere soli primogeniti Tuiscones pro Cimmeriis plerumque transsumi reperiuntur. Quæ sententia à plurimis quoq; antiquitatum Scriptoribus comprobari cernitur.

Berosus ex vetusto codice vel traduce contestaturus annotavit: *Anno Saturni 25. post diluvium 156. Janus Pater in Europa Regem Sarmatiæ fecit Tuisconem à Tanai usq; ad Rhenum (junctiq; sunt illi omnes filii Istri & Mesæ cum fratribus suis) & ab Adula monte usq; ad Mesembriam Ponticam.* Item alibi: *Tuiscon Sarmatas maximos populos fundavit. Et Mesa cum filiis Istri priscos Mesios posuit usq; Ponticam Mesembriam ab Adula monte.* Beros. antiq. Chald. lib. 4. & 5.

Noa sive Janus priscus secundi humani generis autor; atq; fundator noster Gomerus, prudentissimum fortissimumq; Tuisconem suæ ipsius posteritatis Patriarcham populosissimum, Regem adhuc totius fermè Europæ & directorem constituêre, hacq; ratione etiam Sarmatiæ designârunt. Cimmeriorum aliàs coloni, ut Poloni, Russi, Prussi, Heneti, Paphlagoni, Vandali & omnes Scytharum illustriores populi Sarmatarum nomine comprehenduntur. Quorum pater legalis atque Dux coloniarum præpositus Tuiscon. *Juncti sunt illi omnes filii Istri & Mesæ cum fratribus suis.* Qui quales fuerint ex commentario Johannis Annii Viterbiensis dispalescunt. Joh. Ann. Viterb. com. ibid. p. 31. & 32.

Fines insuper Berosus determinavit: *A Tanai usq; ad Rhenum, & usq; ad Mesembriam Ponticam ab Adula monte.*

1. Tanais notissimus Scythiæ Septentrionalis fluvius in radicibus Riphæis juxta Ptolemæum scaturiens, hodiernam Europam ab Asia dirimit tandemq; in Mæotin irrumpit.

2. Rhenus, respectu Tanais amnis Meridionalis, per se omninò benè cognitus.

3. Regio, quam Græci μεσάνβειαν ποντικὴν. Berosus *Mæsemberiam*, Philo *Mese-pharan*, Moses verò absolutè *Sephar* vel *Sepharan*, vocant, est plaga Orientalis. Claruit quoq; urbs ejusdem nominis, quæ prius Menebriæ nomen, i. e. *Menepolis*, Meneburg/ possedit, ubi post Megarensium colonia ingressa. Ædificator namque juxta Strabonem appellabatur Menas, at Bria *sermone Thracio civitas vocabatur.*

Mesam-

Mesambriam legit Herodotus: *Digressus Xerxes à Dorisco praeteriit primùm Samothracios muros, quorum ultimum oppidum* (respectu Dorisci vel Graeciae) *ad vesperum sita est Mesambria, cui vicinum est Stryma Thasiorum oppidum. Ambo oppida interfluit fluvius Lisus, cujus aqua tunc Xerxis copiis non suffecit. Haec olim regio etiam vocabatur Galaica nunc Briantica, quae tamen optimô jure Ciconum est.* Sophianus *Mesimbriam* hodiè vocari tradit. *Ermenum Tetza.* Heic verò Pontica Mesambria ut latus Orientale partimq; meridionale à Tanai usq; ad Thraciam obliquè transversum sumitur. Vid. Gen. 10. v. 3. Strab. lib. 7. Herod. lib. 6. n. 151. & lib. 7. n. 182. it. Sophian. & Tezt. suis loc.

4. Adula mons est, cujus termini sunt inter Alpes Galliam & Germaniam disseparantibus, non procul à lacu Constantiensi. In his viciniis sunt *fontes Istri*, teste Pliniô, *juxta Orientem promanantis.* Item *Rheni*, teste Strabone, *versus Austrum dilabentis.* Quinimò *mons Adula* immensa terrarum spacia in longitudine metitur diversisq; locis diversa sortitur nomina. Summa pars ejus Johanni Poldo est, S. Gotthards Berg. Autori Schudo est, der Vogel. Willichio, der Etzel / qui & ab incolis sic vocari addit. *Grajus hodiè appellari* scribit Jovius. Heic verò *mons Adula* maxima pars Alpium tanquam occidentale transversum latus subintelligitur. Vid. Plin. lib. 4. c. 13. Strab. lib. 4. Item Joh. Ann. Viterb. com. in Beros. ad h. l. Jovian. in libel. de Larii Lac. descript.

Termini igitur & fines secundùm quatuor mundi cardines descripti: *A Tanai usq; ad Rhenum, & à Pontica Mesembria usq; ad montem Adulam.* Quorum longitudinem & latitudinem per lineas directas & transversales recensere difficile. Comprehenduntur maxima ex parte Sarmatia Europaea, è diverso antiqua Ascania cum adjacenti Thracia & Pannonia. Ad Adulam verò nostra Germania cum Helvetia, superior & inferior.

Claruerunt praecipuè Cimmerii Bosphorani. Quorum termini à priscis descripti erant ad Boristhenem, ad lacus Moeotides, Phasin, Colchidem, Tanaim, Tauricam Chersonesum & Araxim fluvium, usq; ad confinia Graeciae juxta Herodotum. Item montes Cimmerii ad Armeniam & Albaniam, ubi hodiè maxima ex parte est Alba Russia & Tartaria. Herod. in Melpom. siv. lib. 4. Ptol. tab. 2. As. vid. & Plin. lib. 6. c. 7.

CAPUT VI.

De Majoribus nostris specialissimè.

CÆterùm Patriarcham Tuisconem cum sua posteritate nationibusq; commissis, primô vel secundô post diluvium seculô, penitùs has implevisse plagas, nec ex Beroso sequitur, nec ineptè rapiendum.

Janus, Japhetus, atq; Gomerus experientissimi Cosmographi, dilectis Tuisconis & Manni posteris, tunc temporis forsan antiquam Ascaniam possidentibus è longinquo futuras & succedenter occupandas regiones, per vaticinium quasi vel manifestationem commonstrârunt & distribuerunt. Quam arcanam historiam Berosus aliquot ante Christum seculis florens, ex vetustis Chaldæorum mysteriis, tanquam excerptum fatum, posteritati patefecit.

Item in S. Scriptura eodem seculô vel paulò ante introducitur: Ab his scilicet filiis de Javan *diffusæ sunt insulæ gentium.* Item eodem seculô: *Fines eorum* (sc. filiorum de Canaan) *erant à Zidon usq; ad Gasan & multò amplius.* Item eodem seculô: *Fines eorum* (sc. filiorum de Jaketan) *erant à Mesa usq; ad Sephar juxta montem orientalem.* Gen. 10. v. 5. 19. & 30.

Sed quis sanæ mentis dictas jam regiones, tunc temporis statim post diluvium incolis relatis impletas fuisse, statuet? Quartô verò seculô, ad miraculum usque, ut bellis alternatim invaserint, accrevisse, legimus. Vid. Gen. 14. v. 1. usq; 16.

Sensus propterea inculpabilis est ejusmodi: Noam Japhetum atque Gomerum peritissimos Cosmographos, habitacula contingentia plerisq; posteris, ita & Tuisconibus per demonstrationem indigitâsse remotam.

Migrationes profectò atque turbationes Cimmeriorum Majorum nostrorum tantæ extitêre & immensæ, ut considerantes obstupefactos fermè reddant. Ne de exitu Israelitarum ex Ægypto aliquid dicam! nostratium certè immaniores. Quis igitur Cimmerios Tuiscones cum Sarmatis à principio usque adhuc numeratas plagas emensos fuisse inficietur? Quis Berosum verissima complexum criminetur falsi? Vid. infr. lib. 9. pass.

Berosus etiam de Rheni primis accolis ita suffragatur: *Annô Nini 4. post diluvium 253. Tuiscon Gigas Sarmatas legibus informat ad Rhenum.* Item alibi: *Annô Semiramidis 6. post diluvium 306. apud*

apud Rheni-Sarmatas regnavit filius Tuiscionis Mannus. Berof. lib. 5. p. 49. a.

Sarmatæ, quorum nomen quid importat sub speciali capitulo lib. 10. explanabitur, heic in significatione diffusa, Scytharum principaliorum instar, quales & Tuiscones reponendi, transsumuntur.

Per *Rheni-Sarmatas* corrupto correptoq; idiomate, nimiâ antiquitate coincidente, *Cohortes ad Rhenum*, Schaaren oder Heerschaaren bey dem Rhein / subintelligendos esse, Johannes Aventinus contendit. Vel *Rheni-Sarmatæ* ipsi iidemq; reponendi sunt, quos Flavius Josephus *Rheginos*, sive potiùs *Rheningos* intimare voluit. Quin & in ipsa ripa Rheni è regione Coloniæ Agrippinæ antiquum oppidum Teutsch/atq; ex adverso Mannheim/ tanquam incunabula gentis nostræ pleriq; genealogici cum Aventino statuunt. Vid. inf. lib. 10. It. Fl. Joseph. lib. 1. c. 7. It. Avent. & alios.

Ex quibus circumstantiis universis, (si quid in his terris certum firmumq; determinari potest) ex destinatis veræ firmæq; patriæ locis optimum fermè, Rheni nimirum circulum tertiô statim post diluvium seculô, accultum fuisse liquet. Prisca inter Armeniam atq; Græciam comprehensa Cimmeria diversorium potiùs Majoribus nostris & hospitium temporaneum, quam mansionem certam fixamq; suppeditavit. Incredibiles profectò totius terrarum orbis mutationes exorsæ, priusquam singulæ gentes, ordine quô nunc sunt, succedenter consedêre.

CAPUT VII.

De tempore Cimmeriorum Tuisconum exitus.

NE præcisè de anno quid proferam, de toto seculo, quô Cimmerii nostrates penitùs omnimodè ac universaliter, ex antiqua Cimmeria inter Armeniam atq; Græciam prope Mœotides consita, ubi in ipso Ponto Euxino Bosphorus peranguftus usq; adhuc Cimmerius audit, egressi fuerint, inter Chronologicos historicosq; disceptatur quàm vehementissimè.

Diversis seculis emigrârunt; sed potissimùm Josuæ temporibus octavô vel nonô post diluvium seculô, non solùm multarum perinsignium provinciarum, urbium nationumque incrementa, sed immensa insimul & Ogygia miracula, ineffabiles coloniarum perturbationes, populorum mutuæ expulsiones, variæque diversiones regio-

natim

natim increbuerunt. 1. Athenas Atticas in Eubœa Cecrops Diphyes, quô regnante Oliva in arce sic inde vocatarum Athenarum enata est) fundavit. 2. Incendia illa à Phaetonte Astronomo prædicta æstu ingenti elicita Æthiopiam & Italiam exusserunt. 3. Deucalionis diluvium, regnante adhuc Cecrope, contigit. 4. Xanthus Triopæ Regis Argivorum filius Crotopi frater Lesbum insulam incolere cœpit. 5. Epaphus in Ægypto regnans Memphin condidit vel amplificavit. 6. Lacedæmon ad Spartam à Lacedæmone Jovis ex Atlantide Electra filio condita. 7. Arcas Jovis & Calistûs filius Pelasgis in ditionem redactis Arcadiæ regioni nomen imposuit. 8. Gelanor in regno Argivorum successit Stenelao, sed ab Argivis regno pellitur, & Danaus in locum ejus assumitur, quem primum Aquilegem fuisse ferunt, Argivorum regionem aquis irrigantem. 9. Busiris Neptuni & Libyæ filius circa hæc tempora in vicinia Nili tyrannidem & latrocinia exercuit. 10. Tyrus condita ab Agenore Phœnice, quæ deinde in immensum aucta, ubique gentium celebris facta. 11. Cadmus Thebas, & 12. Thasus comes ejus, Thasum condiderunt. 13. Bithynia à Phœnice exculta, & urbes ibi conditæ, vel potiùs coloni eò missi sunt. 14. Miracula inaudita in Ægypto contigerunt. 15. Tandem Cananæi à Josua & Israelitis expulsi in Africa perduxerunt illustrem Pœnorum gentem ; unde juxta Procopium inclutissima Carthago exstructa, & id genus alia. Vid. Eusebium in Chron. African. Cedren. Procop. & al. diverſ. loc.

Ab ejusmodi admirabilium seculorum periodis eruditi Ethnici Astrologi & Chronologi certas epochas vel æras desumere & denominare olim soliti.

Quemadmodum igitur Numen Divinum & Altissimum nonnullis seculis tantas admirabiles mutationes, ut secula Nimrodi, Kedarlaomaris, Pharaonis, Nebucadnezaris, Cyri, Darii, Alexandri Magni testantur, permittit. Ita & illô post diluvium climactericô seculô Majorum nostrorum universalia exilia ex umbris jam revocata non immeritò conferenda esse, excellentissimus Historiographus Albertus Kranzius Eusebium, sed innominatô locô, contestans adseveravit. Vid. Albert. Kranz. lib. 1. rer. Goth. & Suec. in pr.

Herodotus discretas de priscorum Cimmeriorum exitu notas, sed ut facilè ratu, propter summam antiquitatem intricatas reliquit: *1. Ante Crœsi imperium*, inquit, *universi Græci liberi fuerunt. Nam Cimmeriorum* (sc. ex Scythia fugatorum) *per Joniam transgressio vetustior Crœso extitit, non tamen urbes expugnavit, sed in*

in transitu prædas abegit. Herodot. in Clion. siv. Lib. 1. in principio.

Exodus prædicta longissimè ante Crœsum extitit, imò ante Ulyssem & Trojæ expugnationem: *Ulysses enim*, teste Strabone, *Cimmerios non ignoravit, qui ejus memoria vel paulò ante eum per totam Jonicam discursârunt.* Strab.

Longè ante seculum Herculis Græci & Thesei atq; Argonautarum expeditionem id contigisse, ex Diodoro Siculo conjici potest; ubi Cimmerius Bosphorus, omissis Cimmeriis accolis vel incolis, incidenter occurrit: *Itaq; Amazones Scytharum auxilio freta adjutaq; viribus, magno cum exercitu, per Cimmerium Bosphorum navigantes in Thraciam indeq; per Europam in agrum Atheniensium transeuntes, castra in his locis, quæ postea Amazonii appellati sunt, posuêre. Theseus earum transitu cognitô, civium coactis copiis, adversus hostes proficiscitur, &c.* Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 2. de Herc. p.m. 323.

Theseum autem contra Cimmerios pugnâsse non legitur. Quinimò jam pridem ante eum similia Cimmerios impedimenta à Græcis, qualia Israelitas à Moabitis, expertos fuisse, haud absurdè conjiciendum est.

2. Herodotus anteriora præterita & suo tempori paulò priora obscurè ita immiscuit: *Ardye Gygis filio Lydorum tyranno regnante, Cimmerii à Scythis Nomadibus ejecti è suis sedibus in Asiam* (scil. minorem) *transivêre, Sardisq; præter arcem cœperunt. Quum autem 51. regnâsset annos, successit Sadyattes Ardys filius, regnavitq; annis 12. Sadyattæ successit Halyattes, qui cum Cyaxare Dejocis nepote bellavit cum Medis, Cimmeriosq; exegit ex Asia.* Herod. cit. lib. num. 3.

Sub generalissimo Scytharum insignio ipsi aliquando Cimmerii, more & valore nominum consuetô, cum Japhitis plerisque comprehenduntur; ideòq; etiam Magogitæ & Nomades indubitanter ab Herodoto Scythæ nuncupantur. Error præterea temporis ac personarum juxtimque historiæ προλήψις hîc coincidunt. Cimmerios enim longè ante Gygem & Ardyem jam olim ex Scythia in Asiam minorem; deinde cùm provinciæ terrarum haud omnimodè repletæ essent, post ætates aliquot per Græciam, ut suprà inductum, ad præstitutas Magnæ Germaniæ oras profectos fuisse ex antecedentibus, & consequentibus dispalescit.

3. Herodotus iterum historiam obscurè prodidit hisce verbis: *Cyaxares Dejocis nepos, qui dicitur multò Majoribus suis fortior fuisse, & primus Asiaticos populos in provincias distinxisse, primusq; in suum quosq; ordinem distribuisse hastatos, equites, sagittarios; quum prius omnia promiscua fuissent atq; implicita. Hic est, qui cum Lydis bellum gessit, quô tempore in ipsâ pugna loco diei nox effecta est. Qui totâ supra Halin fluvium Asiâ sibi conciliatâ, collectis suis omnibus copias adversus Ninum (Nineven) simul & patrem ulturus, & civitatem eversurus conduxit. Ipsi porrò, Assyriis præliô superatis, Ninum obsidenti ingruit ingens Scytharum exercitus, Duce Scytharum Rege Madye, Protothyæ filio. Qui, Cimmeriis ex Europa ejectis in Asiam grassati, dum Cimmerios fugientes in Mediam compulsuri ita penetrârunt.* Herod. cit. lib. n. 20. & seq.

Graviorem antiquitas Herodoto errorem temporis & personarum confusionem causata. Supra longè *ante Crœsi imperium* vel Ardyæ seculô *Cimmeriorum transmigrationem* insinuat; (Ardyes quidem 130. annos ante Crœsum floruit, Cimmeriorum autem exitus multò antiquior anteà præsupponendus.) Heic verò Cyaxaris tempus tribus ætatibus Ardye posterius immiscuit. Ansam fortè erroris, Josuana retentio solis, atq; illa altera eclipsis posterior Cyaxaris tempore suborsa, subministrârunt. Josuæ solstitium densam diametralem noctem effecit atq; continuavit; unde juxta Herodoti opinionem: *Cimmeriorum exitu* conjecturaliter coincidente, loco diei nox effecta est. Cyaxaris eclipsis in ipsa cum Lydis pugna sparsim, ut Thales Milesius Jonibus antea prædixerat, subsecuta, longè post reponenda. Cum priori tamen solis retardatione supernaturali confundi potuit. Vid. Herod. diverf. loc.

Nomadum insuper expeditio sub Rege Madye aliàs Indathygo dictô Protothyæ filiô ad tempora pertinet antiquissima. Qui cum ingenti exercitu universam pene Asiam usque in Ægyptum subegerunt, atq; Bactrianis & Parthis originem dederunt; quippe Scytharum pars relicti in Asia & Media in Parthorum tandem & Bactrianorum prævalidas nationes excreverunt.

Cæterùm insignis autor Herodotus erroris licet personarum & temporum, caliginosâ vetustate præpediente, (ut alii profani Historici plerique) arguendus; circumstantias tamen priscorum Cimmeriorum exitûs designavit quàm accuratissimè, quodq; ipsa Scythia, Terra prius Cimmeriorum extiterit, connotavit quàm diligentissimè. Vid. cap. seq. per tot.

Cim-

Cimmerios longè ante Trojanam eversionem ex Scythia fuisse profectos inexpugnabilia argumenta sunt. 1. Ulyssis remotissima sic celebrata & famosa usque ad Cimmerias terras circumnavigatio. 2. Quod populi tunc temporis Cimmeriorum instar miraculi in Homeri Iliadibus descripti legantur; qui si ad Bosphorum Cimmerium (cujus nominis nudum sonum portus retinuit) ad Paludes Mœotides consiti permansissent, Ulysses haud longinquâ navigatione perfunctus fuisset. 3. Descriptiones Cimmeriæ, prout Orpheus & Homerus, jam dicti Ulyssis delineârunt seculis, Scandiæ & Germaniæ magis quàm relictæ Scythiæ conveniunt. 4. In Scythia denique, quum semel Nomadum colluvie impleta fuerit, Cimmeriorum non amplius nationes tanquam incolæ & inhabitatores reperiundi.

CAPUT VIII.

De Cimmeriorum Tuisconum transmigratione.

Scythæ Nomades Duce Rege Madye Prothothyæ filio, Cimmeriis ex Europa ejectis, in Asiam grassati, dum fugientes Cimmerios in Mediam compulsuri, ita penetrârunt. Est autem à Lacu Mæotide ad Phasin usq; & Colchos expedito viatori iter triginta dierum: è Colchis verò non ita longô itinere pervenire potest in Mediam; sed una duntaxat natio interjecta est Saspires, quos ubi transieris, continuò occurrit Media. Herod. in Clion. siv. lib. 1. num. 20. p. m. 43.

Dividit Herodotus, qui Mœotidem antiquæ Cimmeriæ partem Europæ annumerat, terrarum plagas ex censuris vetustissimis. *Europa enim,* alibi scribit, *à nemine investigata est, neq; quà ad Orientem, neq; quà Aquilonem vergit, an Mari claudatur. Neq; possum conjectura colligere, quum terra sit una, trifaria sint ei nomina indita è mulierum cognominibus. Europæ fines ponuntur Nilus fluvius Ægyptiacus, & Phasis Colchius. Alii ajunt: Europæ fines esse Tanaim cum Mæotide & fretum Cimmerium.* Herod. lib. 4. n. 135. p. m. 235.

Cui etiam Lutherus adstipulatur: *Quanquam nostri Geographi & Historici terram in tres hasce partes diviserint; Moses tamen aliam divisionem formavit, hodiernæ penè incongruam: Totam enim illam plagam, quam nos Asiam Septentrionalem vocamus, Moses Europæ accensuit; quæ protenditur ad mare usq; Medi-*

terraneum, ubi ad Palæstinam contingit. Totam illam plagam Septentrionalem, cum hodierna Europa, filiis Japheti attribuit. Quia enim numerosa multitudo eorum fuit, majorem quoq; partem, quàm Sem, obtinuerunt. Luth. Tom. Jenens. German. in Gen. 10. ad h. l.

Scythæ Nomades Cimmerios fugientes in Mediam compulsuri, ita penetrârunt. Barbarorum intentio erat, internecionis vel æternæ captivitatis causâ, Cimmerios in Asiam Majorem compellere. Illi verò fatô Divinô per clima angustum, in Pontum sive Asiam Minorem Græciæ atq; Europæ vicinam sese contulerunt.

Hanc Cimmeriorum emigrationem Herodotus alibi articulatiùs recenset, quando Nomadum in istas antiquas Cimmerias provincias ultrò relictas irruptionem repetit, & frustraneas persecutiones revolvit. Ubi Cimmeriorum Regulorum sive Nobilium in patria mutuis ictibus collapsorum ibidemq; sepultorum reminiscitur, eorundemque sepulchra & relicta monumenta describit hisce verbis: *Scythas Nomades olim Asiam colentes, cùm à Massagetis bellô vexarentur, Araxi transmissô in Cimmeriam abiisse. Nam regio, quam nunc Scythæ Nomades incolunt, ea fertur olim fuisse Cimmeriorum. Sed invadentibus Nomadibus, Cimmerios, quum deliberârunt, tanquam invaderentur à maximo exercitu in sententiis discrepâsse: Hinc Reges, inde plebem, utrâq; quidem validâ, sed Regum meliore: Nam populus sentiebat, abstinendum bello, nec oportere adversus multos pugnando adire periculum: At Reges pro regione cum invasoribus dimicandum. Ita, quum neutri alteris obtemperare vellent & populus censeret sine prælio demigrandum, tradita invasoribus regione: Reges verò in sua patria potiùs occumbendum, nec una cum plebe fugiendum censuisse, quot bona habuissent, & quot mala evidentia habituri essent patria profugi, reputantes. Hæc illos sentientes inter se dimicâsse, utroq; numero pares, & omnes, qui mutuis ictibus concidissent, fuisse à populo Cimmeriorum sepultos ad fluvium Tyren, & eorum sepulchra adhuc extant. Sepultis his è regione migrâsse. Extant & adhuc in Scythia tum muri Cimmerii, tum regio, cui Cimmeria nomen est, & Bosphorus, qui Cimmerius appellatur. Constat autem Cimmerios in Asiam fugisse, & Chersonesum condidisse, ubi nunc Sinope Græca urbs sita. Apparet etiam Scythas in persequendis illis Mediam intrâsse, viâ aberrantes. Nam Cimmerii fugientes iter semper secundùm mare tenebant. Nomades autem eos ad dextram reputantes, juxta Caucasum insequeban-*

bantur, donec ingreſſi ſunt Mediam itinere in mediterranea converſo. Herod. in Melpom. ſiv. lib. 4. n. 100. p. m. 223. & ſeq.

Nomades recenſitos congentiles de Magog vel de Raphat vel Thogarma coortos, h. e. Tartaros atq; Turcas, ut hodiè exprimuntur, extitiſſe, plurimi Doctores exiſtimant.

Cimmerios verò, noſtrates ex ſtirpe Aſcenæ ſive Tuiſconis prognatos ex priſca Cimmeria fugatos fuiſſe, tam ex antecedentibus, quàm conſequentibus quodammodò probabile.

1. Quia ipſius Dei Omnipotentis mos eſt & conſuetudo, ſuos electos inſtar comœdiæ, prius humiliare ac perturbare, deinde ad deſtitutum ſcopum evehere, quod in hac profligata natione evidenter evenit. Inemendabilibus verò modum & curſum ſuum inſtar tragœdiæ indulget.

2. Piis ac in morali integritate verſantibus, tanquam abominoſis, perverſos mundanos usq; & ſemper obſtitiſſe manifeſtum eſt. Quale odium prædicti ſimiliter perpeſſi Cimmerii.

3. Ipſi antiquâ virtute & fide præditi Cimmerii cum Barbaris illis populis nec paciſci, neq; confœderari, neq; illis ſeſe dedere, neq; intermixtim habitare affectârunt; omnia prius tentare atque extrema mortis pericula potiùs experiri proprioſque lares derelinquere, quàm ullam cum Barbaris conditionem præſumere, ſatiùs præponderantes.

4. Ex conſequentibus, quod exules facti Cimmerii Cherſoneſum prope Sinopen condiderunt, & iter ſemper ſecundùm mare tenuerunt, ex quo populorum diverſi tranſitus utcunq; apparent.

Herodoti textus repetatur: *Sed invadentibus Scythis Nomadibus, Cimmerios, quum deliberarent, tanquam invaderentur à maximo exercitu, in ſententiis diſcrepâſſe: Hinc Reges inde plebem utraq; quidem validâ, ſed Regum meliore.*

Nam populus ſentiebat, abſtinendum bello, nec oportere adverſus multos pugnando adire periculum. At Reges pro regione cum invaſoribus dimicandum. Itaq; cum neutri alteris obtemperare vellent, & populus cenſeret, ſine prælio demigrandum, traditâ invaſoribus regione. Reges verò in ſua potiùs patria occumbendum, nec unà cum plebe fugiendum cenſuiſſe, quot bona habuiſſent, & quot mala evidentiâ habituri eſſent patriâ profugi reputantes. Hæc illos ſentientes inter ſe dimicâſſe, utroſq; numerô pares, & omnes, qui mutuis ictibus concidiſſent, fuiſſe à populo Cimmeriorum

sepultos ad fluvium Tyren. His sepultis è regione emigrâsse. Herod. cit. loc.

Populus ob disparitatem copiarum abstinendum bellô sentiebat, unde Cimmerios nondum, ut in posterum, dilatatos fuisse liquet. Animis insuper consideratio hæc: quod non Scythia illa Barbarica, sed genuina Germania, veram atq; constantem patriam suppeditatura foret, obversabatur. At Reges his omnibus sepositis, periculum prius defensionis faciendum, & eventum arbitrio fatoq; Divino committendum, percensebant.

Hoc respectu habitô, incidenter heic quæstio de bellis gerendis, quæ sunt vel offensiva vel defensiva, occurrit.

1. De offensivis bellis inferendis, eorumq; rationibus, accurati Politici consulantur. Ast ea, quæ præsertim contra religionis & generis consortes, vel arrogantia vel ambitione, vel insatiabili avaritiâ, vel tyrannide, vel implacabilitate, vel quovis aliô fine perniciosô, quale fuit jam relatum à Nomadibus susceptum, minimè approbanda ducuntur.

Mundani causam inferendorum bellorum obfirmant, æternam nominis memoriam & imperii augmentum: *Si jus enim unquam violandum*, dicente Julio Cæsare, *imperii causa violandum.* Alioquin nimis vanum arbitrantur, in aliquo opere, quod æternitatem non ingreditur, gloriolam quærere. Atque Tacitus infit: *Cætera Principibus statim adesse, unum insatiabiliter parandum, prosperam sui nominis memoriam.* Tacit. Annal. 4. c. 38. v. 7.

Cæterùm heroicis factis in suo valore relictis, quid verè propriéque bona memoria, sive nomen sit æternum, unicum os veritatis Christus aperuit: *Gaudete, nomina vestra in cœlis esse adscripta.* Bona mens est bonæ conscientiæ testimonium. Luc. 10 v. 20.

Seorsim rapuêre de cœlo elementari Babylonicorum Tyranni: Saturnus, Jupiter, Mars & Mercurius, qualescunque etiam fuerint, quorum nomina sideribus tanquam æternùm mansura applicata feruntur. O stultitia! *Mundus enim peribit & omnia, quæ ei insunt, igne exurentur.* Ubi ergò talia imaginativa æterna monumenta manebunt? *Et quid prodest homini, si totum orbem lucraretur, & anima detrimenta inde capesseret?* 1. Pet. 3. fer. per tot. Matth. 16. v. 26. Luc. 9. v. 25.

Dic ubi veteres bellatores, raptores, populatores? Dic ubi miracula mundi? Dic ubi Principes Aquilonis & universi venatores? Terrores cæterarum gentium, horridi & in fortitudine sua confusi?

Dic ubi priſci Gigantes, fulminantes cœlo terræq; mala & mari minas incutientes? In infernum detruſi ſunt. *Ibi ſepelientur Aſſur, Elam, Meſech, Thubal, Gog & Magog, & omnis multitudo eorum*, ait Omnipotens apud Ptophetam Ezech. 32. v. 22. & 39. v. 11.

Contra verò *beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram; beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſatiabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, beati mundô corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam ipſi filii Dei vocabuntur.* Matth. 5. v. 5. usq; 10. Jeſ. 65. v. 2. Pſ. 37. v. 11. & 24. v. 4.

2. Defenſiva bella, & quæ pro gloria DEI vindicanda, pro patria defendenda, ac pro captivis liberandis geruntur, legitima ſunt, atq; Divino mandata, jure naturali omnibusq; legibus conceſſa. Vid. Maccab. 2. v. 30. & ſeq.

Rectiſſimè proinde noſter Herodotus: *Regum Cimmeriorum ſententia melior, qui pro regione cum invaſoribus dimicandum, & in ſua potiùs patria occumbendum, quàm unà cum plebe fugiendum, cenſuerunt. Sed veluti*, juxta Tacitum, *in re ſubitanea præſertim pavidis conſilia in incerto ſunt, atq; res adverſæ hacce adimunt;* ita tunc Cimmeriis obvenit. Vid. Herod. cit. loc. & Tacit. Annal. 3. c. 9. v. 2. It. Annal. 11. c. 32. v. 2.

Quod verò Reges mutuis ictibus ceciderint, ut Inſcientes Gentiles, qui ejusmodi mortis genera generoſa æſtimabant, egerunt; vel ex impatientia, inconſueti miſerabilis exilii ſe pudentes. Quantis igitur anguſtiis Cimmerii, quorum nobiliores ſeſe invicem lethalibus vulneribus interfecerunt, plebei verò periculoſa triſtiſſimi exilii itinera in aufugiis tentârunt, conſtituti fuerint, facillimè ratu.

Eorum ſepulchra adhuc extant, ſuperſunt etiam adhuc in Scythia tum muri Cimmerii, tum portoria Cimmeria, tum regio, cui Cimmeria nomen eſt, & Boſphorus, qui Cimmerius appellatur. Inde memoriam priſcæ patriæ atq; Cimmeriorum non extingui potuiſſe confirmatur.

Conſtat autem, Cimmerios fugientes Cherſoneſum condidiſſe, ubi Sinope urbs Græca ſita eſt. Mæotis ultra Pontum Euxinum eſt, Aſiæ Minori vel ipſi Ponto & per triangulum Thraciæ, ubi hodiè Conſtantinopolis trans Boſphorum Cimmerium, oppoſita. (Quem tractum antiquiſſimi Scriptores Europæ Magnæ annumerârunt.) Exinde fugientes Cimmerii in Aſiam Minorem ſive Pontum, dehinc Solis occaſum tenus in adjacentem illam Cherſoneſum introgreſſi

ſunt,

sunt, & quidem angustissimâ viâ jam dictæ peninsulæ sive Chersonesô incurvante. Quod si hostes infensissimi investigâssent, Cimmerios tanquam in angulo offendissent.

(Chersonesus vel Cherronesus Græcum vocabulum est, Latinis terra in insulæ modum cincta, unô tantùm eôq; angustô aditu continenti adjuncta vel peninsula undiq; fermè circumclusa. Plures harum Chersonesorum sive peninsularum à Geographis conscribuntur, heîc verò est specialiter Pontica, Thraciæ opposita, cui Cimmerii per ambages introiverant.)

Specialiter ponitur: ubi Synope urbs nunc Græca sita est. Quæ regiones omnes haud procul ab ipsa Mœotide dissipatæ.

Casparus Peucerus *Tauricam Chersonesum* hisce verbis nuncupat: *Herodotus Cimmeriis sedem tribuit ad Araxem fluvium. Hi inde à Scythis Nomadibus pulsi in Chersonesum concesserunt. Hinc Cimmerii Bosphori nomen in Taurica. Ex Taurica in Asiam iterum irruperunt populabundi; unde rejecti ab Halyatte Lydorum Rege, commigrârunt in Europam.* Casp. Peuc. part. 3. Chron. lib. 4. p. m. 44.

Sinope urbs Ponti fuit celeberrima in illius Chersonesi collo disposita, ex utraq; Isthmi parte portus & stationes habens perinsignes, illustrique olim Gymnasio clarissima, quin & cunabulis & sepulchro Regis Mithridatis nobilitata. Atq; ipsô teste Herodotô: *Sinope Istro sive Danubio mari irrumpenti ex adverso procul sita est.* Herod. in Euterp. siv. lib. 2. n 45.

Herodotus historiam abbreviat: *Apparet etiam Nomades in persequendis Cimmeriis, Mediam intrâsse, viâ aberrantes. Cimmerii namq; fugientes iter semper secundùm mare tenebant; Nomades autem eos ad dextram reputantes, juxta Caucasum insequebantur, donec ingressi sunt Mediam itinere in Mediterranea converso.* Omninò apparet hostium truculentia & sanguinolentia. *Qui hostes ex Magogo, vel Riphato vel Thogorma* coorti congentiles, nihilominus tamen ne regione quidem sponte relictâ contenti ad internecionem consanguineos Cimmerios persequebantur; veluti usque adhuc impii illi congeneres Japhitæ omnium nostrorum perduelles crudelissimi perdurârunt. Apparet insimul singularis & admirabilis DEI in suos Cimmerios, licet tunc Gentiles, in futurum electos, providentia & conservatio, quòd ne hostes quidem sagacissimi eosdem ex vicinia vix digressos invenire potuerint.

Supra

Supra de Cimmeriorum fuga tempore Josuæ præsumta, deque celebrata illa Solis statione continuam diametralem noctem causata approbabilis introducta conjectura haud insipidè commonstrat, quod mitissimus DEUS unô miraculô utrisq; electis populis, victoriosis Israelitis prorogatâ luce, & exulabundis Cimmeriis comitatu caliginosô opitulatus fuerit. Pro certo namque, Nomades persecutores in via aberrâsse, traditur.

Jamdum: *Cimmerios iter semper secundum mare tenuisse* allegatum. Unde nonnulli nostrorum Scriptorum illos subinde partim comparatis navibus in mare Mediterraneum & consequenter in Balticum ad nostros amnes transmigrâsse, partim Danubii fontes secutos ad suos consanguineos Alemannos accessisse colligunt.

Germania enim non unô eodemq; tempore; sed successivis migrationibus turbulentissimis, donec ad modernam formam & stabilitatem redigeretur, completa statuitur. Jure igitur meritôq; elogium illud gravissimum de Poëta mutuare condonabitur:

Tantæ molis erat Germanam condere gentem.

Virg. lib. 1. Æneid.

Relatorum jam Cimmeriorum pars, postea Sicambros, id est, amnicolas Cimmerios, See-Cimmerier cognominatos fuisse, tandemq; unà cum aliis Germanicis nationibus generalem Francorum appellationem assumsisse, permulti contendunt. Sed alii aliter obstringunt, atq; Danos Suecosq; reponunt. Vid. Joh. Avent. divers. loc. it. inf. lib. 12. de Franc. per tot.

CAPUT IX.
De Cimmeriis in Scandia.

Orpheus in Argonauticis, quorum expeditio, annô post diluvium 1076. ante Christum 1240. ante Trojæ excidium 57. contigit, imprimis Cimmeriorum meminit, eosque ad Septentrionem collocat, umbris nebulisq; tectos. Orph. in Argonaut.

Homerus, cui Scytharum sonus infrequens, in Ulyssis navigationibus, finitô nuper Trojanô bellô, post diluvium 1132. ante Christum 1183. similiter ad Septentrionem & ad oram Oceani Cimmeriorum meminit jamdum inveteratorum. Homeri versus Latinè redditos non subscribere gravabor.

Navis verò ad fines pervenit profundi Oceani,
Ubi Cimmeriorum erat virorum populus civitasq;,
Qui caligine & nubibus tecti sunt. Neq; unquam illos
Sol lucidis adspicit radiis.
Neq; cùm convertitur ad cœlum stelliferum.
Neq; cùm in terram de cœlo defertur.

Homer. Odyss. λ. siv. lib. 11. Odyss. in pr.

Eandem fermè Valerius Flaccus descriptionem ex Homeri carmine transtulisse videtur:

Cimmeriûm domus est Superis incognita tellus
Cæruleô tenebrosa situ. Quo flammea nunquam
Sol juga, sidereas nec mittit Jupiter auras.
Stant tacitæ frondes, immotaq; sylva comata.
Horret verna jugô. Specus umbrarumq; meatus
Subter, & Oceani præceps fragor arvaq; nigro
Vasta metu, & subitæ post longa silentia noctes.

Val. Flac. lib. 3. Argonaut.

Huc etiam videtur pertinere locus Strabonis Geographi, qui, cùm Cimmerios ante Trojana gesta præclaros fuisse, testatur, ita subsignat: *Ulysses Cimmerios non ignoravit, qui ejus memoriâ vel paulò ante eum per totam Joniam dicursârunt.* Strab.

Similiter Ovidius *Morpheum*, *Icelon & alios somniorum Deos* imaginabundus ad Cimmeriorum Septentrionalium plagas longè remotas, ubi longissimas noctes, brevissimosq; dies conscivit, ita reposuit:

Est prope Cimmerios longô spelunca recessu
Mons cavus, ignavi domus & penetralia somni;
Quô nunquam radiis, Oriens, Mediúsve Cadénsve
Phœbus adire potest. Nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiaq; crepuscula noctis.

Ovid. libro 11. Metamorph. fab. 12. Vid. & Tibull. Panegyric. ad Messal.

Unde Cimmeriæ tenebræ proverbii locô pro densissima caligine diversis rationibus ponuntur. Sed constat veras *Cimmerias tenebras* in Hyperboreis esse Islandia & Philappia, ubi brumales dies adeò sunt contracti, ut lumen vix appareat. Etiam in Suecia & Livonia dies circa brumam non est multò longior tribus vel quatuor horis. Vid. Georg. Sabin. Com. in Ovid. ad h. l.

Quis-

Quispiam heic asperos tractus Septentrionales tam antiquitùs cultos fuisse miretur, sed relatu verum est, ut ex multorum aliorum patet autorum testimoniis. De his terris Herodotus obliquè retulit: *Incomparabile ibidem octo menses gelu esse, ut si lutum facere cupias, ita facias, si locô aquæ ignem ibidem incenderis. Idemq; mare glaciatur & omnis Cimmerius Bosphorus*, alius scilicet ad mare concretum supputatus. Herod. in Melpom. siv. lib. 4. n. 102.

Tacitus denique: *Ulyssem longô illô & fabulosô itinere in hunc Oceanum delatum adiisse Germaniæ terras. Asciburgiumq; quod in ripa Rheni situm, ab illo constructum nominatumq;. Aram quin & Ulyssi consecratam adjectô Laertæ patris nomine eodem locô ibi repertam fuisse* reminiscitur. Quæ monumenta Ulyssem in regressu ad Lares paternos reliquisse consentaneum. Tacit. in Germ. cap. 3. v. 3. &c.

Cimmeriorum antiquorum gesta veluti multorum aliorum Septrionalium populorum pleraq; inconscripta transiverunt. *Incursus Amazonum pariter & Cimmeriorum in Asiam*, tempore Davidis & Goliath, post diluvium 1228. ante Christum 1078. ab Eusebio nudâ mentione commemoratus. Euseb. in Chron. sub gest. Lacedæm. fol. 35. C.

CAPUT X.

De Cimmeriis vel Cimbris in Dania.

CHersonesus illa permagna prope mare Balticum, quâ in Oceanum Septentrionalem effunditur, de Cimmeriis vel Cimbris Cimbrica Chersonesus antiquitùs insignita adhuc claret. Hodiè insimul à vetusto Rege quodam Dano, Dania nominata, juxta Aventinum & alios.

Quando autem Cimmerii vel Cimbri nostrates (quod gregatim vel successivè præsupponendum) in patriam hanc nostram & in loca illa Septentrionalia accesserint, annales & historiæ non accuratè & plenariè demonstrant. D. Gesnerus & Chytræus, item Aventinus: *Eô tempore, cùm à Scythis expulsi essent, universos in Cimbricam Chersonesum succedenter delatos, Daniam, Scandiam, Seelandiam, & vicinas ad mare Balticum oras sibi vendicâsse.* Gesner. & Chytr. com. in Gen. 10. it. Avent. diverſ. loc.

Cimmeriorum istorum palæopolin, Alltvätterliche Hauptstadt/

prope Oceanum Tacitus recenset: *Eundem Germaniæ situm proximum Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens. Veteris famæ latè vestigia manent, utraq; ripa castra ac spatia. Quorum ambitu nunc quoq; metiaris, molem manusq; gentis & tam magni exercitus fidem. Sexcentesimum & quadragesimum annum urs nostra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita sunt arma. Cæl. Metello & Papirio Carbone Coss.* annô sc. ante Christum prope 113. Tacit. in Germ. c. 37. v. 1. & seq.

Quod Tacitus in angustiori & strictiori, quàm alii, significatione Cimbros descripserit, rerum vicissitudines defraudârunt; quum generale illud patronymicum nomen & insignium procedente tempore magis magisq; in Germanorum consonantem & æquivalentem Etymologiam, pro linguarum usu, transformatum fuerit.

Antiquam Cimbrorum civitatem ejusdem Taciti ætate parvam dici, perinde non est mirum, cùm & Herodotus de aliis civitatibus hisce contentis ingemiscit: *Quæ olim magnæ erant civitates, earum permultæ factæ sunt parvæ. Rursus, quæ prius parvæ fuerunt, nostrâ memoriâ magnæ sunt. Igitur cùm sciam humanam felicitatem haudquaquam in eodem tenore perstare, utriusq; fortunæ mentionem habiturus.* Herodot. in Clion. siv. lib. 1. num. 2. in pr.

Quod Cimmerii vel Cimbri nimis particulariter pro Arcticis Tuisconibus, Daniæ præsertim, Holsatiæ & earum regionum incolis, abusivè quasi sumantur, ratio & occasio est subsequens: cùm populi isti Septentrionales, singulari studiô & amore antiquitatis, Avitum Gomeri etymon præ patrio Ascenæ sive Tuisconis retinentes, vel ad differentiam Superiorum Germanorum eligentes, sic de Cimmeriis Originalibus appellari maluerint. In permultis tamen historicorum monumentis, eosdem, modò Cimbros, modò Tuiscones pro singulorum arbitrio autorum designatos reperies. Atq; Plutarchus, *Cimbros, qui cum Romanis bella gesserunt caput tauri in vexillis pictum habuisse* scribit, quod nunc quoq; Duces Megapolenses à veteribus Cimbris mutuati in insigniis suis retinent. Vid. Plutarch. in vit. Mar.

Cimmerios autem plerumque à Græcis; & Cimbros à Latinis vulgariter sic dictos, unos eosdemque esse, extra controversiam versatur, atque nominum conformitas ipsa demonstrat, insuperq; Strabo & Plutarchus contestantur. Quibus etiam Casparus Peucerus adstipulatur, inquiens: *Gomerum Japheti filium gentis Cimbricæ autorem fuisse, consentaneum est. Quæ gens non exiguam Septentrionis*

trionis partem in Asia & Europa complevit. Hujus filius primogenitus Ascenas, à quo orti & propagati dicuntur Tuiscones, quasi de Ascena orti. Strab. lib. 7. p. m. 203. Plutarch. in Mar. Casp. Peuc. in continuat. Chron. Carion. lib. 4. in pr.

OBJECTUM.

Alii nomen Cimbricum non patronymico vel gentilitio; sed acquisitô militari, vel quasi, arripiunt hoc argumentô: Majores nostri exercitibus suis peculiaria nomina attribuissent; ergò & Cimbri dimicatores, Kämpffer / denotare possent. Ad majorem assertionem adjungunt Sicambros, i. e. felices vel victoriosos dimicatores, Sieges oder Sieghaffte Kämpffer. Recitant ex Festo: *Cimbros lingua Gallica, milites, latrones, prædones* significare; atqui sæpissimè cùm dicatur lingua Gallica, Germanicam intelligi. Prætereaque, quod vocabulum Festus referat Gallicum, Plutarchus in Mar. expressè nominat Germanicum. Matth. Martin. Lexic. Philolog. sub nomine Cimber.

Ad quod aptissimè regerendum: concedi quidem posse (licet tantummodò mera sit conjectura) Cimmerios vel Cimbros à voce Kämpff / etiam Kämpffer / Cambros per allusionem cognominatos fuisse, quia bellicosi extiterunt, & appellationes fermè concordant, e. g. Germani sunt Garmanni/ꝛc. minimè verò exinde consistit, quod Cimmeriorum vel Cimbrorum nomen non fiet patronymicum generale, nec à Gomero descendat.

Quô pactô deinde Cimbri latrones significent, sequens conformatio docet: Strabo vocat Cimbros πλάνητας καὶ λῃστρικοὺς vagabundos & prædabundos, fortassis, quod nonnulli eorum ob multitudinem olim & alimentorum inopiam raptu vivere fuêre coacti. Antea prædictus Strabo, priusquam hæc intulit, prædixerat: *Possidonem non inepta conjectura collegisse, Cimbros fuisse homines prædones & vagabundos, armis ad Mæotidem usq; progressos; inde Bosphorum Cimmerium denominatum fuisse, cum Græci Cimbros, Cimmeriorum nomine afficiant.*

Rectè proinde Scaliger: *Cimber prædonem hac ratione, quemadmodum Isaurus piratum, Ambro dissolutum & voracem, Opicus obscænum &c. quoniam nonnulli harum gentium ejusmodi evasêre, significat.* Strab. lib. 4. & 7. Scalig. in Fest. Vid. & Johan. Pontanum.

CAPUT XI.

De nominis Germanici generali significatione.

GErmanorum nomen perinde ac Cimmeriorum à fundatore provenisse Gomero plerisq; accuratissimis historicis convenientissimum. *Cimmerii* quidem priscis seculis frequentiùs; posterioribus verò diligentiùs pronunciabantur *Germani*. Cimmericum porrò insignium Arctoicis Tuisconibus usitatiùs, Germanicum Mediterraneis. Neq; aliud discrimen, quàm temporum & locorum diversitas, ac variarum linguarum idioma, reperiendum.

Nomen Germanicum generaliter atq; latissimè tam de Tuisconibus, quàm Riphæis & Thogormæis, vel, ut Josephus vocat, de Thygramæis, i. e. de omnibus Gomeri posteris in communi sic dictis, accipi posse, latè dispalescit.

Nonnulli ex Rabbinorum scriptis, teste Matthiâ Martinii, per Gomer etiam Turcicam gentem, als ein Wendisches Volck/ interpretantur. Item alii, teste eodem, Germanorum nomen ad antiquos Carmanos Asiæ populos referunt. Matth. Mart. Lexic. Phil. sub diction. Turc. & alibi sub diction. Germ.

Apud Prophetam Ezechielem, ubi in Ebræo textu: *Bait Thogarmah*, id est, *domus Thogarmæ*. Chaldaicè; *Medinat Garmamja*, id est, provincia magnæ Germaniæ vel Carmaniæ in Asia, Turcarum antiqua patria, generale pro speciali & vice versa usurpatur. Ezech. 27. v. 14. & 38. v. 6.

Herodotus *Astyagis & Cyri Persarum Regum temporibus ad Persas gentem Germaniorum* recensuit. Annô post diluvium 1732. ante Christum 560. Herod. in Clion. siv. l. 1. n. 24.

CAPUT XII.

De nominis Germanici significatione speciali.

DEnuò heîc Gomerum piis cum Patriarchis Ebero & Abrahamo comparare cogor. Quemadmodum ab Ebero non solùm Israelitæ, verùm etiam Chaldæorum, Syrorum & Arabum maximæ cohortes, nec minus ex Jaketan secundô Eberi filiô 13. Tribus Ophir præcipuè ac Libyæ cultores, ut & Brachmanes in India, juxta probatissimorum Doctorum consensu descenderunt. Qui hoc respectu omnes

omnes à primo fundatore Ebræi consignari possent; attamen soli Israelitæ appropriatum insignium obtinuerunt.

Veluti perinde ab Abrahamo præter Israelitas sive Judæos, Hagareni qui & Saraceni, item Ketarim in Arabia à Ketura, insimulque Edomitæ vel Idumæi in montibus Seir, id est, in Syria ab Edom sive Esau progressi. Nihilominus tamen sola stirps Israelitica verum semen Abrahæ celebratum legitur.

Sic etiam Tuiscones primogeniti (licet à Gomero permulti alii populi, ut Sarmatæ ac Scythæ Septentrionales Barbari, unà congerminaverint) verè propriéque Germani quasi Gomermani intimandi.

Ad abundantiam quoque Germanicum nomen ex *Gomeri* etymologia, quæ in Ebraica lingua *integrum*, *perfectum* in Tuisconica **Garman oder German** significat, analyticè & analogicè probandum.

Ideòque soli Imperatores nostri semper Augustissimi, **Könige in Germanien**/ non immeritò nuncupantur.

Tuiscones proinde Majores nostri universales dignissimi, dum antiquum illud patronymicum insignium tanquam prærogativo hæreditatis jure sibi selectum mancipârunt, minus generale quasi effecerunt. Qui ab antiquissimis seculis, singulari favore & delectatione, ad primum parentem καὶ ἐπώνυμον Gomerum & ad ejus memoriam sese conferentes, ut in posterum veri & soli Germani quasi Gomermani κατ' ἐξοχὴν declarentur, impetrârunt.

CAPUT XIII.

Objectum de nomine Germanico.

CAjus Cornelius Tacitus subinfert: *Germaniæ vocabulum recens & nuper additum; quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri tunc Germani vocati sunt, ita nationis nomen non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primùm à Victore ob metum, mox à seipsis invento nomine Germani vocarentur.* Tacit. in Germ. c. 2. v. 6. & 7.

Sed prioribus Chaldæi paraphrastis, item Herodoti testimoniis reservatis; alii Scriptores considerentur. Quorum præcipuè Titus Livius ita antiquitati attestaturus conscripsit: *Tempore Tarquinii Prisci alia subinde manus Germanorum Elitovio Duce vestigia prio-*

rum secuta; eodem saltu, favente Bellovesô, cùm transcendissent Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, considunt; ante Christum fermè 580. Quæ verba: *Alia subinde manus Germanorum*, ex antecedentibus & consequentibus latissimè, si requireretur, exponi possent. Tit. Liv. lib. 5. fol. 98. Dec. 4.

Fulgor quoque Germanici nominis tempore Alexandri Magni A. M. 3636. ante Christum 335. conspicuè resplenduit, ut inclutissimus antiquarius Arrianus Nicomedensis Græcus Scriptor (cujus vigor & autoritas supra lib. 6. cap. 3. abundè declarata) ex vetustioribus monumentis fideliter collustravit: *Post pugnam Triballicam triduo Alexander ad Danubium fluvium profectus est; omnium quidem longè maximus eorum, qui in Europa sunt; longissimô tractu per terras excurrit, gentes bellicosas præterlabitur, & eas maxima ex parte Germanas: ex quibus*, scil. Germanis, *ipsius amnis fontes oriuntur. Earum gentium postremi sunt Quades* (alibi Quadi) *& Marcomanni: deinde Jazyges Sarmatarum gens: post hos Gethæ: deinde Scytharum maxima pars.*

Longè post ibidem sequitur: *In Triballiam venêre ad Alexandrum Legati, & à cæteris Danubii accolis & Sirmo Triballorum Rege; item à Germanis, qui Jonium sinum incolunt (sunt quidem Germani, ut grandi corpore, ita elatô animô magnôq;) legationes aderant, ut amicitiam cum eo jungerent. Quibus in amicitiam & fidem receptis, è Germanis quæsivit: Quidnam esset in humanis rebus, quod præ cæteris extimescerent; ratus nominis sui magnitudinem ad illos, multòq; etiam ulterius penetrâsse; idq; esse, quod præ omnibus sibi formidulosum faterentur. Illi verò, quod procul ab Alexandro agebant, quod loca accessu difficilia incolebant, ipsumq; ad alia bella intentum videbant: timere se ante omnia dixerunt, neu fortè in se aliquando cœlum rueret. Nihil movit Alexandrum superbum Legatorum responsum; itaq; nihilominus tamen in amicitiam & societatem receptos, domum dimisit, tantùmq; elocutus: Germanos arrogantes esse.* Arrian. Nicomed. recognit. à Barth. Facio & excus. Basil. 1539. lib. 1. p. m. 6. & 9.

Quin & Polybius Germanorum meminit, qui annô mundi 3725. ante Christum 223. assumtis Gallorum auxiliis, ita ut exercitum CC. Millium efficerent, tempore Attilii Consulis Italiam invaserunt. Polyb. lib. 2. allegat. à Seth. Calvis. op. Chron. edit. Francof. 1650. fol. 342.

Hoc

Hoc quoque nomen Ciceroni (qui ante Salvatorem nostrum 50. annos floruit) ut antiquum celebratum insignium, cognitum fuit. Nec minus Julius Cæsar Germanorum haud raram mentionem fecit. Cic. in Orat. pro L. Corn. Balb. & pass. in suis script. Jul. Cæs. in com. de bell. Gall. pass.

Causæ igitur admirationis haud leves in promtu, quod celebratissimus Autor Tacitus ultra 120. annos post Christum natum scribens, *nomen Germanorum recens & nuper additum fuisse*, proferre non vereatur.

Excusandus tamen est propter latentem vel parcè cognitam hujus nominis notitiam. Quamvis enim Germanorum amplitudo latissimè sese extendisset, cognitio tamen & Græcis & Latinis Scriptoribus (qui, locô nominis Germanici, Celticum reponebant vel Gallicum) aliquandiu occulta permanserat. Julius Cæsar verò in rebus bellicis, Germanorum qualitatem abundanter expertus, nomen istud magis magisq; patefecit, & exemplô illô suô, ut sequentibus seculis crebrius usurparetur, evicit. Atq; hoc illud est, quod Tacito *recens & nuper additum* forsan apparuit.

CAPUT XIV.

De alienis Germanici nominis compositionibus.

1.

HAdrianus Junius aliiq; Germanicum nomen *de Thogorma vel Thogarma* formare conantur hoc modô: *Germani quasi Thogarmani primâ syllabâ per Aphæresin absorptâ, & mutatâ literâ a. in e. ita ut pro Thogarmanis contractè Germani pronuncientur.* Hadr. Jun. ad Orig. Germ.

Sed ex nudo sono haud concinnè argumentandum est, atque Propheta Ezechiel sæpè citatis locis penitùs adversatur. Melius igitur universale Germanorum nomen ab ipso Patriarcha Gomero deducitur. Quod verò Chaldæa paraphrasis *Thogormah* vel *domus Thogormæ per Germam jam* interpretatur, ad generalem significationem vel ad Carmaniam vel ipsam Turcomanniam respexit. Quorum incolæ perinde ac Aschenazim à Gomero proveniunt. Sed non omnes ex Israel sunt Israel. Rom. 9. v. 6. Vid. infr. libro octavo, de Thogorm.

2. Alii à Scythico fluvio Gerrho, cui nostrates olim adsedissent,

deflectunt. De quo Herodotus: *Trans Gerrhum autem sunt ea loca, quæ vocantur Regia, & Scythæ optimi pariter ac plurimi habitant, qui cæteros Scythas suos servos esse arbitrantur.* Porrò: *40. dierum navigatione usq; ad lacum nomine Gerrhum cognoscitur ab Aquilone fluere per solitudinem ad Scytharum agricolantium plagam. Nam hi Scythæ decem dierum navigatione accolunt hoc flumen. Cujus fontes ac Nili nec ipse possum nec ullum Græcorum reor posse dicere. Idem, quum ad mare advenit, Hypanis cum eo miscetur, eodem in loco mari irrumpens.* Paulò post: *Septimus ab Istro clarus fluvius est Gerrhus nomen à loco obtinens. Qui à Borysthene dirimitur circa ea loca, apud quæ Borysthenes cognoscitur: Cui locô nomen est Gerrho, disterminanti regionem Nomadum à Regiorum Scytharum, & dum in mare fluit in Hypacarin dilabitur.* Item alibi: *Regum sepulchra & monumenta apud Gerrhos sunt.* Herod. in Melpom. siv. lib. 4. n. 102. 106. 107. & 108. Vid. & Steph. atq; Ptol.

De hisce monumentis egregiè quoq; Valerius Maximus: *Darius, qui Scythas per legationem fugacitatis criminatus, talem responsionem accepit: Scythas nec urbes ullas, nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere; Cæterùm cùm ad parentum suorum monumenta venisset, sciturum, quemadmodum Scythæ præliari solerent.* Val. Max. lib. 5. de piet. in par. c. 4.

Ad scopum revertendum: Si historia & relatio de Gerrho fluvio Regiisq; plagis ad propositam materiam spectat, potiùs Majores nostros Germanos fluvio nomen, in futuram memoriam, imposuisse, quàm vice versa ab eodem accepisse, consentaneum.

3. Nonnulli dictos putant ob germanam conformitatem cum Gallis, & hujus nominis rationem ad Romanos Autores referunt; quos Strabo ita decepit: *Romani, dum devictis Gallis Rhenum transgressi fuissent, viderunt Teutones & feritate animorum, & proceritate corporum & colore flavo, forma præterea, moribus & vivendi ritu Gallis simillimos esse, Germanos eos, h. e. confratres Gallorum indigitârunt.* Strab. lib. 4. & 7.

4. Alii, quia Teutones *peculiari ritu, se mutuò suâ linguâ Germanos, h. e. confratres salutarent. Unde Bruderos non Bructeros nationem quandam dici* Christophorus Colerus ad Cornel. Tacit. cæteriq; existimant. Ubi à Plutarcho Ἀδελφὺς Germanos dictos esse observavit; ait enim ἐρομένυ δὲ Μαρίυ τὺς πρέσβεις περὶ τῶν ἀδελφῶν πακέγων ὀνομασάντων τὺς Τεύτονας. i. e. Dicente verò Mariô, senes de nomi-

nominatis illis fratribus, Teutones fuisse. Addit Colerus: *Fallor, an iste mos ex Scythia ut plures alii Germanorum mores proveniant.* Natalis Comes de Galactophagis refert: ὥστε τοὺς μὲν πρεσβυτέρους αὐτῶν πατέρας ὀνομάζειν τοὺς δὲ νέους παῖδας τοὺς δὲ ἥλικας ἀδελφούς. i. e. nominemus quidem seniores ipsorum patres, juvenes pueros, æquales verò fratres. Durat hodièque apud nostrates Ἀδελφότης quædam συμποσιακὴ, nec minus religiosè colitur, quàm à priscis illis Romanis cara cognatio. Christoph. Coler. in Tacit. Plutarch. in Mar. Natal. Com. de Galactoph. Vid. & Matth. Mart. Lexic. Phil. sub nom. Germ. & Teut.

5. Quidam Germaniam sic appellatam existimant à populositate, *quasi à germinare,* cùm nullus alius populus tantoperè ac Germani germinaverint. Quapropter etiam patria nostra apud Romanos quondam officina hominum fuit æstimata. In ea sententia est Æneas Sylvius: *Ubi adeò,* inquit, *vestra natio germinavit, ut nomen vestrum verius à germinando tractum putemus.*

6. *A gerens & immania.* Cujus sententiæ primitias præbuit Isidorus: *Germania post Scythiam inferiorem à Danubio, inter Rhenum & Oceanum conclusa, à Septentrione Oceano cingitur, à Meridie Rheno flumine dirimitur, terra dives populis immanibus, unde dicta censetur Germania tanquam gerens & immania.* Æn. Sylv. in sua Germ. Isid. lib. 14. c. 2. Vid. & Paul. Diac. lib. 1. de gest. Longob.

7. Critici ævo nostro propinquiores nominis hujus Etymologiam propria è lingua convenientiùs petendam existimant. Originem sic formant: Gar vel Ger integrum denotare & Mann/ virum; unde Germanicum intelligas quasi viros integros & perfectos. Ubi, ut faciliùs accedant, facit Alemannicum insignium, quod hujus loci per duplex ll. Allemannicum scribere, & apud Inferiores idem ac Germanos apud Superiores sonare malunt. Illi enim pro eo, quod est totum, dicunt All/ quod in Superiori Germania Gar vel Ger dici ostendimus.

8. Alii à Gern & Mann/ i. e. integer, strenuus vel cupidus integritatis, deducere malunt.

9. Prædictus Hadrianus Junius alibi vult dici Geer-Mann/ quasi Gechrt-Mann/ honoratus vir. Quemadmodum adhuc apud Danos, Suecos & Norwegos salutantium & resalutantium est Ger-mann/ veluti apud nos Guter Freund. Quæ enunciationes allusioni

potiùs, quàm origini, & rei naturæ convenientes derivationes judicandæ.

10. Becanus à Geren/ nempe à cogentibus militibus, rursusq;

11. à Gwerra/ i. e. bello, quod sint bellaces, deduxit. Vid. Matth. Mart. Lex. Phil. prædict. loc.

12. Casparus Peucerus *Germanos dictos* arbitratur, quasi Heer-Männer/ viros militares. Casp. Peuc. lib. 4. Chron. in pr.

13. Nonnulli, quibus Ascenas, sive Ascenaz idem est, ac Caphnez, instar accipitris, vertunt quasi Geyer-Mann. Netz enim, unde errones isti *Aschenaz* falsò componunt, Ebræis est accipiter, nobis Geyer/ avis calidam regionem amans Meridiem versus alas expandens.

Rabbinus David Kimchi à *Natzah*, quod potens sit ad volandum, deduci posse annotavit. Rabb. Kimch. in suo lib. Rad. Vid. & Dav. Chytr. com. in Gen. 10. ad h. l.

14. Nescio, quis fingat ab Ebræo *Gerim-Enim*, i. e. pauperibus advenis. Sanè pauper Etymologia. Hæc aliaq; plura annotavit. Prædict. Matth. Mart. cit. Lexic.

Reliquas, si superstites, detorsiones, ad elidendum reservamus diligentibus ac curiosis nominis nostri & originis indagatoribus. Ad clausulam, proventui nostro sæpissimè injuriam factam esse, apponere cogor. Ingens Historicorum turba est, qui strenuè veritati prævaricantur: falsissimum illud & ementitum asserentes, quod apud Aben-Ezram & Gilbertum Genebrardum Matæologum Parisiensem, Germanici nominis hostes infensissimos: *Germanos esse semen Canaan*, offenditur. Gilb. Genebr. lib. Chron.

Quibus nugatores illi impudentissimi fidem adstruere conantur ex Judæorum fabulis, *qui Cananæos à Josua & Israelitis ejectos in Germaniam & vicinas regiones migrâsse*, tradunt.

Sed convitiatoribus vel calumniatoribus istis non satis constat, quanta nunc apud Judæos veræ historiæ sit inscitia, ut illorum autoritate nemo vir bonus, nedum sapiens tutò uti debeat.

Veriùs igitur imò verissimè, firmissimisq; argumentis, nostra & omnium Europæorum origo à Japheto. Præcipuè propter promissionem posteris Japheti factam: *habitaturos nimirum eos in tabernaculis Semi*, & accessuros ad societatem veræ Ecclesiæ. Quæ in patria nostra, DEO sit gloria & deveneratio! copiosissimè est impleta, utpote Evangelium de Christo ex stirpe Semi orto inter gentes Aquilonares & apprimè nostrates maximè est dilatatum.

CAPUT

CAPUT XV.

De patriæ nostræ diversitate.

ARmeniam atq; Scythiam Sagam sive montosam, Majorum nostrorum primam & peculiarem patriam claruisse, suprà prolatum est. Exinde non unicô temporis cursu in hanc Germaniam nostram concessisse ibidemque se ordinatè collocâsse, facillimè ratiocinandum.

Primorum ex Asia adventantium nomen, quomodo sonuerit digestissimè quidem non adeò constat; illos tamen, qui cum Noæ, Japheti, Gomeri vel Tuisconis Legatis (qualis fuit Mannus Hercules & Norix vel Noricus ejus filius) primô vel secundô examine ex Mari Mediterraneo in vetus Noricum & Illyricum, abindeq; ulterius perducti fuerunt, priores extitisse, lucidissimum. Quam introductionem nonnulli in tertio vel quarto statim, post diluvium, seculô constituunt. Alii verò tardiùs aliquantisper postponunt. Vid. Beros. & Avent. divers. loc.

Germaniæ termini, ut quisquis sui temporis rationem secutus, variè describuntur, ut triplicem quasi Germaniam, secundùm cujuslibet ætatem facere videantur: veterem nempe, mediam, & recentem.

1. Vetus Germania, quam vulgô vocant Berosianam, Ponto Euxino, Tanai, Oceano, Danubio, Rheno ejusq; accolis circumscribitur.

2. Media Germania erit, quam Tacitus, Ptolemæus, Plinius, cæteriq; ferè coætanei cognoverunt. Quæ cùm ex ipsis Autoribus satis nota sit, non opus videtur, heic denuò eam describere.

3. Porrò recens Germania, quæ nostrâ est memoriâ usitatissima, ultra Rhenum eatenus est extensa, ut omnes ferè Belgas usq; ad Alpes Tridentinas contineat. Ita quoq; ultra Vistulam ortum versus, usq; ad Lithuanos pertinet. Erit ejus longitudo ab Iccio portu, vulgò Caletum, usq; ad Lithuaniæ fines. Habebit latitudinem à mari Germanico & Venetico usq; ad Alpes.

Censuram totâ de hac Germaniæ dimensione Philippi Cluverii Geographi peritissimi (ut desiderans Lector longô inquirendi labore supersedeat) apponere lubet: *Ad limites Germaniæ* (inquit) *quod attinet, vehementer errant illi, qui latiùs nunc, quàm olim Germaniam patere, ex Ptolemæi Geographia affirmant; maximè ii, qui hodiernam duplo majorem vetere faciunt. Secus mihi sententia*

est, qui modernam dimidio minorem antiquâ censeo. Illi Alsatiam, Lotharingiam, Treviros, Luceburgenses, Brabantios, Juliacenses, Geldriæ dimidiam partem, Hollandiam, omnem Seelandiam ac Flandriam hodiernis seculis accessisse ajunt; ego accessisse nego, mansisse adsevero. Quippe Plinius jam inde Germaniæ limites ad Scaldim fluvium protendit. Idemq; simul ac Tacitus ab usq; Sequanis omnem Rheni citeriorem ripam Germanos accoluisse tradit. Apud Cæsarem ipsi Rhemi Belgica natio testati sunt, Belgas plerosq; esse ortos à Germanis.

Pannoniæ quidem Superioris pars extra veteris Germaniæ limites censita fuerat; verum ei oppono, quicquid est terrarum hodiè Poloniæ ultra Vistulam amnem, qui terminus olim Germaniæ fuit, item Bohemiam & Moraviam; quarum regionum sermo apertè genus & originem indicat. Illi etiam Prussos ac Livones, quia Germanicâ linguâ utuntur, Germaniæ accessisse nuper censent; Ego & hos accessisse nego, mansisse à plurimis seculis ajo; quippe Æstios, qui olim totam Livoniam ac Prussiam, omnemq; ferè dextram ripam Vistulæ latè patentem occupârunt, dissertis verbis Germaniæ adscribit Tacitus. Idem Autor atq; Plinius regiones hodiè Norvegiam, Suediam, Finniam, & quicquid terrarum Oceano Septentrionali Moscoviæ confinibus ambitum, Germaniæ attribuunt. Quin & Peucini aliò nomine Bastarnæ dicti, à Vistulæ fontibus olim ad Pontum usq; Euxinum & Istri ostia extensi Germani fuerunt, testibus iisdem Scriptoribus. Veteris igitur Germaniæ termini fuerunt 1. ab Occasu Rhenus amnis & Oceanus Germanicus. 2. A Septentrione Oceanus Septentrionalis sive Hyperboreus. 3. Ab Ortu Granvicus & Finnicus Sinus mare Suevicum sive Codanus, Vistula amnis à fonte ejus ad Sarmaticos montes ducta. Montes è Septentrione in Meridiem ad Danubii usq; ripas protensi, ubi oppidum nunc Hungariæ Vaccia 4. Deinde à Meridie ipsum Danubii flumen vel ipsa Gallia. Longitudo ejus summa à Scritofinniæ promontorio vulgò Nortkün, quòd in Oceanum Septentrionalem excurrit ad Alpes Italiæ ultra 450. milliaria Germanica. Latitudo verò maxima à Rheno amne juxta Basileam ad Amadocam usq; Paludem, quæ est in confinibus Lithuaniæ, Russiæ ac Podoliæ sita est 200. milliaria Germanica. Phil. Cluv. lib. 3. Geogr. in pr.

D. Johannes Micrælius, dum egressus & progressus Germanorum recenset, inquit: *Quod si tantâ felicitate communis nostræ matris Germaniæ historia posset explicari, quanta ipsa se extulit, &*

nullis

nullis populis cedens innumerabiles sibi subjecit, ea mecum miraris Germanorum facta, quæ longis post se parasangis res à Romanis, Græcis, Persisq; gestas relinquerent. Hoc interim ægrè ferimus, eô vel livore vel stupore multos corripi, ut originem non patriæ nostræ semper florentissimæ; sed jam Trojæ, jam Thraciæ, jam Poloniæ, jam Britanniæ, ipsi deniq; Babyloniæ remotissimæ adscribant; non aliter, ac si tam validi heroes, quos omnium penè gentium terrores novimus, ex hac Septentrionali ora educi non potuissent. Imbellis, nuda ac ægra Germania, tamq; omni ope, omnibusq; viribus fuisset destituta, ut toties ab infirmis & aliunde expulsis in prædam petita subjugaretur. Cùm tamen secundùm Tacitum infando ejus robori non immanis Parthia, non terribilis Carthago, non bellicosi Samnites, non Gallia vel Hispania conferri potuerint. Etsi enim Rheno, Vistula, Danubio (quod Cluverio contrarium apparet) *satis angustis terminis conclusa fuerit, illa tamen gens primò parva, mox magni nominis excrevit; quæ Hispanias non saltem remotissimis seculis occupârunt; sed etiam postea Imperio Romano abraserunt, Britanniam Colonis oppleverunt, Gallias enervârunt, Pannonias ipsamq; Italiam diripuerunt, Africam sibi subjecerunt, prædas per Asiam in suum ferè natale solum redactam non semel egerunt, in ipsa Roma subindè tropæa erexerunt, tandemq; avulsam ab Imperio dignitatem Germaniæ suæ comparârunt.* Joh. Micræl. in Syntag. hist. lib. 1. sect. 3. quæst. 21.



LIBER



LIBER VIII.

De GOMERI FILIORUM POSTERIS IN SPECIE.

In anteriori de iis, qui Gomeri prosapiæ, nomini & memoriæ consonuerunt, de Gomerensium, nimirum, Comerorum, Cimmeriorum, Cimbrorum & Germanorum insigniis promiscuè tractatum fuit. In subjacenti de Gomeri filiorum, prout quisquis suos peculiares Gentiles reliquerit, resumetur. Solô primogenitô Ascenâ, cui singulare syntagma destitutum, exceptô.

CAPUT I. Reservatum.

De Ascena Gomeri primogenito.



Scenas Ebraïcè *Aschenaz*, id est, custos ignis, Gomeri primogenitus, Tuiscones quasi T-ascones propriè propagavit; sed ejusdem declarationes & generationes, veluti per totam generis hujus primogenituram observatum, ad subsequentem librum, periodo historica, remittuntur.

CAPUT II.

De Riphato Gomeri secundo filio & ejus posteris.

R*Iphat* vel *Riphath* ab Ebræo immutato *Riphath* idem est ac pastor, pecuarius, vel percurrens, Græcè *Nomas*. Ab alia Ebræa radice *Rapha* idem est ac Gigas, fortis, robustus. Juxta Berosum est Riphæus, juxta verò Flavium Josephum est Riphates. Gen. 10. v. 3. 1. Paralip. 1. v. 7. Beros. lib. 2. Fl. Joseph. lib. 1. c. 7.

Hujus posteritas & continuata memoria in Sacra Scriptura expressè ac nominetenus non reiteratur. Implicitè quidem Propheta Eze-

Ezechiel Riphatæos inter agmina *Gog & Magog* eorundemq; asseclas redarguere videtur, dum inquit: *Tecum sunt Gomer & universa agmina ejus.* Gomerus ibidem communis & generalis Patriarcha Synecdochicè pro specialibus posteris subintelligendis præponitur. Vel *universa agmina* Anonymicè posita, per Catachresin pro degeneribus agminibus universis, quale fuit ipse Riphat, transsumuntur. Vid. Ezech. 38. v. 6.

Cæteroquin alibi Riphati memoria diversimodè relicta, ut præcipuè in montibus Riphæis, quibus ejusdem posteritas nomen dedêre, patet. Nonnulli quidem jam dictos montes ex Græcis compositionibus formare conantur, utpote vel à ῥιπαῖς, i. e. ventorum flatibus, vel ἀπὸ τοῦ ῥίπτειν, i. e. prosternere, projicere. Unde & Eurus, qui bacchatur ab ortu apud Virgilium Riphæus appellatur.

Gens effrena virûm Riphæo tunditur Euro.

Virg. lib. 3. Georg.

Sed nullis rationibus firmis compositiones illæ diversæ consolidari queunt. Meliùs igitur & evidentiùs à Riphato, qui aliis Autoribus expressè est Riphæus, desumitur. Alibi quoq; memoriæ ejusdem insignia relicta, uti in Arcadia, ubi perinde montes Ripæi dicti extiterunt, itemq; Rhypes populi prope Græcos olim Herodoto celebrati. Virg. lib. 7. It. Steph. Bizant. in descript. urb. Herod. in Clion. siv. lib. 1. n. 27.

Priores relati Riphæi montes in Scythia latissimè extenduntur. Orpheus Poëta Cimmerios olim ad Septentrionem collocavit, in locis ad Bosphorum sitis inter Riphum & Calpium altissimos montes umbris nebulisq; tectos. Orph. in Argonaut.

Tanaim celeberrimum fluvium Asiam ab Europa dispescentem, quamvis nonnulli ex lacu ingenti, quem nunc Johannis lacum nominant, deflectunt, ex montibus Riphæis generaliter sic dictis prosilire, Ptolemæus & multi cum eo comprobant. Longô quidam à Tanai & Rha intervallô versus ortum solstitialem montes eminentissimi sunt, qui regnum Permean à Jugria seu Juhria antiquorum Hunnorum sede patriâ dirimunt, & latissimô tractu Mare Glaciale pertingunt. Quos montes prisci fortassis Hyperboreos sive Riphæos, ipsi verò incolæ Semnoipoyas, i. e. cingulum terræ nominant. Vid. Ptolem. lib. 5. cap. 4. Item David. Chytr. in libell. de lection. histor. circ. med.

Aristæus quidam Proconnensis Versificator Castrobii filius memorat, se Phœbi instinctu venisse ad Issedones, & supra hos incolere

lere Arimaspos viros unoculos & item supra hos esse Grypes, qui aurum asservent, & supra hos esse Hyperboreos, i.e. supra Aquilonares ad mare pertingentes. Herod. in Melpom. siv. lib. 4. n. 101. Plura de his & eorum sacris vid. ib. n. 103.

De Riphæis montibus Cajus Plinius Secundus ejusmodi narrat: *Lacus Mæotis Tanaim omnem ex Riphæis montibus defluentem accipiens, novissimum inter Europam & Asiam finem 1306. milliaria circuitu patere traditur.* Plin. lib. 4. c. 12. p. m. 57. Dec. 4.

Idem continuat: *A Buge super Mæotin Sauromatæ & Essedones. At per oram ad Tanaim usq; Mæotæ populi, à quibus lacus nomen accepit; ultimiq; à tergo eorum Arimaspi, mox Riphæi montes, & assiduæ nivis casu, pinnarum similitudine gelidi. Pterophoros appellata regio, pars mundi damnata à natura rerum, & densa mersa caligine, neq; in alio, quàm rigoris loco ac gelidis Aquilonis receptaculis. Pone eos montes ultra Aquilonem gens felix, quos Hyperboreos appellavêre, annosô degit avô, fabulosis celebrata miraculis. Ibi creduntur esse cardines mundi, extremiq; siderum ambitus, semestri luce tanquam unâ die Solis aversi* (da der Sommer ein halb Jahr währet) *non ut imperiti dixêre ab æquinoctio verno in autumnum, sed semel in anni solstitio oriuntur ii Soles brumaq; semel occidunt. Regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxiô carens.*

Domus iis populis nemora luciq;, & Deorum cultus viritim gregatimq;, discordia ignota & ægritudo omnis. Mors non nisi satietate vitæ epulatis delibutisq; senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientibus, hoc genus sepulturæ beatissimum. Quidam eos in prima parte Asiæ littorum posuêre non in Europa, quia sunt ibi simili consuetudine & situ, Atacori nomine. Alii medios fecêre eos inter utrumque Solem, Antipodum Occasum & Orientem nostrum; sed fieri nullô modô potest, tam vasto mari interveniente.

Qui non alibi eos, quàm in semestri luce constituêre (wo der Tag ein halbes Jahr lang währet) *serere eos matutinis, meridie metere, occidente Sole fœtus arborum decerpere, noctibus in specus condi tradiderunt. Nec licet dubitare de ea gente, cum tot autores prodant, frugum primitias solitos Delon mittere Apollini, quem præcipuè colunt. Virgines ferebant ea hospitiis gentium per annos aliquot venerabiles, donec violatâ fide in proximis accolarum finibus deponere sacra ea instituêre. Hiq; ad conterminos deferre, atq; ita Delon*

Delon usq;. Mox & hoc ipsum exolevit. Plin. lib. 4. c. 12. p. m. 59. Dec. 2. & 3.

Porrò: *Turcæ usq; ad solitudines saltuosis convallibus asperas, ultra quos Arimphæi, qui ad Riphæos pertinent montes.* Plin. lib. 6. c. 7. p. m. 82. Dec. 4.

Item; *Juxta promontorium Celticæ Lytarmis, nascitur fluvius Carambucis, ubi cum siderum vi lassata Riphæorum montium juga deficiunt. Ibi Arimphæos quosdam accepimus, haud dissimilem Hyperboreis gentem. Ibi sedes illis nemora, alimenta baccæ, capillus juxta fœminis virisq; in probro æstimatur, ritus clementes, itaq; sacros haberi narrant, inviolatosq; esse etiam feris accolarum populis, nec ipsos modò, sed illos etiam, qui ad illos perfugerint. Ultra eos planè jam Scythæ, Cimmerii, Cesianthi, Georgi & Amazonum gens.* Plin. lib. 6. c. 13. p. 84. Dec. 2.

Scythia reliqua maxima ex parte Orientalis est, montes Riphæi autem totum Septentrionem prope Armeniam, Iberiam, Albaniam, Colchidem &c. ab Oriente cingunt. Hinc fit, ut Riphæus, a, um, idem ac Scythicus, Septentrionalis, Aquilonaris, Borealis, &c. significet, ut Riphæus populus, Riphæa nix atq;

Non Rheni glacies, nec me Riphæa tenebunt
Frigora,

Claudian.

Imò, quòd nostræ agnationi multò propinquius apparet; *Ex Gallis Celticis quosdam superatis Riphæis montibus extrema Europæ occupâsse,* Plutarchus expreſsè & prolixè testatur. Plutarch. in Camil.

De Riphæis in alias regiones progressis.

Riphati quoque posteros Riphæos maxima ex parte, instar aliorum Japhitarum, ex priscis sedibus egressos in remotissimas regiones concessisse, nullum discrimen obstat. Inde repleta est Grönlandia: *Cujus terrarum pariter ac hominum notitia antiquis cognita, hodiè periit, circa A. C. 1416, neq; hactenus reperiri potuit. Nam quæ hodiè Grönlandia appellatur, hominibus est destituta & alia regio. Causam referunt, tum in pestilentiam quandam, tum in glaciem ex mari Tartarico, tempestatibus ejectam, quæ omnes in Grönlandiam aditus obstruxit. Unde quidam Grönlandos vel pestilentiâ extinctos, vel, quod verisimilius littoribus desertis ad ulteriora &*

remotiora, ac (ut Grotius voluit) in ipsam Americam Septentrionalem migrâsse putant. Georg. Horn. in introduct. ad hist. univers. circ. med.

Idem Autor alibi: *Scythas ante multa secula per Septentrionem aliasq; vias, quà terra, quà mari, quà glacie in Americam transmigrâsse & universum illum orbem implevisse, multis argumentis ostendi potest. Et iterum: Australis terra nondum detecta est; restat adhuc ingens orbis pars, versus Meridiem, cujus littora quidem & ignes procul à navigantibus conspiciuntur; ingredi autem nisi interdum cognoscendi ergò propter incolarum ferociam non audent. Quidam Hispanus nomine Fernandus del Quir A. C. 1617. Regi Hispaniæ accuratam, ut jactabat, earum terrarum descriptionem exhibuit; ibiq; immensam auri argentiq; vim, incolas verò factionibus inter se ac odiis divisos, facilè armis Europæis superari posse, narravit. Non semel quoq; Societas Indiæ Orientalis de expeditione in orbem illum incognitum deliberavit suscipienda; sed hactenus res & inter voluntatem & conatum stetit.* Georg. Horn. cit. loc. Vid. & Nicolaum Füller. miscell. sacr. libro 2. cap. 4. p. 170. &c.

Non mirum igitur, quòd gentium aliquot nomina & origines funditùs & perfectè indagari nequeant, quoniam tot maxima regna, partim nuperrimis seculis reperta, partim adhuc occulta & nobis incognita à Japhitarum orbe antiquo & cognito, repleta fuisse, constat.

De Riphatæis, qui & Paphlagones appellati.

Flavius Josephus, in historicis & antiquitatibus probatissimus & celeberrimus Autor, cui etiam D. Hieronymus multiq; alii adstipulantur hoc locô: *Riphates Riphatæis nunc Paphlagonibus originem dedit.* Fl. Joseph. lib. 1. antiquitat. Jud. cap. 7. Hieron. in Genes. 10. ad h. l.

De his David Chytræus: *Certum est*, inquit, *Paphlagoniam Henetorum sedem vetustissimam esse, ut ex Homeri Iliad. β. apparet. Atq; Livius statim initiô suæ historiæ scribit: Antenorem cum multitudine Henetorum (qui seditione ex Paphlagonia pulsi & sedes & Ducem, Rege Polemone ad Trojam amisso, quærebant) venisse in intimum maris Adriatici sinum. Consentaneum quoq; est Riphat stirpem esse amplissimæ gentis Henetæ, quæ postea versus Septentrionem & Occasum progressa plurimas Europæ regiones, Sarmatiam;*

Ser-

Serviam, Illyridem &c. occupavit & hodie tenet. Cumq; Riphæos montes in Sarmatia nominat Ptolemæus, approbabile viget, originem appellationis esse à Riphato Gomeri filio. Dav. Chytr. in Gen. 10. ad h. l.

Huic fermè formaliter pollicem pressit Vir Ecclesiæ meritissimus D. Salomon Gesnerus: *Cum Historici testentur, Henetam gentem à Paphlagonia effusum esse* (Liv. lib. 1. Dec. 1. Plin. lib. 6. c. 2.) *consentaneum est, à Riphat ambos consanguineos populos ortos esse. Qui in Europa Illyridem, Serviam, Bohemiam, Sarmatiam &c. latè occupârunt, hodieq; multis locis sparsim tenent.* Sal. Gesn. vid. & Phil. Henr. Fridl. ad h. l.

Alii adhuc etiam Livoni quasi Riphoni mutatô R. in L. ut Ludolphus pro Rudolphus, adstruere volunt. In quo fides penes autores ipsos rejecta sit.

CAPUT III.

De Thogarma tertio Gomeri filio & ejus posteris.

THogarma vel Thogorma Gomeri tertius ac ultimogenitus, idem est ac apud Græcos νεῦρος Nervus. In Beroso legitur *Tagumorma*, Flaviô Josephô *Thygrames*. Genes. 10. v. 3. 1. Paralip. 1. v. 7. Ezech. 27. v. 14. & 38. v. 6. Beros. lib. 2. arb. 3. genealog. Fl. Joseph. lib. 1. c. 7.

Priusquam autem ejus prosapiam prosequar, universalis Germanici nominis differentiam redintegrare allubescit.

Germanus, quod rarissimè fit, obiter & diffusè pro omnibus & singulis Gomeri stemmatibus transsumi potest; in specie verò & κατ' ἐξοχὴν & frequentissimè pro Tuisconibus Gomeri primogenitis præcipuisq; posteris singulariter accipitur; ita tamen, ut omnes Tuiscones Germani, ast non vice versa pronunciari queant.

Idcircò dum & Thogarma nonnunquam Germanico nomini vel potiùs Carmanico, in sensu illo remoto per Synecdochen abusivam inferatur, quod fit in Thargo Hierosolymitano super Genesin, item super Prophetam Ezechielem, ubi in Ebræo textu *Bait Thogarma* in Chaldæa paraphrasi *Medinat Garmania, i. e. Carmania* Maximoperè autem inter Gomermanos, Comermanos vel Carmanos Asiaticos, Barbaros & dissitos in genere & absolutè pro omnibus singulisq; Gomeri posteris sic dictos; atque inter Germanos nostros

Europæos sive Tuiscones in specie & κατ᾽ ἐξοχὴν tanquam præcipuos protogenosq; Germanos ita insignitos & declaratos, distinguendum, ac discernendum est. Quorum πολυγενῶν ignorantia permultos antea fefellit vel ad dubium commovit. Sed prorsus rescindenda, atq; jam producta & ex Targo allegata ad significationem Germanici nominis maximè generalem limitanda sunt.

Thogarmæ posteros primitùs statim pretiosis equis educendis vel studiô equestri, instar hodiernorum Tartarorum & Turcarum incubuisse, & commercia cum Tyriis exercuisse, citatus Divus Fatiloquus de ingenti urbis Tyri potentia & abundantia mox transitura divinans, hisce verbis præmonstravit: *De domo Thogorma equos & equites, & mulos in negotiationem Tyri dederunt.* Ezech. 27. v. 13. & 14.

Idem Propheta post capita aliquot iterum Thogarmæ reminiscitur, & expresse inter Gog & Magog, h. e. inter perpetuos Ecclesiæ hostes reponit, ita continuans: *Tecum, Gog & Magog! sunt Gomer & universa agmina ejus* (scil. perversa agmina per Catachresin) *domus Thogarma latera Aquilonis & totum robur ejus populiq; multi tecum.* Ezech. 38. v. 6.

Unde maximi, plurimiq; Doctores, Turcas inde provenisse, conjiciunt, potissimùm ex jam Ezechielis dictis, ubi Thogarma inter crudelissimos Gogi & Magogi consortes, ultimô locô positus, ipsam posteritatem suam, ultimis temporibus, fideles vehementissimè persecuturam fore redhibet.

Ex Etymologia quoque literarum, præcipuè Torg, Torgæ vel Turcæ quasi repræsentantur. Atque Judæi ipsos Turcas Thogarmim & legem eorum Thogar nominant. Vid. Luth. Tom. Jenens. in Gen. 10. & in Ezech. ad h. l. Strateman. in Theatr. hist. It. Postell. & Benjan. Jud. it. Matth. Mart. Lexic. Phil. atq; Carol. Steph. in Lexic. hist. sub nom. Turc.

Turcæ ex Tartaris oriundi olim, juxta Pompon. Melæ lib. 2. obscura & contemta gens, concessu Divinô in maximam potentiam excreverunt post Macedones & Romanos haud dubiè potentissimi. Patriarchæ Gomeri memoriam, veluti nostrates in nomine Germanico, illi in Carmanico aliquatenus retinuerunt.

Ipsius Magogi atque Thogarmæ posteritas illi ipsi Japhitæ sunt, qui benedictionem & auctionem temporalem ab Archipatriarcha Noa revelatam adepti cognatos suos spiritualis benedictionis participes premere & opprimere conantur.

Imò

Imò quod Iſraelitæ in Veteri, noſtrates in Novo Teſtamento ſimiliter, ad nefandum usque, experti ſunt. Unde quando Pſalmiſta de peſſimis perſecutoribus conqueritur, de confraternis plerumque & conſanguineis populis querelam ingemiſcit: *Conſultaverunt unanimiter & conſpiraverunt adverſus Iſrael tabernacula Edomitarum, & Iſmaelitarum, Moabitarum & Hagaritarum, &c.* Item: *Heu mihi, quod cohabitem in tabernaculis Kedar, i. e. Arabum.* Qui cuncti ab uno Patriarcha Abrahamo provenerunt. Pſ. 83. v. 6. & 7. & Pſ 120. v. 5.

Sic etiam non ſolùm Japhitæ & Magogitæ in genere, ſed & ipſius Gomeri poſteritas in ſpecie, contra nos & noſtrates Chriſtianos inſatiabili odio & fervore, usque ad internecionem exarſerunt. Jure proinde meritoq; dictum iſtud hisce poſtremis ſeculis: *Frater fratrem in mortem venatur & tradit.* Item *domeſtici hominis ſunt inimici ejus vehementiſſimi,* accordat. Mich. 7. v. 3. usq; 7. Matth. 10. v. 21.

CAPUT IV.
De Carmanis.

B*Ait Thogarma, i. e. domus Thogarmæ.* Chaldaicè *Medinat Garmanja latera Aquilonis &c.* ipſam Carmaniam ex Comeri ſive Gomeri memoria in Aſia ſic intimatam, inſinuari ſine ulla controverſia obtinet.

Alii ab ipſo Thogarma Carmaniam, vel, ut à Perſis & Medis, teſte Joh. Walck. in itiner. Turcic. pronunciatur Tukermaniam vel Tungarmaniam, deducere malunt; Quod verò apud Græcos & Latinos prima ſyllaba Tho per Aphæreſin abſorbeatur, haud inuſitatum eſt, & multa ejusmodi vocabula reperiuntur. Quod G. in C. mutetur, veluti alibi Gomerus & Comerus. Gnæus & Cnæus, Gajus & Cajus &c. perinde communi uſu receptum eſt; itaq; à Thogarmania abbreviatè Carmania effari facillimè potuerit.

Carmaniæ quoq; latera ad Aquilonem vergunt, Hyrcaniæ & ab altera parte Tyri vicina, generoſis equis abundantia. Vid. Ptol. Pompon. Mel. lib. 3. & Lucan. lib. 3.

Hodiè quoque equitatus ex Carmania præclarus. De quibus apprimè Salomon Schweiger h. l. Latinè translatus ita conteſtatur: Oppidum Scutari, haud procul à Conſtantinopoli, celebre eſt præ-

cellen-

cellentibus equis, qui ex Persia, Armenia, Carmania & Arabia vænum adiguntur. Equi enim illi à Turcis magni æstimantur, tanquam alacriores, duriores cæterisq; præstantiores. Singulorum vulgarium commune precium centum aureis nummis vel Ducaten consistit; primates verò ac selectiores equi ducentis & sic deinceps quingentis Ducatis venduntur.

(Ducatus Ducati in secund. decl. pro Ducaten defenditur à Snellio de re nummaria.) Sal. Schweig. lib. 2. itin. c. 45. p. m. 135.

CAPUT V.

De Phrygibus.

FLavius Josephus & D. Hieronymus *Phryges* (quos Strabo libro 7. c. 10. & 12. de Thracibus esse tradit) *ab hoc Thogarma* unanimiter hisce verbis: *Thygrames* (ut Josephus nominat) *Thygramais originem dedit, quos Phryges Græcis libuit vocare*, deflectunt. Fl. Joseph. lib. 1. antiq. c. 7. Hieron. in Gen. 10. ad h. l.

Phrygum quidem inter Gentiles, antiquissimorum populorum, permagna olim potentia, etiam ante Regem Mydam, extitit; attamen si Thogarmæ posteritas reputandi, ut particularis natio subintelligendi. Ac licet Trojana historia multis fabulis obumbrata, confratres tamen & agnatos populos Ascanios & Paphlagones Riphæos, circa excidium Trojæ, ad auxilium venisse dispalescit. Vid. Hom. & Virgil. divers. loc.

Quod adhuc superest, permulti hodiernorum Historicorum ex Phrygibus Dardanæis Teucris & Trojanis postea iterum vehementer grandescentibus, ipsos Turcas progressos fuisse ortosque, conjiciunt, illosq; olim Phrygiæ limitibus non contentos mox inde, cùm adaucti fuissent, per Mæotin in Boreales regiones vastissimas diffusos fuisse, adstruentes. Vid. Casp. Peuc. in Chron. & D. Gesn. comm. in Gen. ad h. l.

Ipsi deniq; Turcæ se de stirpe dissipata revaluisse Trojana, & idcircò Græcis tanquam antiquis Trojæ vastatoribus infensissimos esse, confitentur. Joh. Walck. in itiner.

Sed Trojanis compositionibus suo in valore relictis, Turcæ Tartarorum cohortes olim, & nunc, *Gog & Magog* adhærentes, à Thogarma provenisse, probatissimis argumentis evincitur; non attentato

tato neq; reprobato, an olim natio eorum quædam in Phrygia vagata fuerit.

CAPUT VI.
De Bryge vel Bebryce Thogarmæ postero habito.

BEbryx nonnullis unus idemq; ac Bryx est, pluribus tamen Brygis videtur filius, atq; *tumultus vel filius tumultus* explicatur, summamq; propter antiquitatem ex Thogarmæ nepotibus aliquis reponitur. An juxta Berosum Brygus, *qui annô Babylonici Regis Aralii vigesimô post diluvium 400, apud Celtiberos regnavit*, perinde idem habendus tantaq; provectâ ætate reputandus, in obscuro latet. Vid. Beros. lib. 5. sub. gest. Aral. Sext. Babyl. Reg. p. 55. a.

Cæterùm Bebryx (cujus formosissimam filiam Pyrenen, Hercules nostrâ cognitione Primus ambivit & præoptavit) Pyrenæorum à filiæ nomine & posteriori impositione ita dictorum Rex sive potius hospes perillustris traditur. Qui ex Armenia discedens, non illicò in oppositam Phrygiam; sed per Mediterraneum prius mare ad montes à Pyrene postea Pyrenæos dictos prope Hispaniam Galliamq; maximos, forte fortuna delatus ibidemque diversatus, antiquos populos Bebryces (qui incognitâ ratione Mygdones deinde appellati) fundavit. Bebryces aliis Bryges jam citati, prout transmigrationes gentium admirabiles contigêre, dehinc in Thraciam, exinde in Asiam transgressi minorem, inq; ea parte, quæ Trojadi subjacet, consederunt, insimulq; mutatâ patriâ, nomen mutârunt; partimq; Phryges, partim Mygdones, tandemq; Bithyni appellari cœperunt. Est etiam permagna Phrygiæ regio, quam, ut Stephanus perhibet, Mygdoniam vocârunt. Unde Synecdochicè Brygia sive Bebrycia est, quæ postea Phrygia & Mygdonia, deinde verò Bithynia cognominata. Vid. Herod. in Polymn. siv. lib. 7. n. 178. vid. quoque Solin. & Serv. it. Strab. lib. 7. & 12. de Bebryce Rege in Spe. Sil. Ital. lib. 3.

Bebrycia olim extendebatur usq; ad Ephesum & Magnesiam Joniæ oppida, ut Apollonii enarrator, Charonte teste adductô, *Lampsacenorum regionem olim Bebryciam appellatam fuisse*, inquit. Stephanus quoq; juxta Pontum in Asia & juxta Iberos in Europa constituit. Bebrycii nominis antiquitas innotuit etiam Março Annæo Lucano de situ & qualitate Thessaliæ sic referenti:

— — *Postquam discessit Olympo*
Herculea gravis Ossa manu, subitaq; ruinam
Sensit aqua Nereus.

Et paulò post:

Ut primùm emissis patuerunt amnibus arva
Pinguis Bebrycio discessit vomere sulcus.

Lucan. de bell. Pharsal. lib. 6.

Memorabilis & antiqua historia inibi latet. Ab omni usq; seculo tota vastissima regio, quæ postea Thessalia dicta, undicunq; eminentissimis montibus clausa, intus amplissimas paludes habuit & scaturigines. Olympus enim & Ossa aliis cum jugis altissimis continuus erant atq; conjunctus circulus montosus.

Cæterùm primus Hercules (qui Mannus vel Alemannus alioquin habetur Ascenæ filius) optimus Geometres, optimus Architectus & Oeconomus, prædictos montes, quà procliviores (ac si quis parvi exempli gratiâ Lucernensem lacum habitabilem redderet) dissipari transfodiq; instituit. Quâ transfossione ortus Peneus fluvius littora interna amœnissima Tempe inrerfluens. Vid. Strab. lib. 7. 8. & 9. Plin. lib. 4. hist. nat. c. 7. it. Senec. suo loc.

Ex hisce omnibus primum Herculem sive Mannum inter initia posterioris mundi, ante Thessaliam habitabilem factam, longèq; ita consequenter ante Deucalionem & Græcorum traditiones extitisse. Bryges verò sive Bebryces populos fuisse antiquissimos constat. Quos Græcorum Orator Isocrates absolutè Barbaros nominavit, magnamq; olim Græciæ partem & procul dubio Thessaliam tenuisse testatus. Isocrat. class. 2. orat. 1. in panegyr. Athen. p. m. 109.

Bebryces originem à Bebryce una Danai filiarum trahere, perversè Arrianus contendit: *at si, cùm contra jussa patris, veluti Hipermnestra, viro pepercisset, parentem fugiens unà cum viro in hac loca pervenisset, incolasq; ritus docuisset Ægyptios, regionem à se Bebryciam appellari fecisset.* Arrian.

Sed verisimiliùs, ut jam perceptum Bebryx antiquissimus Rex fertur atq; Patriarcha. Unde & Hercules hoc nomine Primus à Silio Italico ita æquiparatur:

— — — *sc. Hercules*
Possessus Baccho sævâ Bebrycis in aula.

Sil. Ital. lib. 3.

Sumi-

Sumitur etiam Adjectivè. Unde:

Bebrycis & Scythici procul inclementia saxi.

Val. Flac. lib. 2.

Bebrycius nomen porrò possessivum est, sic enim Lucanus:

Pinguis Bebrycio discessit vomere sulcus.

Bebrycia deinde absolutè sic dicta pro Majori Phrygia accipitur item *Bebrycium nemus*, de quo Virgilius. Virgil. lib. 5. Æneid. vid & Sallust.

An Bebryacum, præclara olim inter Cremonam & Veronam Italiæ civitas, de qua Juvenalis Sat. 2. & Tac. lib. 18. An. conscribunt, huc pertineat, & memoriam ab Ænea ejusq; comitibus è Phrygia in Italiam profectis receperit, eò relinquitur.

Traditur quoq; in historiis alius posterior Bebryciorum tyrannus, nomine Ἄμυκος Neptuni Meliesque Nymphæ filius. Quem Ovidius Centaurum intimat, atq; Ixionis Nubisque filium, quin & Ophioni-dem, h. e. Ophionis posterum hoc modulo decantat:

Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud veritus spoliare suis.

Ovid. lib. 12. Metamorph.

Ophion autem cum uxore Euries Oceani filia, ante Saturnum rerum potitus fugatusq; à Saturno traditur. Vid. Claudian. de rapt. Proserp.

Iste, de quo sermo Amycus, eam consuetudinem habuit, ut advenas in Bebrycium nemus ad cæstuum certamen provocaret, sed insidiis circumventos ibidem interficeret. Quum itaque annô post diluvium 1076. ante Trojæ excidium 57. Argonautæ in Bebryciam venissent, Pollux ab eodem ad certamen invitatus, cognitis insidiis, socios convocavit, & ab iis adjutus Amycum interfecit, accinente Virgiliô:

Bebryciâ veniens Amyci de gente ferebat.

Virgil. lib. 5. Æneid.

Apollonius Poëta: *Amycum à Castore & Polluce Herculis Græci comitibus interfectum fuisse* scribit. Quapropter Lycus Dascali filius, qui ejus loci Rex succederat, sacellum iis dedicavit. Vid. Apollon.

Amyci portus, ab Amyco Bebryciorum Rege ibidem interfecto, famosus aliquamdiu extitit, ejusq; tumulum à supremo die laurus, quam insanam vocârunt, obumbravit; quoniam juxta fabulas, si

quid ab ea decerptum navibus inferebatur, jurgia, donec abjiceretur, fiebant. Vid. Plin. lib. 6. c. 14. it. Hermol. in Plin.

Unde pervulgaribus ejusmodi sodalitiis ambiguis homonymum istud paradigma haud inconcinnè applicare instat:

Perfidus est Amycus, qui sæpe putatur Amicus.

Fuit & alius diversus Amycus Æneæ comes, de quo huc non pertinente Virgil.

— — — *Inde ferarum*
Vastatorem Amycum.

Virgil. lib. 9. Æneid.

CAPUT VII. Extraord.

De Thessalica antiquitate Gentili ex Lucano.

A Deucalione Thessalo Rege Ethnicorum plerumque historiæ incipiunt; quapropter universale etiam Noæ diluvium eidem adscriptum fuisse offenditur. Sed Thessalia, vastissimis olim montibus circumclusa palus, deserta & incondita, tunc demùm post diluvium ab Hercule (primô scilicet sive Mannô, quantum conscimus) diffossis montibus habitabilis reperitur effecta. Perfacile proinde Deucalionis tempore post Noachicum diluvium prope 784. ingruentibus imbribus priusquam aquarum exitus magis magisq; patefierent, inundatione iterum repleri potuit.

Quod & Xerxes annotante Herodotô (qui Penei meatus Neptuno adscripsit) benè observavit: *Fertur quondam quum nondum esset hic anfractus, per quem flumina mearent, hos fluvios & lacum Bœbeiden* (Bebreiden forsan) *non ut tunc fuisse nominatos; attamen non minus, quàm nunc fluxisse; sed suis fluentis omnem Thessaliam effecisse pelagus. Ipsi quidem Thessali memorant, Neptunum fecisse convallem, per quam meat Peneus, haud absurde sentientes. Qui enim arbitratur: Neptunum terram quatere, & quæ terræ motu diducta sunt, hujus DEI esse opera, ei cernenti hunc locum, videtur Neptunus id fecisse. Nam diductio illa montium, ut mihi videtur, terræ motûs est opus. Xerxi autem interroganti, nunquid alibi exirent in mare ostia Penei, exploratores sui rem compertam habentes, Rex, inquiunt: nulli sunt huic flumini alibi in mare tendentes exitus, quàm iste hìc: cuncta enim undiq; montibus redimita Thessalia. Ad hoc Xerxes dixisse fertur: solertes sunt viri,*

viri Thessali, qui suæ sibi imbecillitatis conscii, jampridem, cum alia, tum verò hoc præviderint, quod regionem habeant facilem occupatu & maturè expugnabilem. Solum enim hoc esse negotium, flumen obstructò anfractu, aversoq; alveo, per quem meat, in eorum terram inducere, à quo omnis Thessalia præter montes aquis obduceretur. Herod. in Polymn siv. lib. 7. n. 184.

Cæterùm Lucanus ex antiquissimis historiarum vel traditionum, ut patebit, fundamentis, primam Thessalici Penei fluminis semotionem, primò Herculi ejusmodi versibus adscripsit:

Thessaliam, quâ parte diem brumalibus horis
Attollit Titan, rupes Ossæa coercet:
Cùm per summa Poli Phœbum trahit altior æstas,
Pelion opponit radiis nascentibus umbras:
At medios ignes cæli rabidiq; Leonis
Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys:
Excipit adversos Zephyros & Japyga, Pindus,
Et maturatâ præcidit vespere lucem.
Nec metuens imi Borean habitor Olympi
Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.
Hos inter montes mediâ qui valle premuntur,
Perpetui quondam latuêre paludibus agri;
Flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe
Dant aditus pelago, stagnumq; implentibus undis
Crescere cursus erat. Postquam discessit Olympo
Herculeâ, gravis Ossa, manu, subitæq; ruinam
Sensit aqua Nereus: melius mansura sub undis
Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis
Eminet: & primâ Rhœtejâ littora pinu
Quæ tetigit, Phylace: Pteolosq; & Dorion, ira
Flebile Pieridum: Trachin: pretioq; nefandæ
Lampades Herculeis fortis Melibœa pharetris:
Atq; olim Larissa potens. Ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant; Veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias. Ubi quondam Pentheos exul.
Colla caputq; ferens supremo tradidit igni
Questa, quod hoc solum nato rapuisset, Agave.
Ergò abrupta palus multos discessit in amnes:
Purus in occasus, parvi sed gurgitis Æas
Influit Jonio pelago: nec fortior undis

Labitur avectæ Pater Isidis & tuus Oeneu!
Pene gener crassis oblimat Echonidas undis:
Et Meleagréam maculatus sanguine Nessi
Evenus Calydona secat: ferit amne citato
Maliacas Sperchius aquas, & flumine puro
Irrigat Amphrysus famulantis pascua Phœbi:
Quiq; nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra nec tenues ventos suspirat Anaurus:
Et quisquis Pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas: it gurgite rapto
Apidanus: nunquamq; celer, nisi mistus, Enipeus,
Accipit Asopus cursus, Phœnixq;, Melasq;.
Solus in alterius Numen cùm venerit undæ
Defendit Titaresus aquas lapsusq; supernè
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est, Stygiis manare paludibus amnem
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, Superumq; sibi servare timorem.
Ut primùm emissis patuêrunt amnibus arva
Pinguis Bebrycio discessit vomere sulcus,
Mox Lelegum dextrâ pressum descendit aratrum
Æolidæ, Dolopesq;, solum fregêre coloni
Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis.
Illic semiferos Ixionidas Centauros
Fœda Pelethroniis nubes effudit in antris
Asperate, Pholoes frangentem Monyche! saxa:
Teq; sub Oetæo torquentem vertice vulsas
Rhœce ferox! quas vix Boreas inverteret ornos.
Hospes & Alcidæ Magni, Phole! teq; per amnem
Improbe Lernæas vector passure sagittas.
Teq; senex Chiron, gelidô qui sidere fulgens
Impetis Æmonio majorem scorpion arcu.
Hac tellure feri micuerunt semina Martis:
Primus ab æquoreâ percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exsiluit, primus chalybem frænosq; momordit,
Spumavitq; novis Lapithæ domitoris habenis.
Prima fretum scindens Pagasæo littore pinus
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.

Primus

Primus Thessalicæ Rector telluris Itonus
In formam calidæ percussit pondera massæ,
Fudit & argentum flammis aurumq; moneta
Eregit, & immensis coxit fornacibus æra.
Illic, quod populos scelerata impegit in arma,
Divitiis numerare datum est. Hinc maxima serpens
Descendit Python, Cyrrhæaq; fluxit in antra,
Unde & Thessalicæ veniunt ad Pythia laurus.
Impius hinc prolem Superis immisit Alæus,
Inseruit celsis prope se cùm Pelion astris
Sideribusq; vias incumbens abstulit Ossa.

Lucan. de bell. Pharsal. lib. 6. de sit. Thess. ante dimid.

Versus nimiam ob gravitatem explicationis, quæ ita se habet, indigent. Altissimi montes: 1. Ossa à Septentrione. 2. Pelion ab Oriente. 3. Othrys à Meridie. 4. Pindus ab Occasu Thessaliam penitùs circumcinxerunt. Olympi montis quatenus imi habitator, Boream non metuens, Arcton totis lucentem noctibus ignorat. Agri inter hos montes, mediâ valle qui premuntur, paludibus quondam perpetui latuerunt. Dumq; campi ita flumina retinent, & Tempe pervia, nondum aditus dant pelago; undis tunc utique stagnum implentibus, crescere cursus erat. Postquam verò Herculeâ manu mons Ossa Olympo decessit, Nereusq; subitæ aquæ ruinam sensit; tunc Pharsalos meliùs sub undis regnum æquorei Emathis Achillis, id est, Neptuni mansura eminet. Hinc eminet Phylace, quæ prima Rhœteia littora tetigit. (Unde perillustris ante Trojam conditam antiquitas capienda.) Hinc eminet Pteolos, item ira Pieridum flebile Dorion. (Citharœdus namq; Thamyras à Musis ad cantûs certamen provocatis superatus, & oculis & lyrâ privatus traditur.) Hinc Trachin sive Trachyn; atq; Herculeis pharetris pretio nefandæ lampados acquisitis fortis Melibœa eminet. Pyrenæ Bebrycis Regis filiæ desponsationes & nuptiæ ex abstrusa vetustate conjiciendæ, pro quibus forsan Hercules pretii locô pharetras tradidit. Nefandæ lampados sive facis nuptialis, ob conditionem reticitam & occultam, nuda mentio infertur. Atque Larissa olim potens hinc eminet. Ast ubi nobile quondam Argos, item ubi fabula veteres Thebas Echionias ab Echione conditas monstrat (ubi Pentheus olim exul abstemius, Bacchi sacra despicatus. Quem mater impia Agave cum reliquis Mænadibus inter Bacchanalia membratim discerpsit, atque furens conquesta, quod huic solum nato caput rapuisset) nunc super

arant.

arant. De quo facinore Virgilius: *Quondam victa furore, venit Nyctigis fugiens Cadmæis Agave, posterius pœnam nati-è morte futuram infandas scelerata manus à cæde cruenta.* Natal. quoq; Gomes hanc fabulam explicat, Pentheum laudatum Regem, qui, quod ebrietatem tollere conaretur, tam malè interceptus sit, recenset; non pauci tamen inter Ethnicos fuêre, qui variis opprobriis eum affecerunt. Vid. Virgil. in Culic. Horat. serm. 1. Satyr. 3. Ovid. lib. 3. Metamorph. fab. 9 & seq. Vid. & Nonnum Panopolit. libro 48. Apollodor. lib. 3. Biblioth. Hygin. cap. 184. ut & Natal. Com. lib. 5. Mythol. cap. 13.

Hactenus de urbibus. De amnibus, rivulisq; Lucanus Herodoto contrarius hisce contentis pergit:

Ergò abrupta palus, multos discessit in amnes,

purus sed parvi gurgitis Æas in occasum Mari Jonico influit: Patet avectæ Isidis & Oenei gener intelligitur Inachus, qui crassis suis undis pulcherrimas insulas Echonides circundat. Evenus transnavigantis Nessi ab Hercule sagittati cruore maculatus Calydonem Meleagri patriam secat: Sperchius aquas prope Maliacum maritimum Eubœæ sinum ferit, id est, attingit amne citatô. Amphrysus purô flumine pascua, ubi Apollo Phœbi famulus armenta Regis Admeti pavisse traditur, irrigat. Anaurus tam lenis est, ne auram ex se mittat neq; nebulam. Alii porrò incogniti rivuli aquas suas Peneo donant. Apidanus gurgite rapto, id est, veloci fluit. Enipeus verò tardus & nunquam nisi mistus, celer. Asopus contra iterum cursus accipit, ut & Phœnix atq; Melas. Solus Titaresus, licet in alterius aquæ numen sive influxum venerit, aquas suas defendit, & immisceri non patitur; sed instar olei supernatat; superneq; ita fluens gurgite Penei pro siccis utitur arvis. Hunc quoq; amnem fama est, de Stygiis paludibus promanare atque capitis sui sive originis memorem, alia contagia vilis sive communis fluvii nolle pati, sed supernum sibi servare timorem.

Cæterùm ut Thessaliæ iterum conditionem ab initio repetam: Postquam Herculeâ manu gravis mons Ossa Olympo discessit,

Ut primùm emissis patuêrunt amnibus arva,

tunc Bebryces & deinde Leleges arare cœperunt. Æolidæ verò & Dolopes, item Magnetes gens equis & Minyæ gens remis cognita, tanquam coloni, solum fregêre.

Illic etiam, id est, in Thessalia in Pelethroniis antris, effœta sive prægnans nubes, Ixionidas Centauros effudit & peperit. Te, Monyche!

nyche! aspera saxa Pholoes montis Arcadiæ frangentem peperit: Teque, Rhœce ferox! sub Oetæo vertice ornos arbores vulsas, quas vix Boreas inverteret, frangentem peperit: Te quoque, Phole syncere hospes Alcidæ magni! peperit. (Primus Hercules primitùs statim introductus; Alcides verò corruptè inversus & suppositus est Pholi Synchronos) Teque, improbe vector (scil. Nesse) Lernæas sagittas passure vel extorsure! peperit, cum Dejaniram bona fide fluvium Evenum transvehendam commissam, tentans sive compellans, ab Herculeis sagittis Lernæo veneno tinctis transfossus es. Vid. Virg. & Ovid. lib. 9. Met. fab. 1. & seq.

Te quoque, senex Chiron! peperit, qui probus religiosusq; Gigas in cœlum translatus & sagittarius appellatus Æmonio tuo, id est, Thessalico arcu Scorpionem impetis sive consequeris.

Hac Thessalicâ tellure feri etiam micuerunt semina Martis (NB. cuspis juxta Var. lib. 1. de re rust. tubus vel canalis est, quô humor adventitius avertitur) unde saxis istis ab æquorea cuspide (i. e. fauce) percussis, primus Thessalicus sonipes bellis feralibus omen exsiluit, qui chalybem frenosq; momordit spumavitq; novis Lapithæ domitoris habenis. Centauris sive Lapithis sive Pelethroniis Thessaliæ populis equitandi inventiones attribuuntur. Prima quoq; pinus, i. e. navis à Pagasæo Thessalico littore terrenum hominem forsan Deucalionem in ignotas undas projecit.

Primus Thessalicæ Rector telluris Itonus metallica pondera in formam massæ percussit, fudit & argentum flammis, aurum moneta cudenda fregit sive liquefecit, & immensis coxit fornacibus æra. Illic quod tanquam causa impulsiva, populos scelerata impegit in arma, divitiis numerare datum est. Hinc scil. ex Thessalia maxima serpens descendit Python, Cirrhæaq; sive Cyrrhæa fluxit in antra. Unde Thessalicæ laurus sive laudes ad Pythia carmina connectuntur. Hinc sc. è Thessalia impius Gigas Alœus prolem Superis immisit, cùm prope Pelion montem celsis astris se inseruit; Ossâq; monte incumbens vias sideribus abstulit. Vid. ult. Lucan. cit. loc.

Traditionibus istis, prout se habeant, sepositis, Herculis tamen Primi, qui ostia Thessaliæ patefecit, ut & Bebryciæ gentis, quæ prima exsiccata arva coluit, antiquitas inde dispalescit. Vid. infr. lib. 9. de Herc. Prim.

LIBER IX.

De ASCENA GOMERI PRIMOGENITO ET EJUS POSTERIS.

De Ascena Gomeri primogenito (qui cæteris fratribus mundanâ auctione gavisis, unicus solusq; ex hoc Cimmerio stemmate, benedictione, & illuminatione spirituali his in Septentrionalibus plagis divinitùs donatus, prælibari debuisset) jam impræsentiarum agatur.

CAPUT I.

De Ascenæ Etymologia & persona.

ASCENAS Ebræis *Aschenaz*, vel *Æschenaz*, Gomeri primogenitus *ab Esch* vel *æsch* & *cohen* totidem est & significat ac igne adspersus, sacerdos, custos ignis, vel præfectus sacrorum & religionis. *Ab Esch & Nadsabach*, idem & præceptor, composuit. *Ab Aschab*, juxta Becanum viriliter egit. Uniuscujusq; tamen Etymologiæ bona significatio. Beroso est Ascanius, item alibi Tuiscon; Josepho Aschanaxes. Atq; innotescit: Gen. 10. v. 3. 1. Paral. 1. v. 7. Jer. 51. v. 27. Beros. & Fl. Joseph. pass.

Ascaniorum autem sive Tuisconum æquiparatio cum Semitis iterum atq; iterum reassumenda est. Quemadmodum enim ex benedicti Semi posteris solius Arphaxadi & Abrahami posteritas (& hæc non omnimodè) obtemperârunt; sed soli Israelitæ in vero tenore permanserunt. Ita sola stirps Gomeriana, neq; ea omnimoda, sed solius nostri Ascenæ progenies hisce postremis seculis, ex duplicibus promissionibus Japheto attributis, spiritualem, largissimâ Omnipotentis gratiâ, benedictionem obtinuit.

Cæterùm ut unius positio non est statim alterius exclusio, sic etiam

etiam præter illas jam comparatas gentes, aliæ particulares convertibiles non excludendæ.

De Ascena B. Lutherus talia verba adornavit: *Ita nos Tuiscones, per integram lineam, à primogenitis Japheti descendimus. Quamvis id coram Deo nulla jactantia est ostentanda; remonstratio tamen est: Ascenam hunc, utpote primogenitum, insignes regiones & colonias obtinuisse. Illud quoq; indigitatur, sensu recondito, eidem beneventurum iri, quod ad cognitionem Evangelii orthodoxam contingeret; prout ejusmodi requisita, jus & privilegium primogenituræ repræsentent. Insuperq; evidens indicium simul apparet: Deum hanc nationem præ cæteris gratiosè adspectam, benigniter aliquando condecorare elegisse; ut & Historici testantur: Tuiscones usq; & semper præstantissimos habitos fuisse.* Et paulò post: *Patriarchæ nostrates, magnanimi & generosi Viri præfulserunt; inter quos Ascenas ille, singularis heros, tam pietate vitæ, quàm alacritate pugni, antecelluit. Hodiè quoq; etiamnum, DEO sit gloria! Germania præ aliis egregiis donis, quibus gaudet, luce Evangelii splendidissimâ viget. Quod donum beatissimum censendum. Eja! benè omnibus, qui eô salubriter & sacrosanctè utuntur.* Conf. Luth. Tom. Jen. Germ. in Gen. 10. ad h. l.

CAPUT II.

Quomodo Ascenas T-Ascon & Tuiscon dictus.

POst diluvium 130. & aliquot annis, paulò post conditam Babyloniam, Fundatorem nostrum, qui sacris & Orientalibus Ascenaz, Europæis Tuisconem transnominare placuit. Cujus nominis originem quod attinet, id ex articulo præpositivo Germanico Der/ (quem Inferiores Saxones per T. scribunt) & proprio Ascenaz conflatum esse, non solùm Excellentissimus D. Philippus Melanchthon confirmat, verùm etiam evidens inde evadit, quod Germani præsertim Inferiores more consuetô articulum per T. scriptum absque ulla ulteriori vocalium appositione, sequenti vocabulo per apostrophen, ut Grammatici docent, annectant. Ascenam igitur T-Ascon, ex quo deinde Tuiscon factum nominârunt. Nec enim aliter duo hæc nomina, quam dialectis discernuntur; quorum alterum adhuc Inferiores sive Belgæ pronunciant Tuischer; alterum Superiores Teutscher. Vid. Phil. Mel. lib. 1. Chron.

 Huc

Huc appropinquat D. Salomon Gesnerus: *Illorum στοχασμὸς magis veritati arridere videtur, qui Ascenam habent pro Tuiscone, articulo* Der *Inferioribus* T. *præposito, quod in Babylonica linguarum confusione tum huic, tum aliis Patriarcharum nationibus accidit. Qui proinde Ascena nomen Babylonem attulerat, Tuisconis inde reportavit. Fabula verò est, quod Tuisconem unà in arca fuisse finxerunt.* Sal. Gesn. com. in Gen. 10. ad h. l.

CAPUT III. Extraord.

De alio vocabulo Theut, & ejus Homonymia.

MUltos diversos antiquos & præclaros viros cognomine Teut tanquam honoris insigniô appellatos fuisse, deprehendimus. Homonymiam igitur & figuratam transnominationem vocabuli Theut præcognoscere & intelligere optumè conducit. Siquidem diligenti historiarum Lectori diversimodè plures Theutones & consona ejusmodi vocabula, quæ ignoranti fucum gignere possunt, occurrunt; multiq; hoc errore intricati absurdas de nobis derivationes composuêre.

Prorsus alienâ origine aliud Ægyptium vocabulum nonnulli ex Ægyptiorum Sanchoniatis Sacerdotis & Jamblichi Theologi peritissimi mysteriis de Ægyptio Mercurio illo Trismegisto *Taaut*, *Thoyth* (variant enim exemplaria) *Thout*, *Theuth*, *Thot &c.* vetustissimo Ægyptiorum Deo & sapientiæ literarumq; inventore (quod magis derisione, quàm admiratione dignum est) detorquent. Originem verò istius Ægyptiorum Dei, & quid de eo sentiendum, Georgius Hornius iterum aliter demonstravit: *Semper*, inquit, *à condito mundo id egit Diabolus, ut DEI gloriam & sacræ historiæ veritatem obscuraret; unde tot Deos & tot Deorum nomina antiquis Ethnicis obtrusit, non aliunde quàm è sacris petita. Inprimis creationis historia pessimè abusus est. Cùm enim in principio cælum & terram condita sciret, primos Deorum cælum & terram finxit. De quo Eusebius & Lactantius passim. Unde & tot Deorum nomina desumsit: à Schemaim enim Belsamum denominabat. Inde in nequitia progressus, cætera quoq; corrumpere cæpit. Cùm namq; sacræ historiæ Scriptor addat: Terram fuisse Tohu vah Bohu, i. e. desertam & inanem, utrumq; hoc, nescio ad quos Deorum traduxit, à Tohu fecit Ægyptiorum Teuth & à Bohu, ut diximus, Deum quendam*

dam Bau. Rationes pro hoc non contemnendæ sunt. Idololatriam cum vocabulo Touth apud Ægyptios peractam esse, clarum & sæpius jam probatum; unde autem potiùs quàm à Tohu? Nam neq; vox respuit, neq; quem Diabolus & Gentiles in fingendis Diis observârunt, modus repugnat. Ita ab initio statim sacræ historiæ opus ad Deos suos detorsit, ut legentes Gentiles nihil aliud, quàm rerum & Deorum origines referri putârint. Primùm quidem cœlum & terram, à quibus nati Tohu & Bohu, deinde lux sive ignis, tenebræ sive nox, tandem Sol, Luna & reliquæ stellæ. Quæ omnia apud Gentiles præsertim Ægyptios pro Diis habita sunt. Georg. Horn. Philosoph. Hist. lib. 1.

Porrò intermittere haud possum opinionem quorundam: nomen Teut à Mercurio Teuth (qui postea Hermes, Hercules, Apollo, Cadmus, ut Gentiles fingunt, dictus, non verò Ægyptius ille Trismegistus) hoc modô extundentium: Multi mentionem fecêre, Hermetis nomen Majoribus nostris notum fuisse, unde idola sua Mercurio sacrata Irmensulas, Hermen-Säul / vocârint. Similiter à Gallis unà cum nostratibus maximè cultum fuisse perhibent, quia sapientiæ & artium autor ac inventor crederetur. *Sed hic Mercurius, qui antea Teuth vocatus, non fuit Ægyptiorum* Θεὺθ, *qui tamen inveteratô errore aliquando inductus erat; verùm cùm circa Mosis tempora, ut Aventinus vult, Teutanes vel Teutates prout nominare solent, vir sapiens & disciplinarum apud Germanos autor regnaret, factum est, ut propter tam utilium rerum inventiones post obitum Divinos honores meruerit. Vel idem cum illo esse potest, quem Lucanus Teutatem juxta idioma Germanicum demonstratorem vocat, quæ vox* Deuten *& hodiè frequenti in usu est.* Vid. ulterius de hoc Georg. Horn. Philosophic. Hist. lib. 2. it. inf. de Teut.

Sed observatores honoratissimi, ecquid habetis animi? qualia vobis monstra Chimæræa annotare videor? Sed suspendite quæso judicium paulisper, demonstrabo liquidò. Nihil in sacris literis & aliis legitimis scriptis, de Mercuriis illis, neq; de isto Ægyptio Trismegisto Θεὺθ, neque alio Gentili, (nisi quem Berosus Ascenæ sive Tuisconis filium profert) reperiendum. Verùm quoniam neque de tempore, neque persona, nec aliis circumstantiis conveniunt; neminem Sapientum adduci posse opinor, ut nugis illis fidem largiatur. Gentilium caliginum fœtus est, sive ociosi alicujus vani Scriptoris figmentum, qui forsan justam vocabuli Tuisconis quasi T-Asconis derivatio-

nem ignorans, ridicula hæc composuit. Lectorem verò hisce Gentilibus figmentis longiùs disturbare haud consultum.

CAPUT IV.

De Ascena sive Tuiscone Gigante ex Beroso & Tacito.

UT ad Ascenam nobis Tuisconem iterum revertar. Berosus ex antiquo forsan traduce, *Tuisconem Gigantem Germanorum & Sarmatarum patrem extitisse,* annotavit. Beros. lib. 2. de fam. Tuisc. p. 15. a.

Idem alibi: *Annô post diluvium 156. Janus Pater* (prædictis gentium fundatoribus supervivens) *in Europa Regem Sarmatiæ fecit Tuisconem à Tanai usq; ad Rhenum (junctiq; sunt illi omnes filii Istri & Mesa cum fratribus suis) & ab Adula monte usq; ad Mesembriam Ponticam.* Ac alibi: *Annô 25. Saturni: Tuiscon Sarmatas maximos populos fundavit. Et Mesa cum filiis Istri priscos Mesios posuit, usq; Ponticam Mesembriam ab Adula monte.* Iterumque alibi: *Annô Nini 4. post diluvium 253. Tuiscon Gigas Sarmatas legibus informat ad Rhenum.* Beros. lib. 4. & 5. pass.

Quod Berosus & Aventinus: *Tuisconem Gigantem, i. e. inclutissimum Heroem circa Pelegi tempora adhuc vixisse, & antiquis nostris præcepta benevivendi carminibus, ne memoriâ exciderent, tradidisse, statimq; post conditum imperium Babylonicum ex Armenia venisse in Europam, Germanisq; atq; Sarmatis initia dedisse,* consignârunt; exinde Ascenam sive Tuisconem & Germanorum & Sarmatarum amplissimarum gentium fundatorem haud pauci decantant.

Sed sensus ejusmodi talis est: quod nimirum Tuiscon Archipatriarchæ Gomeri in officio successor, omnium Sarmatarum in genere sic dictorum pater legalis, Dux & Director extiterit, Tuisconibus verò propriè & in specie insimul originem dederit, eatenus dirigendus est. Inde Tuiscones pro Germanis κατ' ἐξοχὴν, i. e. secundùm excellentiam accipi evenit. Vid. Beros. cit. loc. & Avent. lib. 1. Annal. fol. 10.

Hisce omnibus sepositis ex originali Berosi textu Chaldaico, Tuisconem & Mannum patres & fundatores nostratium naturales; Sarmatarum insimul legales vel legislatores, ad Rhenum quidem resi-

dentes

dentes & gubernantes, Bohemis tamen Vandalis, utpote antiquissimis inquiliniis, item Dalmatis, Illyricis aliisq; longè licet dissitis Sarmatis imperâsse ac leges dedisse, dispalescit.

Ascenam igitur sive T-Asconem sive Tuisconem nostrum, sapientissimum justissimumq; virum extitisse, clarissimi Historici strenuè affirmant, vel Ascenam antecelluisse autoritate propter doctrinam & virtutem, ut excellentissimus D. Philippus Melanchthon contestatus. Philip. Melanchth. lib. 1. Chron. in princ. Vid. & Luther. cit. loc.

Unde nomen proprium Tuiscon in communem honoris titulum & quasi appellativum per Antonomasian, ut Rhetores formant, transiisse, quô Prisci candidissimum quemq; & prudentissimum appellaverunt. Floret etiamnum elegans integri viri declaratio, ein alter Teutscher.

Quod Mercurium quondam Θεὼθ Ægytios, Plato, Cicero & Lactantius, Teutatem Hispanos dixisse Livius testentur & Lucanus: Item Scaliger inclutissimum illud Europæ lumen proferre haud dubitaverit, *Teutonem, unde Teutones dicti, tantâ fuisse sapientiâ & integritate, ut hoc ipsum nomen mutuati sint ii, penes quos summa Divinitatis opinio constitisset. Ægyptii namq; sapientissimum quemque Teuth vocârunt, quemadmodum & Mercurium illum &c.* antea explicatum est. Vid. Scalig. de emend. temp.

Plurimi diversos gentis etiam nostræ succedentes Tuiscones & Teutones extitisse, haud immeritò contendunt. Heic verò de Ascena nostro Gomeri primogenito, quatenus T-Ascon vel Tuiscon dictus, concludendum.

CAPUT V.

De Ascenæ sive Tuisconis obitu & posteritate relicta.

DE longævitate Ascenæ nec S. Scriptura, nec profani Historici expresse scripserunt. Illud saltem, primis post diluvium seculis, homines provectissimâ ætate, perinde fermè ac ante diluvium, viguisse certissimum. Ascenam igitur cum Salacho Synpatrueli & Synchrono, qui 433. annos vitæ, ut Moses testatur, complevit, annô verò 470. post diluvium defunctus, comparare haud absurdum est. Gen. 11. v. 13. & 14.

Berosus

Berosus Tuisconis obitum hâc appendice concludere præbet: *Annô sextô Semiramidis post diluvium 306.* (scil. Tuiscone mortuô) *apud Rheni-Sarmatas regnavit filius Tuisconis Mannus &c.* Ad quod Johannes Annius Viterbiensis ita commentatus: *Ab anno Nemrodi 25. usq; ad 6. Semiramidis computantur anni 150. regiminis, quibus regnavit Tuiscon Gigas. Ad cujus medietatem non pervenerunt Reges Babylonici, quia viri sanguinolenti & dolosi, ut illi erant, non dimidiabunt dies suos, ut testantur Sacra.* Beros. lib. 5. sub gest. Semiram. Joh. An. Viterb. com. ibid.

Quot filios reliquerit (præter Mannum forsan primogenitum) ob confusiones populorum copiosissimas testimoniô canonicô non dispalescit. Plures autem reliquisse exinde evincitur, quod plurium populorum: Tuisconum nimirum Noricorum, Bojorum, antiquorum Gallorum & Galatarum, item Belgarum, Suecorum, Danorum, Gothorum, Norvegorum, Saxonum, Britannorum, Anglorum &c. inclutissimis Doctoribus attestantibus, pater atq; fundator claruerit. Vid. Luth. com. in Gen. 10. ad h. l.

Iterum Berosus Tuisconis filiorum obscurè reminiscitur: *Tuiscon Gigas Germanorum ac Sarmatarum pater extitit. Cujus filii: Mannus, Ingevon, Istevon, Herminon, Marsus, Gambrivius, Suevus, Vandalus, Hunnus, Hercules* (forsan Herulus) *& Teutanes.* Beros. lib. 2. & 5. pass. vid. & Tac. Germ. c. 2. v. 3. & seq.

CAPUT VI.

De Ascenæ sive Tuisconis filiis ac posteris ex Beroso & Tacito.

SAcræ literæ, Ascenæ filios posterosque, exceptô Mannô, non amplius expresserunt. Berosus verò ex antiquo forsan traduce annotavit: *Tuiscon Gigas Germanorum ac Sarmatarum pater. Cujus filii fuerunt: Mannus, Ingevon, Istevon, Herminon, Marsus, Gambrivius, Suevus, Vandalus, Hunnus, Hercules* (forsan Herulus) *& Teutanes &c.* An Hunnus, Vandalus vel Herulus, quorum posteri non Germanicæ linguæ, fidei tamen Christianæ tandem participes facti, Tuisconis proprii, an adoptivi filii extiterunt, eò ut anceps reponam. Beros. lib. 2. de famil. Tuisc. p. 15. a.

Tacitus eadem fermè nomina prosecutus, in eo saltem discrepavit, quod Manni primogeniti confratres, in filios, ejusmodi contentis

tentis perverterit: *Celebrant carminibus antiquis Tuiſconem Deum terra editum, & filium ejus Mannum, originem Gentis conditoresq́. Manno tres filios aſſignant; è quorum nominibus proximi Oceano Ingevones vocantur. Quidam autem licentia vetuſtatis plures Deo ortos, pluresq́ gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalos, affirmant. Eaq́ vera & antiqua nomina.* Tacit. in Germ. c. 2 v. 3. & ſeq.

Omnes hoſce jam dictos Duces diverſarum nationum fundatores extitiſſe, atq; unô ſeculô ſtatimque poſt diluvium convixiſſe, conſentaneum.

Probè inſuper notandum eſt, inquit Viterbienſis: *Quod Noa Tuiſconis non aliorum filios ſibi adoptaverit, in quo præcellunt Germani, qui & Tuiſci dicuntur, atq; Sarmatæ.* Unde & Tuiſconem plures filios ſuſcepiſſe, conſequitur. Joh. An. Viterb. com. in Beroſ. lib. 2. p. 15. a.

Cæterùm Beroſus in libro quinto ſuccedenter continuans Tuiſconis filios obſcurè immiſcuiſſe videtur: *Annô enim poſt diluvium 306. infert: Tuiſcones gubernare cœpit Mannus. Annô 350. Ingevon. Annô 411. Herminon. Annô 471. Marſus. Annô 531. Gambrivius. Annô 579. Suevus. Annô 618. Vandalus. Annô 660. Teutanes. Annô 680. Hercules Alemannus.* Hi omnes in diſcretis recenſionibus nullus alterius filius, veluti in aliis genealogiis fieri ſolet, reperiendus. Beroſ. lib. 5. paſſ.

Licet jam dicta antiquorum nomina Ducum ipſorum perſonas, ac ſi diverſis ſeculis ſinguli ſingulorum poſteri extitiſſent, concernere appareant; omnes tamen rerum Germanicarum Scriptores, etiamſi mille eſſent, vehementiſſimè errant, qui Beroſum primarium harum antiquitatum autorem ſiniſtrè intelligentes, recenſitos jam coætaneos Tuiſconis filios, tanquam nepotes & pronepotes, poſterosq; gradatim in una linea deſcendenti rapere conantur.

Hanc falſam hypotheſin magnô conſenſu ſequuntur moderni Genealogici. Neq; temerè (fateor) convellendum eſt, quod à pluribus conſtanter ſtatutum; quippe, ubi hic mos increbeſceret, periculum, ne cuncta perverteret ſemper innovandi libido. Aſt quoniam conceptæ opinioni adverſari, ipſa ratio videtur, prævalentior eſſe mihi autoritate debet veritas.

Quod *Mannus, Ingevon, Iſtevon, Herminon, Marſus, Gambrivius, Suevus, Vandalus, Hunnus, Herulus, Teutanes &c.* unô eodemq; tempore, ſtatimque poſt diluvium extiterint, ipſa nomina &

populorum ratio evincit. Quinimò præftantiffima argumenta ex ipfo primario autore Berofo confolidari queunt. 1. Enim Berofus lib. 2. prædictos heroes expreſsè confratres intimavit. Vid. infr. lib. 9, c. 17. & feq. 2. In toto inclutiffimi Berofi opufculo femper confratres (nunquam defcendentes) in omnibus fingulisq; lineis, ut heic, connexi reperiuntur. 3. Nullus ejusmodi Ducum, in difcretis paragraphis, alterius filius, ut in aliis genealogiis fieri folet, nuncupatur. Infuperq; in libro 5. de fucceffionum ferie, *Iftevon, Hunnus & Herulus* prorfus omittuntur, quorum tamen in lib. 2. inter Tuifconis filios expreffa mentio facta. 4. Ipfe confentiens Tacitus reiteratos fundatores, ut primitùs perceptum, *ipfius Tuifconis Dei filios*, haudquaquam verò pofteros, commonftrat.

Neq; diverfi *Manni*, *Ingevones*, *Iftevones*, *Herminones*, *Marfi*, *Gambrivii* finguli de fingulis ita incidenter denominati priores atq; pofteriores fupponendi. Ilicet enim ejusmodi dicti nominibus coætanei fratres diverfarum nationum fundatores in linea prima & æquali recenfendi; vanæ tamen imaginationes forent omni autoritate & fimilitudine exempli deftitutæ, iisdem præcisè nominibus atque immutatâ ferie in linea perpendiculari etiam defcendentes, & aliquot feculorum intervallis disjunctos nepotes, pronepotes, fubornare, fubftituere, confingere.

Neq; reprobandus antiquus, qui periodos tales annotavit, Berofus, fed accuratâ confideratione & animadverfione accipiendus eft. Primi loci enim contenta, fundatores confratres, fecundi antonomafticè vel fynecdochicè ipfas nationes denotant. Unde fenfus ita dirigendus: *Annô poft diluvium 350. regnavit apud Tuifcones Ingevon*, i. e. fummum imperium erat penes Ingevonis pofteritatem. Deinde *annô 411. regnavit Herminon*, i. e. fummum imperium erat penes Herminones. Et fic per circulum, ut nominari folet, vel per vices deinceps. *Iftevones verò Hunni & Heruli* primitùs forfan à reliquis Germanis nationibus femoti fuerunt. Ita fæpenumero in Sacra Scriptura Patriarcharum nomina, ut *Gomer*, *Magog*, *Madai*, *Mefech*, *Thubal*, item *Afcenas Meni &c.* pro populis ufurpantur.

Huc quoque illud Livii: *Prifco Tarquinio regnante, Celtarum penes Bituriges, fumma imperii fuit: ii Regem Celticis dabant &c.* de circulari Majorum noftrorum regimine fcopum habet. Ita etiam apud Ægyptios olim Dynaftiæ alternatim variabantur. Liv. lib. 5. ab urb.

urb. cond. fol. 97. dec. 1. Vid. & Euseb. in Chron. in pr. & seq. It. inf. lib. 11. de Gall. & Celt.

CAPUT VII.

De Majoribus nostris, quà Ascanii & Tuiscones dicti.

AD Ascenam, à quo longo diverticulo discessi, iterum revertar. Ab hoc primitùs Majores nostri Ebræis *Aschenazim* tanquam orti & propagati ab *Aschenaz* sonuêre. Gentilibus verò Ascanii. Horum vetustissima memoria, quæ ab iis remansit, tempore Trojani belli post diluvium circiter 1150. ante Christum Salvatorem 1154. describitur.

Ibidem inter Trojanorum auxiliares Ductor quidam celebratur, natione Ascanius, sic etiam cecinit Homerus:

> Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε, καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς
> τῆλ᾽ ἐξ Ἀσκανίης.

Id est:

> *At Phorcys Phrygas ducebat, & Ascanius Deo similis*
> *Procul ex Ascania.*

Hom. Iliad. β. circ. fin. p. m. 86.

> Βὰν δ᾽ ἴμεν, ἔνθα μάλιστα μάχη καὶ φύλοπις ἦεν.
> ἀμφί τε κεβελόνην καὶ ἀμύμονα Πυλυδάμαντα,
> Φάλκην, Ὀρθαῖόν τε, καὶ ἀντίθεον Πολυφοίτην,
> Πάλμυν τ᾽, Ἀσκάνιόν τε, Μόρυν θ᾽ υἷε Ἱπποτίωνος,
> οἵ ῥ᾽ ἐξ Ἀσκανίης ἐριβώλακος ἦλθον ἀμοιβοί.

Id est:

> *Cæperunt autem ire, ubi maxima pugna & prælium erat,*
> *Cebriones & inculpatus Polydamas,*
> *Phalces, Orthausq; & divinus Polyphœtas*
> *Palmusq;, Ascaniusq;, Morusq;, filii Hippotionis,*
> *Qui ex Ascania glebosa venerunt successores.*

Hom. Iliad. N. siv. 13. circ. fin. p. m. 482.

Nomina quoq; Ascanius & Tuiscon à Phrygibus Trojanis & aliis tantò, quantò Teuth ab Ægyptiis, & Germanus à nostratibus & Romanis (e. g. Drusus Germanicus) mutuata desumta, adscita & suscepta fuerunt atq; conducta, ut parentes liberos suos ita potissimùm in-

signire consueverint. Ista autem jam relata nomina hoc passu non Gentilitia, sed per antonomasiam quandam ut appellativa quasi accipienda sunt. Unde & ipse Æneas, qui filium Ascanium tantoperè dilexit in adagium de ardenti amore patrio abiit.

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Virg. lib. 1. Æneid.

Divus Propheta Jeremias seculô suô post diluvium 1668. ante Christum *646. Ascenazim reliquias in Ararat* usq; tunc reposuit, inq; Babyloniæ obsidionem & devastationem convocavit, ita consignans: *Erigite signum in terra, clangite buccina in montibus, sanctificate contra Babyloniam gentes, accersite contra illam regna Ararat, Menni, & Ascenaz.* Jer. 51. v. 27.

Quæ prophetia per Cyrum Priorem Ascanios populos inter exercitus ducentem abundanter completa, ut ab Herodoto copiosissimè consignatum. Herod. in Clion. siv. lib. 1. n. 21. usq; 34.

Ab Ascena igitur Gomeri primogenito, Majores nostri Cimmerii, nonnullibi primitùs dicti Ascanii, quorum antiquissima patria fuit Ascantacas mons in Sacarum regione, qui juxta Ptolemæum, id appellationis melos, ab Ascaniis traxisse & conservâsse videtur. Ptol. lib. 6. c. 13.

Ascanii deinde, cum aliis Germanis & Sarmatis, ad Pontum Euxinum progressi, condidêre ibidem Ascantios & Ascomarcos, quos utrosq; Plinius ibidem indicat. Plin. lib. 6. c. 7.

Ascanios rursus in Asiam continentem delatos, Ascania terra arguit, quibus Mysi, Heneti & Caucones finitimi fuerunt, ut Homerus longô catalogô indicat. Homer. Iliad. β. & γ. item Iliad. N. circa finem.

Duplicem autem Ascaniam fuisse Strabo testatur: alteram Phrygiam, quæ non longè à Troja abfuit; alteram in Superiori Mysia sive Bithynia juxta Olympum montem, quam Mysiacam appellat. Ubi lacus iste Ascanii nomen diu retinuit, hodiè lacus Nicenus indigitatur. Strab. lib. 12. p. m. 389. & lib. 14. p. 467.

Ex illis Asiæ regionibus non simul, neque conjunctim; sed successivis migrationibus, unà cum Mysis, Henetis & aliis gentibus vicinis in has Europæ & Germaniæ oras processisse, consentaneum est, ut nunc quoq; Henetos passim genti Teutonicæ admixtos esse videmus, juxta Dav. Chytr. in Gen. 10. ad h. l.

In Germania quoque hodierna nominis sui memoriam Ascanii hinc inde reliquerunt, in Principatu præsertim Anhaltino, terram Asca-

Ascaniam & arcem ejusdem nominis, cujus etiam Tacitus reminiscitur. Urbem item Aſchersleben & Illustrem Asciburgiorum familiam in Saxonia. Ne dicam inter nomina propria exspirâsse Ascanios. Vid. Tacit. in Germ. c. 3. v. 3.

Huc quoque Johannes Fridericus Faustus de Aſchaffenburg in opusculo Germanico respexisse videtur: Berosus scribit, quod Tuiscon, aliàs Ascon dictus, Gomeri filius, Japheti nepos, ad terram hanc Rhenanam occupandam ab ipso Noa præcisè ablegatus & solenniter immissus fuerit. Quod Spangenbergerus in Chronicis, ex antiquissimis Scriptoribus locupletiùs confirmans, tenaci hâc sententiâ persistit: à Tuisconis hujus sive Asconis nomine, non solùm universalem patriam nostram Tuiſchland / & incolas Tuiscos & Tuiscones; verùm etiam particularia loca, ut Aßburg & Tuitſch prope Coloniam ad Rhenum; quin & Aſciburg ad Mœnum, Aßken & Aßkendorp ad Albim, Ascaniam in Episcopatu Halberstadensi, item Aſch fluvium Sueviæ & Franconiæ, cum aliis Synonymis insignia obtinuisse. Joh. Frid. Faust. de Aſchaffenburg von der Stadt Franckfurt. edit. ibid. 1660 §. 2. p. m. 2.

Cæterùm ut à primo repetam, Ascenam Josephus terminatione Græcâ *Aſchenaxem* nuncupat & originem *Aſchenaxis, quos Græci Rheginos appellare sunt soliti, dedisse,* ait. Jos. lib. 1. c. 7.

Qui autem sint, aut ubi habitent Rhegini, nec ipse, nec eum secuti explicant. Et credibile non est oppidum in Italia, cujus Plin. lib. 3. cap. 5. Pomp. Mel. lib 2. & Strab. lib. 3. reminiscuntur, Josephum subinnuisse. Gentium enim & populorum, non urbium originem commemorat. An verò Regios populos principales Scythicos (quos Herodotus in antiquissima patria ad fluvium Gerrhum ita descripsit: *Ad Gerrhum Scythæ Regii pariter ac optimi habitant. Cæteros Scythas servos suos esse arbitrantes*) hîc respici, eò relinquam. Herod. lib. 4. num. 102. 106. 107. & 108 vid. & sup. lib. 7. de Germ.

Fortassis autem, juxta Gesnerum atque Chytræum, *Josephus Rheningos nuncupare voluit ab occupatis Rheni habitationibus; ubi non parùm facit, quod Aventinus in Rheni ripa, è regione Coloniæ Agrippinæ, antiquum oppidum* Teutſch *tanquam incunabula gentis nostræ statuit. Josephus igitur Rheginos ab Ascena deducturus, fortè Rheningos intimare voluit, Germanos ad Rhenum natos significans.* Sal. Gesn. & Dav. Chytr. in Gen. 10. ad h. l.

Porrò Ascanii insimul Tuiscones quasi T-Ascones statim post

linguarum confusionem ab Europæis & sibimetipsis appellari cœperunt. De compositione hujus nominis (nimirum ex articulo præpositivo der Inferioribus nostratibus Te vel T. & Ascena, quasi T-Ascones diceres) antea pertractatum.

Obiter tamen coincidit, si quæratur: an melius D. Deutsch/ an verò per T. Teutsch scribatur, ventilatio: utroque modô rectè scribitur; sed consuetudine (valent enim nomina ex impositione & consuetudine hominum) Teutsch est frequentiùs & multis Autoribus imprimis Beroso, Tacito, Johanni Aventino, aliisq; usitatiùs atq; receptiùs.

Alioquin Tuiscones etiam Teutones dicti plerunque sub Germanorum generali nomine comprehenduntur, atque egregia eorum facta & encomia, quæ heic recensere prolixiùs, participant.

Præterea nomen Teutonicum nimis specialiter pro certa tantummodò natione transsumitur, ab introducto Plinii errore, qui Teutones Ingevonibus innumeravit, atque inter Suevos & Pharedones (juxta Tacitum Suardones, i.e. Schweriner/ ubi hodiè Prignitium & Episcopatus Havelburgensis, in der alten Marck) reponit. Plin. Tacit. in Germ. c. 40. v. 2.

Lubet tandem adjicere, quod & Teutoni vel Teutonici, sed minùs usitatè reperiantur. Item, sed rarissimè, Theutoni, Theutones, Theutonici per Th. inveniantur. Tacit. lib. 4. Hist. c. 73. v. 4.

Apud Lucanum denique vagatur nomen Teutonoarus. Lucan. lib. 6.

CAPUT VIII.

De Manno Ascenæ primogenito.

MAn antiquissimum nomen est ab Ebræo & Chaldæo Manah, quod præparare, constituere, destinare significat. Ebræi quoque tam in propriis, quàm appellativis vocabulum tale habuere communissimum, unde & cœlitùs præparatum panem *Manna* vocârunt. Exod. 26. v. 15.

Admiranda profectò apud Prophetam Danielem mysticâ horum verborum insinuatione: *Mane Thecel Phares &c.* reperienda historia. Cujus explanatio Theologis commissa. Dan. 5. v. 27.

Huc-

Hucusq; vocabulum *Man, Manah, & Mane*, ut vocabulum, juxta Grammaticorum distinctionem, appellativum, allegationis saltem & explicationis gratiâ, adductum fuit.

Nomen proprium quod concernit: Ascenas sive Tuiscon, primogenitum suum, singulari delectatione vel ominatione *Man vel Menam nobis Mannum*, h. e. virum perfectum & destinatum intimare gavisus. De quo Andreas Prücknerus Archidiaconus quondam & Professor Suinfurtensis ita consignavit. *A. M. 1965. post Tuisconem Germanos regere cœpit Mannus*; à quo nominati sunt die Manni, item der Mond / sicut ex pulcherrima conjuge ejus Sunna, die Sonne / nomen habet. Andr. Prückn. in compend. histor. adhuc mscr. reservat. in Dn. Joseph. Frider. Heusing. à Waldegg Bibliothec. Tr. 1. c. 3. §. 4.

Plurium aliorum, Ascenam sive Tuisconem, liberorum parentem extitisse, ut Tacitus cum Beroso innuit, quò tunc temporis mundus hominibus repleretur, veri non dissimile. Sed S. Scriptura primogeniti tantùm benedictionum aliarumve prærogativarum capacis mentionem repræsentari voluit.

Cæterùm, qui nomen *Man, Manah vel Menas* circa ædificationem turris Babylonicæ attulerat, facillimè Mannum vel Alemannum reportare potuit.

Omnes gentes, Israeliticis exceptis, accuratâ originis notitiâ laborâsse, confusio linguarum tum hujus tum multorum caput malorum est. Cur autem plerorumq; populorum primordia fabulosa evaserint, id an ex occulta DEI Omnipotentis destitutione an indignatione processerit, latet.

Nos Tuiscones in communi à benedicto Japheto, Gomero, Ascena, Manno & sic deinceps per omnes primogenituræ lineas descendisse, solidè viget. Quod ulterius Ascenaz & Meneh in Sacris, *Tuiscones verò & Manni* in profanis, instar cohærentium, veluti relata ad sua correlata solent, consignata extent, haud parvi æstimandum. Aliis gentibus id rarum contingens. Vid. Jer. 51. v. 27. Jes. 65. v. 10. Herod. lib. 2. n. 40. in pr. Tac. in Germ. c. 2. v. 4. Item Joh. Avent. Beat. Rhenan. & al. ad h. l.

Spiritualis DEI vates Jeremias *Man & Ascenaz* ita conjunxit quàm accuratissimè: *accersite regna Ararat, Meneh & Ascenaz.* Quæ regna penes Ebræos ita à primis, licet abhinc egressis incolis, usq; tunc resonabant. Quinimò, Cyrum contra obsidionem Babyloniæ, inter alias nationes undiq; collectas, Tuisconum etiam atque

Manno-

Mannorum copias conduxisse dubium nullum est. Unde involutæ aliquot vetustatis scrutatores ab hujus *Meni* nobis *Manni* recepta memoria nomenclaturam Armeniæ tanquam *Ara-Meniorum*, ut Berosus refert, haud incongruè derivârunt. Ebræi quoq; per *Ararat* intelligunt Armeniam Majorem sive montosam & per regnum *Minæorum* Armeniam Inferiorem. Jerem. 51. v. 27. Beros. lib. 1. 2. & 3. pass.

Majores nostros, ut auxiliares, promiscuè olim militâsse, patet etiam ex illo: *Epaminondâ Spartam obsidente, Lacedæmonii ab Atheniensibus auxilium petiverunt, factâ commemoratione mutuorum beneficiorum; & orantes, ne hos, qui in maximis Græciæ periculis, fuissent velut* πρόμαχοι *Atheniensium, deleri sinerent. Ibi quum civitas Attica, ut sæpè alias, oblita offensionum, vellet Græciam salvam esse, decrevit, ut missô exercitu, Lacedæmonii defenderentur. Ex alio loco misit Dionysius Siculus Senior viginti Triremes. In quibus fuisse Celtas & Iberos, narrat Xenophon; & quidem postea plurimùm profuisse Lacedæmoniis Celtas, inquit.* Xenophon allegat. à Phil. Melanchth in expos. Chron. Carion. part. 1. lib. 2. p. m. 107.

Ex Aventino & aliis, quod in suo valore relinquo: *Menos* propriè & in specie Bojos fuisse traditur. Vid. Joh. Aventin. & Wolffg. Lazius de migrat. gent. lib. 6. de Boj. it alibi divers. loc.

Iesaias idolum Manni pro Deo Gentili olim maximè celebratum fuisse, firmiter testatur; ubi Divus Propheta Judæos idololatras & profanatores sic arguit: *Et vos, qui derelinquitis Dominum & obliviscimini montis sancti mei, ipsi Gad mensam adornantes & Meni plenum libamentum porrigitis.* Jes. 65. v. 10. & 11.

Nonnulli *Menih* Deum divitiarum, alii ipsum Mercurium excerpunt: alii pro planetis & copiâ siderum vel ipsô Fatô accipiunt. Intellectus verò prior affabilior; quoniam antecedentia & consequentia textûs, fortissimos tunc temporis Herculeos & propugnantes Ethnicorum confictos Deos, quibus potissimùm Mannus annumeratus, imploratos fuisse ostendunt. *Menih profectò nomen est certi idoli*, ait Fridlibius, *quod in Phrygia & Armenia colebatur, teste Strabone & Jamblichio.* Fridlib. in not. Bibl. ad h. l. Strab. lib. 6. Jamblich. in vit. Pythag.

Mannus etiam in Pontica Mesembria nominis sui reliquit memoriam. Urbs enim perinde *Mesembria* dicta (ubi postea Megarensium colonia ingressa) primitùs *Menebria, i. e. Menepolis* nomen posse-

possedit. *Ædificator namq; ejus juxta Strabonem appellabatur Menas, Bria verò sermone Thracio civitas vocabatur.* Strab. lib. 7. vid. & supr.

Herodotus, qui è vestigio Prophetarum monumentis successit, antiquissimum *idolum Menam* etiam in Ægypto maximoperè observatum fuisse, contestatur: *Vetustissimos Ægyptios XII. primùm Deorum cognomina in usu habuisse, eosdemq; primos Diis & aras & delubra statuisse. Porrò ab Ægyptiis ejusmodi mutuatos esse Græcos. Primùm verò mortalium regnâsse Menem, sub quo totam Ægyptum plagam extitisse palustrem.* Similiter Diodorus Siculus *Ægyptios Menam ut antiquissimum Deum coluisse*, innuit. Herod. lib. 2. n. 40. in pr. Diod. Sic. lib. 1. antiq.

MENAS licet apud Ægyptios celebratus olim fuerit; attamen ab Ægyptia prosapia oriundum esse, non sequitur.

Veluti enim Israelitæ sacras, ita Ægyptii juxtimq; Chaldæi Gentiles genealogias, Regum & Deorum nomina annotârunt; multisq; proinde populis primordia dedisse vanè gloriati sunt. Quemadmodum Scythæ quondam cum Ægyptiis, diu de generis certaverunt antiquitate. Vid. Herod. cit. loc. per tot. Cic. lib. 3. de nat. Deor. Polyd. Virg. lib. 1. c. 5. de rerum invent. Diod. Sic. Justin. lib. 2. cap. 1. Cat. de Aborig.

Plura adhuc in Manni bonam memoriam, quæ ob vicissitudines incertas, ordine, quo digna, tractari nequeunt, promiscua recensenda sunt. Iste namq; præstantissimus, virtuosissimus extitit heros atque fortissimus, qui & Alemannus, insimulq; HERCULES Primus, ut paulò post remonstrabitur, cognominatus eminet. Unde abs eo *Mannica facta*, i. e. *heroica facta* in proverbium abiisse non ambiguum.

A Phrygibus quoque tanquam Ascaniorum cognatis idolum ejus, instar DEI, vetustissimiq; Regis, bonitate ac potentia insignis summoperè cultum, deq; ejus Numine nomineque Mannica gesta, quæ quidem Græcis Philavtis furiosa, aliis verò rectiùs heroica sonant, denominata, confunduntur. Vid. Aurel. Coel. lib. 21. c. 1.

Antiquis similiter Romanis *Manum* ab Ebræo *Manah*, per simplex n. bonum fuit atq; clarum. *Liberi enim bonæ indolis Mani dicebantur ominis causa, quia Manum antiqui bonum dicebant.* Val. Max. lib. 10. de nominib. propr. Varro lib. 5. de legib.

De Manno quoq; in patria nostra *Manimi* juxta Tacitum prisca Lygiorum natio nomen traxisse videtur. Tacit. in Germ. c. 43. v. 5.

Quin & Mannsveldia nostræ Saxoniæ portio, cujus sonus nihil aliud, quàm Manni campus, de Manno nomen adepta reputatur. Vid. Carol. Steph. Lexic. hist. sub nom. Mannsveld.

Restat quoque Mænus vel Mœnus Franconiæ fluvius adhuc benè cognitus.

His omnibus sepositis, antiquiora de dicta jam Germania nostra, Berosi testimonia pulchrè ita resonantia adsunt: *Annô Semiramidis sextô post diluvium 306. apud Rheni-Sarmatas regnavit filius Tuisconis Mannus.* Unde Mannheim & Rheni littora totius fermè Germaniæ optima, primitùs acculta fuisse patet. Beros. lib. 5. sub gest. Semiram. p. 49. a.

Tacitus ex ipsa Majorum nostrorum revelatione evidentissimè in genere ita exorditur: *Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est, Tuisconem Deum Terra editum & filium ejus Mannum, originem gentis conditoresq;.* Tacit. in Germ. c. 2. v. 4.

Wolffgangus Lazius Viennensis Austriacus, Ferdinandi I. Medicus & Historicus perinsignis ex Ammiano Marcellino hæc quoque verba connotavit: *Aborigines in his terris visos arbitrantur, atq; hos ego Japheti, Gomeri & Ascenæ posteritatem fuisse, in quibus ipse Ascenas sive Tuiscón & Mannus regnârunt, existimo.* Ammian. Marcellin. lib. 15. de Aborig. in Europ. Wolfg. Laz. de migrat. gent. lib. 1. de Aborig. fol. 20. edit. Basil. 1555.

A Manno quoq;, commentatur Johannes Annius Viterbiensis *fluvius Le Mannus, nonnullis Ale-Mannus, ut interpretatio convenit, nomen traxisse videtur. Le enim sive Ale, Scythis, ut docti interpretantur Talmudistæ, lacus sive alveus est. Hinc Ale-mannus, fluvius Manni est, à quo & Alemannos cognominari, nemini dubium esse potest.* Joh An. Viterb. in Beros. lib. 5. sub gest. Semir. p. 49. a.

Alemannus fluvius est apud Rysios in Suevia, originem à Rotenburg trahens, apud Kellheim oppidum Danubio jungitur, vulgò *Altimola* sive *Altmus* appellatur. Vid. Altham. in Tacit. item Georg. Fabr.

Mannus præterea Alpes spontè magis quàm necessitate conscendisse, Gallorum quoq; & Pyrenæorum tunc temporis Regulorum filias formosissimas Galatheam atq; Pyrenen, more polygamiæ, duxisse traditur.

Ætas

Ætas prolesq; Manni, ut & reliqua gesta ex Sacra Scriptura non accuratè refulgent; cum patribus tamen & fundatoribus gentium ejusdem ævi, longævis, cum Synpatrueli præcipuè & Synchrono Ebero, qui 464. annis vitæ completis, annô 531. post diluvium decessit, non ineptè comparandus. Ac licèt ex Berosi contentis: *Annô sextô Semiramidis post diluvium 306. apud Rheni-Sarmatas regnavit Tuisconis filius Mannus*, & paulò post: *Annô octavô Zamei V. Babyloniorum Regis, post diluvium 350. successit Ingevon &c.* brevius spacium appareat; plurimi tamen dilatius prorogant.

Alibi, ubi Primus Hercules intimatus reperitur, in Noricis Alpibus, antiquam forsan repetiturus patriam, morte interceptus traditur. Sed in tanta vetustatis caligine adeò certò concludi nequit. Vid. Beros. lib. 5. divers. loc.

Cæterùm, juxta Sacram Semiticam delineationem, nostra quoq; genealogia ejusmodi periodis definiri non absurdè potest. *1. SEMUS annô secundo post diluvium centum annis natus, genuit Arphaxadum, vixitq; deinde quingentis annis & filios, filiasq; genuit, ut tota vita ejus 600. ann. & mortuus post diluvium 502. 2. Annô post diluvium 37. Arphaxad triginta quinq; annis natus genuit Salachum, vixitq; deinde quadringentis tribus annis, & filios filiasq; genuit, ut tota vita ejus 438. & mortuus post diluvium 440. 3. Annô post diluvium 67. Salach triginta annis natus genuit Eberum, vixitq; deinde quadringentis tribus annis, & filios filiasq; genuit, ut tota vita ejus 433. & mortuus post diluvium 470. 4. Annô post diluvium 101. Eber triginta & quatuor annis natus genuit Phalegum, vixitq; deinde quadringentis & triginta annis, & filios filiasq; genuit, ut tota vita ejus 464. & mortuus post diluvium 531.* Gen. 11. v. 10. & seq.

Ita 1. Japhetus centenarius statim post diluvium genuit Gomerum & deinde reliquos; sed vitæ ac regiminis terminus nullibi extat. 2. Gomerus trigintennis positus genuit Ascenam & deinde reliquos, vitæ tempus ac regiminis perinde nullibi extat. 3. Annô post diluvium 60. Ascenas sive Tuiscon similiter trigintennis positus, Mannum genuit & deinde reliquos, (licet juxta Berosum ætatis suæ 246. post diluvium 306. defunctus colligatur) non immeritò longævior reputandus. 4. De Manno jam antea relatum est. Qui utpote Eberi Synchronus, quintô post diluvium seculô mortuus habetur. Vixerunt ergò cum Noa post diluvium locis quamvis dissipatis, summi Patriarchæ: Sem cognomine Melchisedec, Arphaxad, Salab, Eber,

Phaleg, Regu, Serug, Nahor, Thara, Abraham, &c. ab altera linea: Japhet, Gomer, Ascenas, Mannus, & forsan reliqui incogniti plures.

CAPUT IX.

Quomodò Mannus, Alemannus & Hercules Primus simul cognominatus.

LAude indissolubili Patriarcha noster, Ascenæ sive Tuisconis filius, *Manah sive Meneh*, ut ante ædificationem turris Babylonicæ nominatus, ita postea suffragantibus firmissimis eruditorum sententiis, non solùm *Mannus*, verùm etiam *Alemannus*, insimulq; *Hercules* hujus nominis Primus, audivisse statuitur.

Nomen *Alemannus* pleriq; ab Ebræo sive Orientali *Elam* vel *Alam*, i. e. fortis, juvenis & *Manno* sanè componunt.

Nonnulli abs Scythico sive Aramæo vocabulo *Ale*, i.e. *velox*, sive fluvius, & *Manno* (unde & fluvius *Alemannus* nomen sortitus traditur) deducunt. Quidam per duplex ll. *Allemannum* scribentes à Germanico Adjectivo All/ i.e. integer, totus, perfectus & Mann/ quasi integrum & perfectum virum componunt. Sed prima *Alemanni* syllaba semper apud Poëtas (e. g. *sternebat; Rhenumq; ferox Alemanne bibebas:*) brevis reperta hanc compositionem postremam, quodammodò impedire videtur. Vid. Philip. Melancht. part. 2. lib. 3. Chron. p. 69. b. respice quoq; Sidon. it. Lexic. Histor. Carol. Steph. sub nom. Aleman.

In Germanica quoque gente duo hæc nomina non aliter, quàm solis linguarum idiomatibus discernuntur. Qui enim in genere & in specie ab Orientalibus & Aramæis *Aschenazim* & Tuiscones, item à primogenito *Mene* sive *Menni*, à Sarmatis verò per Metathesin *Nemez* vocantur, illi ipsi à Gallis, Italis, Hispanis, Britannis, Belgis aliisq; indifferenter *Todescones & Alemanni* denominantur, à sibimetipsis verò Germanis, Teutsche/ Mannier und Allemannier prout lubet, invicem, mutuò, & indistinctè connotantur. Vid. paulò infr. redintegr.

Multi quidem anteriorum nuperorumq; seculorum genealogici candidum & antiquum Berosum originalem autorem sinistrè interpretantes *Alemannum* aliquot ætatibus à *Manno* diversum posterioremque supponere non erubuêre. Ad propriam Berosi intentionem

tionem remonstrandam, ipsius iterum contenta repetere cogor: *Ab anno sexto Semiramidis* sc. post diluvium *306*. juxta sæpè allegatum Berosum *usq; ad primum Zamei Regis Babylonici annum* post diluvium 350. *Manni imperium circumscribitur.* Post septem periodos autem *anno duodecimo Mancalai Assyriorum Regis* tunc demùm post diluvium 680. *Alemanni Herculis* memoria introducitur. Berof. libro quinto, sub gest. Semiram. p. 49. a. item sub gest. Macal. p. 82. a.

Obscura & intricata Berosi verba apparere non inficior, sed ob vetustatem grandævam, veluti aliis autoribus, sic etiam Beroso venia concedenda est. Nonnulli ac si Manni ab anno *306*. post diluvium usq; ad *680*. regimen perdurâsse imaginantur. Alii heroicum illud τὸ *Alemanni* insignium tanquam hæreditarium & à primo acquirente deductum abstractum, i. e. Alemannicum (ut hodiè loquimur Carolinum) reflectunt. Mentio igitur *Alemanni* ulterius facta, ut de reliquis Ascenæ filiis dispalescit, ad prosapiam ejus, ac si annô post diluvium 680. generosus quidam heros, *Herculis Alemanni* instar iterùm regnâsset, reflectenda.

Vel idem sensus est, ac si Zameo regnante Germanorum gubernium in Alemanni speciali Regio sanguine iterum refulserit. De quo primorum Germanorum circulari regimine prius tractatum.

Cæterùm *Alemannus* (de quo omnes Tuiscones, Alemanni denotantur) unum eundem extitisse cum *Manno* nec aliter percensendum esse, aliis comprobationibus reservatis, ipsa ratio nominis, ut suprà patet, unicè solidèq; evincit.

Manni præterea primum ad Rhenum gubernium fuisse traditur, de quo Berosus & Tacitus plura. Atqui simulacrum Alemanni Constantiæ, ubi lacus Acronius Rheno illabitur, olim supererat, ut Franciscus Irenæus scribit, & Petrus Albinus adstipulatur. Petr. Alb. Tit. 11. Chron. p. m. 147.

Quod maximoperè adhuc notandum: Mannus noster vel Alemannus Hercules cognomine Primus, filiorum quendam Noricem vel Noricum denominare voluit. De quo alibi suis locis locupletiùs.

In communi deniq; *Manni* sive *Alemanni* posteros ferunt Noricos, Noriscos, Bojos Bavaros, Palatinos, & plerosq; Francico generali nomine insignes. Vid. infr. lib. 12. per tot.

CAPUT X.

De nominis Herculis etymologia & qualitate.

HErcules, notabilis prærogativæ publicus character, singulis solisq; excellentibus primævis heroibus singulare insignium præfulsit. Eatenusq; singulare, ut divisum tamen inter heroes aliquot antiquos, accommodatum virtuosum insignium fuerit. Nomen illud haud præcisè est Patronymicum, neq; gentile, neq; initiationis absolutum; nicht ein Geschlechts- Volcks- oder Tauff-Name.

Heroicum munus, non hæreditarium; acquisitum, non innatum: Summus honoris titulus, atq; gradus, virtuti competens: Generositatis quidem decus, sed non solius familiæ; meritæ sinceritatis præmium, non favoris, neq; minus corruptionis.

Herculis deniq; nomen importat decus solâ sapiente magnanimitate excellens, genere adornato excellentius. Quo animosus, liberalis & alacris gentis cujusdam heros fundator designabatur tanquam *Evergetes* communis & antesignanus. Germanicè ein sonderbarer Held/ein auserwählter Ritter/ein Heiland.

Etymologiæ ipsius paronymon, ut decidatur, incumbit.

1. Juxta quorundam opinionem est Hercol; ab Ægyptio vel potiùs Orientali Her, id est, pellitus, & Col, id est, totus, etiam apud Ebræos; quia primævi heroes, durioribus ferinis pellibus, toto corpore, nondum cataphractis inventis, tegebantur.

Quinimò Herculis etiam aliud epitheton Musarnus ejusmodi radicibus componunt: à Musa nimirum disciplina, & Ar sive Ary, i. e. Leo, atque Nω, id est, celebris. Unde Musarnus idem est ac sapiens leo, sive heros fortis & celebris. Vid. Joh. Ann. Viterb. Com. in fragment. Caton. de Aborig. circ. dimid. p. 180. b.

2. Macrobius Herculem cum Sole ita confudit: *Nec Hercules à substantia Solis alienus est; quippe Hercules ea est Solis potestas, quæ humano generi virtutem ad similitudinem præstat Deorum. Nec existimes, Alcmenâ apud Thebas Bœotias natum, solum vel primum Herculem nuncupatum; imò post multos postremus ille hac appellatione dignatus est. Honoratus autem hoc nomine, quia nimiâ fortitudine, meruit nomen Dei virtutem gerentis. - - - Cæterùm Deus Hercules religiosè quidem apud Tyron colitur. Verùm sacratissima & augustissima Ægyptii eum religione venerantur; ultraq; memoriam, quæ apud illos retrò longissima est, ut carentem initiò colunt. - - Ipse*

Ipse creditur & Gigantes interemisse, quum pro cœlo pugnasset, quasi virtus Deorum. Gigantes autem quid aliud fuisse, credendum, quam hominum quandam impiam gentem, Deos negantem; & ideò existimatam, Deos pellere de cœlesti sede voluisse? Horum pedes in Draconum volumina desinebant; quod significat: nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vita eorum gressu atq; processu in inferna migrante. Ab hac gente Sol pœnas debitas, vi pestiferi caloris, exegit. Et revera Herculem Solem esse, vox nominis claret: Hercules enim quid aliud est, nisi Heras, i. e. aëris-cleos gloria? Quæ porrò alta aëris gloria est, nisi Solis illuminatio; cujus recessu, profunditate Spiritus occulitur tenebrarum. Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 20. p. m. 271.

Hac ratione Hercules Latino etymo Aurelius exprimendus esset, qui non solùm fortis & alacris, tanquam aëreo & sanguineo temperamento gavisus, sed perhumanus quoque benignus ac liberalis auxiliator oppressorum præcelluit. Recta cum curvis miscuit Macrobius, qui etiam alibi Martem, Mercurium, Apollinem, Æsculapium, nil nisi Solem fuisse, imaginatus. Ast quando Sol per Herculem vel Apollinem circumscribitur, fit antonomasticè propter virtutes; ac si Sol instar Herculis vel Apollinis multoties opem tulerit generi humano.

Insuperque Sol quando periphrasticè Hercules, quasi luminum Præses, subornatur; atque heros iste terrestris, certô reciprocationis respectu, Sol patriæ celebratur; ambobus de sua essentia nihil demitur. Hercules fit idem, ac decor aëreus, alacris; epitheton honoris tamen multis heroibus attributum persistit.

Fuerunt præterea plures, ipso immutato nomine, Soles emphaticè vocati, attestante Cicerone: unus igitur eorum, qui Soles vocati. Cic. lib. 3. de nat. Deor.

Sic Cyrus Persicâ linguâ, teste Plutarchô, Solem denotat. Titan Solem significat; nec verò Titanes perinde. Neque ejusmodi tales cum Solis essentiâ confundendi sunt; eoq; minus Hercules vel Apollo, qui insignio figurato & metonymico ita transsumuntur, pro ipsô Sole, realiter invertendi erunt. Supersunt etiam aliæ circumstantiæ: per Herculem & Apollinem cum aliis, certos diversósque heroes denotarier.

Ipse Macrobius sibi contrariatur: *Nec existimes Alcmenâ apud Thebas Bœotias natum solùm vel primum Herculem cognominatum; imò post multos postremus ille hac appellatione dignatus est.* Ergò multi

multi priores Hercules antecesserunt; quorum Alcides postremus reponendus. Atque heic nervus sententiæ & materiæ nostræ consistit.

3. Alii Græci τὸ Hercules à Græco ἥρα, quæ est Juno, & κλέος gloria contexere conantur. Unde Suidas: Labores, quibus Græcus Alcides nomen Herculis & gloriam immortalitatis reportavit, ipsi à Junone impositos fuisse fabulatur.

Ex historia & Pythiis sermonibus notum est, Heraclidi (sive Alcæo juxta Gyraldum) primitùs nominato, post certâ de causâ oraculum consulenti Apollinis, & compoti votorum facto, hoc insuper carmen & omen à Deo editum.

ἡρακλῆν δὲ σε φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει,
ἦρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξης.

Te vocat Heraclem, clarus cognomine Phœbus
Quod tua perpetuum mox gloria vivat in ævum.

Vid. Isaac Pontan. in Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 20. & Natal. Comit. edit. Hanov. 1619. lib. 7. Mythol. c. 1. de Herc. p. 707. & Matth. Martin. in Lexic. Philolog. sub nom. Hercul.

ἦρα φέρειν est jucunda afferre, opem ferendo; unde periphrasticè dicitur Ἀλεξίκακος ab eo, quod defensor & patronus hominum oppressorum fuisset.

Plurimi tamen inter antiquissimum & primævis heroibus commune nomen Hercol; atque inter Græcum Heraclium distinguunt. Ipsius vocabuli distinctionem & æquivocationem quod concernit; rerum antiquarum & abstrusarum scrutatores Hercol ab Ægyptiâ origine, Herodotum, Diodorum Siculum & Catonem contestantes, devolvunt.

Juxta Herodotum: *Cognomentum Herculis, vocabulum Ægyptium est, non Græcum; illud verò Græci filio Amphitryonis imposuerunt.* Juxta Diodorum Siculum: *Græcus iste Amphitryonis filius, Alcides, non Hercules, i. e. pellitus totus, sed Heraclius, i. e. Junonis gloria exprimendus.* Juxta Catonem: *Græci ubicunq; nomen Herculis audiunt, putant esse suum, à nomine sumentes argumentum; quum tamen ille, neq; nomine Libyus, à quo devicti Libyi, sed Alcides dictus sit. Neq; dictio Herculis Græca, sed Ægyptia. Nam illi Heraclio, Junonis cognomen fuit.* Herod. in Euterp. siv. lib. 2. num. 41. Diod. Sicul. lib. 1. & 6. Cat. de Aborig.

Verùm Majores nostros Scythas etiam cum Ægyptiis, de anti-

quitate generis forsanq; historiarum, diu contendisse constat; donec superatis Ægyptiis antiquiores semper Scythæ visi. Vid. Justin. lib. 2. cap. 1.

4. Ab hodiernis criticis sagacissimis nomen Hercules, ut vetustissimum idioma Germanicum, i. e. Dominus clavæ, ein Herr deß Keuls/ juxta D. Johannem Micrælium repræsentatur. Veluti Herzog/ ein Herr deß Zugs/ edisserere consuevimus. Veruntamen, quum in Germanica moderna lingua die Keule/ frequentiùs als der Keul/ in hac significatione pronunciari solet; potiùs à Dialecto Saxonica Herte-kül, contractè Hercul vel Hercules, id est, ein Herr der Keule oder seiner Keule formabitur. In Græca lingua per expressam periphrasin κορυνήφορος, Latinè Claviger, id est, clavam gerens describitur. Vid. D. Joh. Micræl. in Syntagm. hist. Polit.

Ovidius quoque Herculi antiquum illud epitheton Clavigerum adhibere voluit, ita accinens:

— — Illic lavere Bimembres
Vulnera, Clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.

Ovid. lib. 15. Metamorph. fab. 1. in pr. & fab. 39. circ. med.

Cæterùm attentiore animo nomen Hercules, hoc sensu præponderatum, Dominus clavæ non solùm iste est, qui clavam exercere & usurpare expeditus, sed etiam ille, qui armis moderari compos. Atqui, sui ipsius qui compos, consimul armorum moderator ac Dominus, & vice versâ; unde à priscis proverbium illud summoperè annotatum:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia.

Quod etiam citato Ovidio pariter animadvertere curæ fuit.

Quo quisq; est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

Ovid. lib. 3. Trist. Eleg. 3. distich. 16.

5. Johannes Aventinus & ex eo Elias Schedius, Scriptor seculi nostri disertissimus & celeberrimus, singulari indagine, etymologiæ Herculis ita alluserunt: *Alemannus cognomento Hercules insigne leonis habuit, unde ei cognomen: nam* Argle Actergle/ Argkle Aerckle *&* Erkle *ferus est leo; Latini inde Herculem fecerunt. Is conditor primus Bojorum. Et quia insigne leonis habuit, eò etiamnum Germaniæ Principes variato clypeo ferè utuntur; ac proinde alere leones gentilitium est Principibus nostris.* Johan. Aventin.

 lib. 1.

lib. 1. Elias Sched. de Dîs German. Edit. Amſtel. in octavo 1648. p. 473. ſeq.

Quæ poſtrema opinio, cum reliquis aliis, ferenda potiùs, quàm laudanda vel vituperanda.

Hisce ſepoſitis perilluſtris Herculis cognominatio puro puto Leonino Martiali non competit. Hercules publicæ pacis defenſorem & Muſarum patronum, juſtorum ſimul bellorum eductorem & finitorem, proprio genuino ſenſu indigitat.

Mars pervaſtatorem, debellatorem & deſtructore m denotat; Hercules propugnatorem, defenſorem & patronum. Egregium proinde penes Heſiodum, introductâ Herculis Martisque pugnâ, amborum diſcrimen & veræ fortitudinis emblema reſultat, hisce verbis:

— — — Πατὴρ δ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε
ἄλλην μῆτιν ὕφαινε μετὰ φρεσὶν, ὄφρα θεοῖσιν
ἀνδράσι τ' ἀλφηστῆσιν Ἄρης ἀλκτῆρα φυτεύσῃ.

— — — *At Pater hominum Deorumq;*
Aliud conſilium texebat in animo, ut Diis pariter
Et hominibus rerum indagatoribus, Martis depulſatorem plantaret.

Heſiod. in Scut. Herc. v. 28. p. m. 85.

Singulariter conſideranda hæc contenta: *Ut Diis pariter, & hominibus rerum divinarum indagatoribus, Martis depulſatorem plantaret*, ſc. Herculem.

Hercules porrò in ſua natura & idiomate conſideratus, merum virtuoſum eſt inſignium, tyrannidi, violentiæ, iniquitati omnibusq; vitiis adverſarium oppoſitum. Peſſimo igitur & praviſſimo auſu furioſi, truculenti, adulteri, ſcortatores & id genus alii, quatenus tales, inclutum nomen Herculis, depravata hypocriſi vel hypotheſi, ſibi arrogant. Pluribus namq; mala, juxta Tacitum, licentia placent; honeſta nomina prætendunt. Tacit. Annal. lib. 14. c. 21. v. 1.

De qualitatibus & ſtudiis, quibus heroes olim nomen Herculis promeriti, nunc agendum.

Nobilitatem quod concernit: *Primogeniti Saturnorum, Joves & Junones: Hercules, nepotes eorum* (cum emphaſi) *fortiſſimi.* Xenoph. d. l. de æquiv. in pr.

Hercu-

Hercules proinde generosâ prosapiâ nati, utrinque arte & Marte instructissimi requirebantur, si ita celebrandi.

Herculem Orientali epitheto Musarnum cognominari, in anterioribus allatum. MUSAGETES quoque, sive potiùs MUSEGETES Græcis Latinisq; Scriptoribus celebratus. Quod etymologiam concernit, Musegetes à Μȣ̃σα & ἄγω derivatur. Musa sive disciplina per se abundè notescit. Ἄγω genuino sensu idem est ac sapienter duco, comitor, instituo, dirigo. Unde Μȣσηγετέω, Musis gratificor, patrocinor, juxta Poëtas, Musis cithara ludo: & Μȣσηγέτης, Musarum Ductor, Comitator, Director, Patronus.

Musegetes alioquin, juxta Macrobium, Plutarchum, Pausaniam & alios, *Apollinis cluit epitheton.* Macrob. lib. 2. in somn. Scipion. c. 3. Plutarch. & Pausan. suis loc.

Herculi singulare illud encomium Musegetes quidam ideò adformatum volunt; quia ejus templa semper cum Musis consortia fuerunt: Quale etiam Romæ penes Circum Flaminium extitit. Macrobius iterum: *M Fulvium Nobiliorem, fastos in Æde Herculis Musarum posuisse*, asserit. Macrob. lib. 2. Sat. c. 12.

Juxta alios: *Herculi Magno, custodi Circi Flaminii, antiqui Ædem in eo Circo constituerunt. M. Fulvius, primus censor, annô mundi 3531. ante Christum 440. Herculis & Musarum templum, ex censoria pecunia, restauravit. Audiverat namq; in Græcia Herculem Musagetem, i. e. Ducem Comitemq; Musarum esse. Idem Fulvius omnium Camœnarum vel Musarum simulacra ex Ambracensi oppido Romam transtulit, & sub fortissimi Numinis Herculis tutela consecravit, ut mutuis auxiliis juvarentur: Musarum quies, Herculis defensione; & virtus Herculis voce Musarum. Hanc ædem vetustate deformatam restituit Martius Philippus Augusti vitricus, in eo loco, ubi postea in Apothecis obscuris, templum S. Luciæ positum fuit.* Vid. Pompon. Lætum de antiquit. Urb. Rom. & Joh. Bartholom. Marlian. Eq. Mediol. de antiq. Urb. Rom. lib. 6. c. 4. f. 44. quæ opuscula communiter Tit. Liv. præfixa inveniuntur. Vid. & Georg. Fabric. Com. in Poët. Christian. p. m. 68.

Plutarchus Chæronensis rationem prorsus diversam, cur Herculis & Musarum ara olim communis fuerit, nimis serotinus, hâc quæstiunculâ formatâ reposuit: *Cur communis fuit ara Herculis & Musarum? an quia Evandrum literas docuit Hercules, ut Juba narrat. Res ea videtur perhonesta, quum literas prisci amicis ac cognatis traderent. Serò cœptum, mercede docere. Primus ludum lite-*

rarum aperuit Sp. Carbilius, Carbilii libertus. Plutarch. Chæronenſ. volum. 2. ſiv. Moral. Guilielm. Xylandr. Interpr. excuſ. Baſil. 1570. Libel. 21. de problem. ſiv. quæſt. f. 243, in pr.

Juxta Lucianum: *HERCULEM Galli lingua gentis vernacula OGMIUM vocant. Ogmius* autem Aramæa lingua antiquus vel æſtimabilis eſt, nobis Hochmann vel Hegmann. Vid. ſup. lib. 2. c. 5.

Paulò poſt Lucianus continuat: *Hercules ille ſenex* (ſive imago ejus) *ingentem admodum hominum multitudinem trahit, omnium auriculis devinctis. Vincula erant catenulæ tenues, auro electrove confectæ, pulcherrimis monilibus adſimiles. Atqui, quum vinculis illis usq; adeò fragilibus ducantur, nec tamen de fugiendo cogitant, dum alioquin commodè poſſint; neq; prorſus obnituntur, aut pedibus adverſus trahentem obtendunt ſeſe, reſupinantes; verum alacres ac læti ſequuntur, ducentem admirantes, ultrò feſtinantes omnes; & laxatis funiculis, etiam antevertere ſtudentes, perinde quaſi graviter laturi, ſi ſolverentur vinculis. Ne illud quidem pigebit referre, quod mihi videbatur præ omnibus mirandum: cùm non inveniret pictor, unde catenularum ſummas anſas necteret, videlicet dextrâ jam clavam, lævâq; arcum tenente, ſummam Dei linguam perterebravit; atq; hac, ligatis catenulis, eos trahi fecit. Ipſe nimirum ad eos, qui ducebantur, vultum & oculos convertebat, arridens. Hæc ego, cùm diutius aſſiſtens contemplatus eſſem; admirans hæſitans indignansq; Gallus quiſpiam, qui propius adſtabat, noſtratium literarum non indoctus, id declaravit: (quum Græcanicam linguam obſoletè ſonaret, Philoſophum opinor, ex eo genere Philoſophorum, quod apud illos eſſe fertur) Ego tibi, hoſpes! inquit, picturæ iſtius ænigma explicabo; nam videre vehementer ad eam attonitus ac ſtupefactus. Orationem nos Galli nequaquam arbitramur eſſe Mercurium, quemadmodum vos Græci; verum Herculi illam tribuimus, propterea, quod hic Mercurio longè præſtantior extitit. Quod ſenex fingitur, nihil eſt, quod mirêre; ſiquidem una facundia conſuevit in ſenecta demùm abſolutum vigorem oſtendere, ſi modò verum veſtri dicunt Poëtæ:*

Obduci juvenum denſâ caligine pectus.
Contra ſenectam poſſe quidquam dicere
Rudi juventa melius, ac præclarius.

Hinc videlicet apud vos & Neſtoris lingua melle profluit. Et Trojanorum concionatores liriœſſan edunt vocem, videlicet floridam

dam quandam vocem. Nam liria, si satis commemini, flores appellantur. Proinde quod ab auribus vinctos ad linguam trahit senex hic Hercules, qui non aliud, quàm ipse est sermo; ne id quidem debes admirari, qui quidem non ignores, linguæ cum auribus esse cognationem. Neq; ad contumeliam illius illud pertinet, quod lingua pertusa est; nam memini, inquit, & jambicos quosdam versiculos è comœdiis apud eos doceri.

Siquidem viris loquacibus
Extema lingua perforata est omnibus.

Licus, Lucian. Latin. translat. ab Erasm. Roterodam. excus. Venet. 1515. de Hercul. Gallic. p. m. 164.

Ast sit, ut sit, videntur tamen heroes Hercules inter Musas collocati, ad minuendam pertinere eorum opinionem, qui nullam virtutem admiratione & honore dignam, nisi solam audaciam bellicam, arbitrantur. Multi enim sibi habent persuasum: Bellatores, omnes hominum ordines, antecellere; magisque Reipub. necessarios esse, quàm viros religione & virtute moderatos. Hercules contra inter Musas residens, Justiniani institutiones: *Imperatoriam Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus ornatam esse oportet:* confirmat. Justinian. in procem. lib. 1. Inst. in pr.

Herculis quoq; simulacrum quondam Romæ, prope scholam Græcam, in ruina maximæ aræ repertum est. Rom. Antiq. Tit. Liv. annex. lib. 2. c. 6. & lib. 5. c. 4.

Concinnè igitur juxta Isocratem: *Nulla possessio neq; splendidior est, neq; præstantior virtute. Nam forma aut ætate consumitur, aut morbo deflorescit. Divitiæ vitiorum magis quàm virtutis ministræ; tum quod ignaviæ facultatem afferunt, tum quod adolescentes ad voluptates invitant. Jam vires corporis cum prudentia conjunctæ, sanè prosunt; sed sine hac plus nocent. Virtutis autem possessio, in quorum animis syncerè cum ætate accrevit, sola senectutem non deserit; atq; opibus præstantior est, & nobilitate nobilior. Nam, quæ alii efficere non possunt, ea facit, ut obtineri possint: quæ multitudini horrenda videntur, magno animo subit. Desidiam in vitio ponit, laborem laudi sibi ducit. Quæ quidem facilè tum ex Herculis certaminibus, tum è Thesei operibus perspici possunt. Quorum factis, norma virtutis, directi mores, tantum gloriæ decus imposuerunt, ut nulla secula res eorum gestas oblivione delere possint.* Isocrat. in procem ad Democrit. in pr. p. 3.

Raro alioquin dona animi & corporis cumulantur. Unde rectè

Ethnicorum memorabilium collector Valerius Maximus: *Nimio membrorum robore vigorem mentis hebescere*, inquit. *Quasi abnuente naturâ utriusq; boni largitionem, ne supra mortalem felicitatem sit, eundem & validissimum esse & sapientissimum.* Val. Max. lib. 9. c. 12.

Aliquando tamen, exsuperantibus fatis Divinis, nonnulli mortalium, & corporalibus & spiritualibus donis, simul conjunctis gavisi. Fortissimi simulq; sapientissimi, non violenti & immanes, sed virtuosissimi, qui præ aliis excelluêre, utrinq; Hercules dicti.

Atq; iterum Isocrates Herculis excellentiam (licet cum supposititio Græco confuderit) elegantissimè resuscitavit: *Alii fortitudinem Herculis, divinis laudibus celebrare & certamina enumerare, non desistunt; aliorum verò bonorum, quæ animo insunt, nemo vel Poëtarum, vel Scriptorum, mentionem fecisse reperietur. Ego verò locum peculiarem video inelaboratum, atq; non parvum neq; sterilem, sed multis laudibus & honestis rationibus refertum. Ejus quidem generis, quod nimirum non parvâ eloquentiâ præditum concerneret. In quem si junior incidissem: Herculem & prudentiâ, & literis, & justitiâ, plus antecelluisse omnibus superiorum temporum heroibus, quàm robore corporis facilè demonstrassem.* Isocr. in orat. ad Philip. p. m. 248.

Ad Herculis virtuosum, honorificum, liberale Musisq; favorabile insignium commodiùs intelligendum, conducit, aliud ejusmodi tale epitheton adæquatum, honorificum nimirum nomen EVERGETES æquiparare; pariliq; similitudine emphasis, synonymiæ subvenire.

Εὐεργέτης τοῦ εὐεργέτου, i. e. beneficus, regalis, munificus, Græcis & ita competenter Latinis primæ declinationis est; licet nonnullibi Evergetes Evergetis in tertia reperiatur.

1. Majestaticum illud & honorificum insignium, idiomate suo genuino, Diis etiam immortalibus, sive potiùs vero Deo, quandoque attributum conspicitur. Deus est summus Evergetes; atq; attestante Cicerone, *homines benefaciendo, Deorum simillimi fiunt.* Cic. lib. 1. de nat. Deor.

2. Ex mortalibus assurgit Bacchus, nonnullis Noa repositus, qui ob beneficia generi humano præstita præstantissima Evergetæ insignium, ad singulare honoris & memoriæ tropæum adeptus. Conf. Lexic. Græc. Grynæi.

3. *Alexandri Magni Principes*, consignante Plutarcho, *alii Ever-*

Evergetes, i. e. benefactores; alii Callinicos, i. e. pulchras victorias consecutos; alii Soteres, h. e. conservatores; alii Magnos se denominaverunt. Plutarch. in Moral. lib. 46. Orat. 2. de fortun. & virt. Alex. fol. 469.

4. Antigonus deinde primus, sive filius ejus Antigonus Secundus, Alexandro Magno mortuo, ante Christum 300. laudatus propter justitiam, moderationem, pacemq; Græcis restitutam, nominatus est Evergetes. Chron. Carion. part. 1. exposit. & auct. à Phil. Mel. edit. Witeb. 1562. p. 51. a.

5. Ptolemæus Lagidarum Tertius, Philadelphi filius, cognomine Tryphon, Rex ille Ægypti celeberrimus, magnifico superaddito epitheto εὐεργέτης κατ' ἐξοχὴν dignissimè appellatus. Plerunq; enim, ubi Evergetes in historiis reperitur, Ptolemæus ille tertius intelligitur, & vice versâ. *Qui*, teste Josepho, *fortiter obtinens Syriam universam, non Diis Ægyptiis pro victoria, solennitates gratificans, immolavit; sed veniens Hierosolymam, multas hostias, sicuti nostri moris est, vero Deo sacrificavit, dignissimaq; dicavit ornamenta victoriæ.* Fl. Joseph. l. 2. contra Appion, p. m. 844. Conf. D. Hieron. in Daniel. 11. v. 7. usq; 10. It. August. Torniel. Novariens. Jesuit. in Annal. Tom. 3. ad A. M. 3808. f. 257.

In Judæa & alibi verbo divino studiisq; liberalibus summoperè patrocinatus. Cujus more & amore ductus Jesus Syrach, Doctor ille moralis excellentissimus ipsam Ægyptum incoluit. Jesus Syr. in præfat. Conf. Seth. Calvis. Chronol. f. 266. & Joh. Böttinger. Isagog. Hist. lib. 1. sect. 2. period. 4. n. 51. p. m. 70.

Liberalissimus quoque fuit. Unde Polybius Megapolitanus: *Ptolemæus insuper iste Rhodiis donavit talenta argenti CCC. Frumenti artabas* (quæ mensura Medica) *ultra decies centena millia: Ligna quoque, ad quinqueremes sex, atq; triremes X. faciendas. Buxi quadranguli brachia circiter XL. Millia: funium tria Millia: vela item & arbores ad tria millia. Ad instaurationem collapsi tunc Colossi Talentorum MMM. Ædificatores C. operarios CCCL. & ad horum victum singulis annis 14. Talenta. Præter hæc ad certamina & sacrificia, artabas frumenti circiter 12. M. item ad commeatum X triremium 20. M. Quarum omnium rerum magnam partem in præsentia dedit.*

Interjectis aliis Polybius continuat: *Hæc in præsentia recensenda existimavimus.* Paulò post: *avaritia Regum nostri temporis causa; & pusillanimitate gentium & civium: Ne vel illi, quatuor aut quinq;*

quinq; talenta largientes, credant, se grande aliquod & amplum fecisse; ac proinde tantam benevolentiam eosdemq; honores à Græcis quærant, quos pristini Reges habuêre; vel civitates, magnitudinem veterum munerum memoriâ repetentes, existiment, se exigui temporis muneribus magnos illos atq; optimos honores debere. Polyb. Megapolit. lib. 5. c. 20. p. m. 436.

Certò laudanda est liberalitas. Christus ipse liberales & munificos benefactores, beatissimum genus hominum decrevit, effatus: *Beatius dare est, quàm accipere.* Act. 20. v. 35.

Omne munificum, donativum vel distributivum, divinius, beatius, augustius ac excellentius est, indigo præstolante cliente vel accipiente. Benignissimus Deus omnia bona semper largitur & designat. Cui tota rerum universitas solidissimè suffragatur: Cœlum longè nobilius ac præstantius terrâ persistens, vires dispertitur vegetativas; terra impetrat irradiationis influxus & pluvias. Sol multò illustrior lunâ, splendorem illi reliquisq; sideribus distribuit.

Hisce dimissis, Ptolemæum prædictum Tertium, Evergeten illum prææstimo, cujus insignio hodiè permulti heroes & Musarum Patroni collustrantur. De reliquis ejus rebus gestis scripserunt Callimachus, Ælianus, Justinus & Eutropius. De obitu ejus, quomodo à proprio filio Ptolemæo Philopatore A. M. 3730. ante Christum 220 veneno sublatus sit, Justinus & Eusebius. Callimach. Poët. Græc. Ælian. var. hist. lib. 14. c. 31. & 43. Justin. lib. 27. c. 3. Justin. lib. 29. c. 1. & lib. 30. c. 2. Euseb. in Chron.

6. Ptolemæus Lagidarum Septimus, cognomine Physcon, insignium Evergetæ indignè sibi arrogavit. De quo vid. Justin. lib. 38. Strab. lib. 17. Liv. lib. 59. Val. Max. lib. 9. c. 1.

7. *Mithridates ille Rex Ponti, qui primus amicus P. R. appellatus, missis contra Pœnos auxiliaribus aliquot navibus,* ὁ εὐεργέτης ἐπίκλησιν *Evergetes vocabatur.* Pater fuit Mithridatis illius ultimi Eupatoris vel Dionysii cognominati; qui cum Romanis bellum gerens à Pompejo M. devictus. Appian. Alexandrin. edit. Amstelodam. 1670. part. 1. lib. 5. de bello Mithridat. num. marginal. 176. p. m. 303.

8. Quemadmodum deniq; Heraclidarum populi diversi repeririuntur; ita etiam in sensu lato Evergetarum Scytharum sic dictorum natio conspicitur. Qui in Argonautas maris tempestate ad eorum litora delatos, ac deinde in Cyrum I. afflictum benefici fuerunt. Steph. Byzant. in desc. eor. Diodor. Sicul. lib. 17. de reb. Alex. M. c. 7.

c. 7. p. m. 1073. Arrian. Nicomedens. edit. Basil. 1539. lib. 3. de reb Alex. M. p. m. 149.

Cæterùm proprio & genuino sensu Reges ac Principes benefici, regulariter Evergetæ nuncupantur. Quod etiam in Sacra Scriptura N. T. confirmatur: *Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent super eas, εὐεργέται καλοῦνται benefici vocantur.* Lucæ 22. v. 25.

Hodierno quoque die selectissimi Patres patriæ, benefactores, publicæ pacis defensores, ac Musarum patroni, eleganti periphrasi, Hercules, Musarni, Musegetæ, Apollines, Cadmi, Gigantes indigetes, Atlantes, Phœnices, Phœbi & Soles patriæ, Evergetes rectius Evergetæ, Mæcenates, sive Μαικῆναι Græco etymo, Patriotæ, Patroni &c. designantur.

Sed hæc omnia tanquam in parenthesi inserta fient; quò per similitudinem honorifici nominis Evergetæ, insimul Herculei insignii æquiparatio eò luculentiùs dispalescat.

Ejusmodi talis Hercules vel Evergetes, h. e. Musarum Patronus, & publicus benefactor præcelluit Mannus, fundator noster inclutissimus.

Restat etiam de homonymia diversorum Herculum aliquid agere.

Xenophontis illustre antiquitatis monumentum regerere, non defatigabor: *Saturni dicuntur familiarum nobilium, Regum, qui urbes condiderunt, senissimi: Primogeniti eorum, Joves & Junones: Hercules verò nepotes eorum fortissimi; Patres Saturnorum, Cœli: Uxores, Rhea & Cœlorum Vestæ. Quot ergò Saturni, tot Cœli, Vestæ, Rheæ, Junones, Hercules. Idem quoque, qui unis populis est Hercules, alteris est Jupiter. Nam Ninus, qui Chaldæis extitit Hercules, fuit Assyriis Jupiter.* Xenoph. de æquiv. in pr.

Unde 1. Gomerus Germanorum fuit Saturnus: Ascenas, Jupiter: Mannus, Hercules. 2. Babylonius Nimrodus fuit Saturnus: Belus, Jupiter: & Ninus, Hercules. 3. Ægyptius Cham fuit Saturnus: Primogeniti ejus Osiris & Isis, simulq; Jupiter & Juno: Libyus, Hercules. 4. Parimodo Apteras Cretensis fuit Saturnus (qui Cœlo patri suo testes amputasse fertur) filius ejus, Jupiter; & primogenita Juno: Alcides verò sive Alcæus ex Alcmena, Hercules Græcus. Et ita de aliis. Porrò, quia relativa possunt uni diversè convenire, quippe unus idemq; esse potest Saturnus, Jupiter & Hercules; cujus exempla ponit Xenophon.

Plures præterea extitêre Hercules; quorum facta plerunq; adscribuntur uni. Cicero sex hoc nomine fuisse commemorat: *Quorum primus cum Apolline de tripode* (mysticis certaminibus) *contendit. Alter Nilo natus, Ægyptiis appropriatus, quem ajunt, Phrygias literas invenisse. Tertius ex Idæis Dactylis, cui inferias offerunt. Quartus Jovis filius, ex Asteria Latona sorore; qui Tyri colitur, filiamq; habuit Carthaginem. Quintus in India, qui & Belus dicitur. Sextus Thebanus ex Alcmena & Jove genitus.* Cic. lib. 3. de nat. Deor. vid. & Pausan. de tripod. Apollin.

Varro atque ex eo Servius 44. hoc nomine alios recensuisse testatur. *Et quoniam mos fuit Herculis, ut etiam non rogatus laborantibus subveniret; hinc factum, ut omnes, qui aliquid fortiter fecerant, Hercules vocarentur. Hinc est, quod legimus, Herculem Tirynthium, Argivum, Thebanum, Libyum &c.* Varro, allegat. à Serv. in Virgil. lib. 8. Æneid. p. m. 686.

Macrobius supra allegato loco applicuit: Nec existimes, Alcmenâ apud Thebas Bœotias natum, solum vel primum Herculem nuncupatum; imò post multos, postremus hac appellatione dignatus est. Et paulò post: Primum Herculem carentem initio insinuavit. Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 20. p. 271.

Kirchmayerus, cum multis, pro Samsone habet Herculem; quasi pagani, quicquid per rumorem de Samsone audiverunt, illicò per commenta & verborum involucra, ad ærumnosum fortem Herculem retulissent. Sed hi scopum non feriunt, ut ex ætate probat Vossius, qui ipsum pro Esavo habet. Hugo Sandfordus Josuam innumerat, & debellationes Regum Chananææ, labores Herculis censet. Vid. cit. Autor. pass.

Totam historiam de Hercule & duodecim ejus laboribus reperies integrè descriptam apud Diodorum Siculum & Natalem Comitem. Diod. Sic. lib. 5. c. 2. per tot. Natal. Com. lib. 7 Mythol. c. 1. de Hercul. per tot.

Ethnici superstitiosi imaginati, Herculem canes & muscas ex templis; atque, teste Antipatro, lupos à stabulis depellere. Antipat. in Carm. allegat. à Natal. Comit. lib. 7. Mytholog. cap. 1. de Herc. p. m. 705.

Cæterùm Mannum vel Alemannum, Herculem primum & nostratem extitisse, in sequente lucidissimè demonstrabitur.

CAPUT

CAPUT XI.

Quomodo Mannus Hercules Primus dictus.

PErillustris Xenophontis sententia replicetur loco solidissimæ basis: *Saturni dicuntur familiarum nobilium, Regum, qui urbes condiderunt, senissimi: Primogeniti eorum, Joves & Junones: Hercules, nepotes eorum fortissimi: Patres Saturnorum, Cæli: Uxores, Rhea & Cælorum Vestæ. Quot ergò Saturni, tot Cæli, Vestæ, Rheæ, Junones, Hercules. Idem quoque, qui unis populis est Hercules, alteris est Jupiter &c. & sic deinceps.* Xenoph. in libell. de æquiv. in pr.

Non omnes filii & indifferenter nepotes, sed primogeniti fortissimi; ut in moderna Hispania der Infant/ & in Gallia Dauphin, ejusmodi insigniis afficiuntur.

Hoc respectu Germanici generis Saturnus consistit Gomer: Jupiter, Ascenas: Hercules, Mannus. Hoc, inquam, respectu omnium post diluvium mortalium, per totam primogenituræ lineam, dicti Patriarchæ nostrates, quoad Saturnum, Jovem & Herculem, primi præcellunt.

Tali autem encomio Herculeo, præ omnibus præstitisse Mannum, ipsius quodammodo etymologia, aliis rationibus ad abundantiam reservatis, testatur, & deinde alia testimonia confirmant.

1. Hercules Primus inter alterius humani generis initia, quando Gigantes sic dicti & monstra superarent, atque Dii vetustissimi, i. e. Patriarchæ sic celebrati, cum Gigantibus refractariisq; tyrannis, ut ipsi Græci & Latini Scriptores confitentur, bella gerebant, floruit. Atqui Libyus, ut circumfertur, Ægyptius Hercules, tempore Osiridis; Alcides verò Græcus, paulò ante Trojanam eversionem (quando Dii, h. e. vetustissimi Patriarchæ, quibus tyranni refragabantur, jamdudum defuncti) extiterunt. Priorem ergò, qui noster habetur Mannus, antecelluisse, necessariò oportet.

Jure igitur meritoque, ut Macrobius annotavit: *Primus Hercules initio carens creditur Gigantes interemisse, quum pro cœlo pugnasset; quasi virtus Deorum. Gigantes autem quid aliud fuisse credendum, quàm hominum quandam impiam gentem, Deos (rectius Deum) negantem; & ideò existimatam, Deos pellere de cœlesti sede voluisse? Horum pedes in Draconum volumina desinebant; quod significat, nihil eos rectum, nihil superum cogitasse; totius*

vitæ eorum greſſu atq; proceſſu in inferna migrante. Ideoq; propter ſummam antiquitatem Sol quaſi reputatus eſt. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 20. p. m. 271.

Mannum proinde vel Alemannum noſtrum, Herculem Primum, etiam Orthodoxis verbi divini argumentis, atheos conviciſſe, veriſimile. Labores circa tricipitem Cerberum, Draconem & hydram Lernæam, aliaq; monſtra, alii ſuis placitis, qui velint, explicent. Johannes Micrælius tamen, vir in antiquitate eruenda feliciſſimus excellentiſſimus, de patefacto Meſſia, triceps monſtrum, h. e. Diaboli, peccati & mortis caput contrituro interpretatus. Joh. Micræl. Syntagm. Hiſt. Eccl. lib. 1. qu. 12. p. m. 19.

Quod Hercules, juxta Euripidem, mortuam Alceſtin, morte deterrita, marito vivam reſtituiſſe traditur; de reſurrectione prædicata, quâ mœſtos conſolatur, intelligatur. Vid. Eurip. in Alceſt. tragœd. alleg. à Natal. Com. lib. 7. Mythol. c. 1. de Herc. p. 693.

Longè proinde aberrant, qui Herculem antiquum, ſolùm bellatorem; longius, qui furioſum concipiunt. Ex vetuſtiſſimis ſiquidem deſcriptionibus, contrarium è veſtigio reſultat: non ſolùm virtute bellicâ excelluiſſe; ſed etiam divinâ doctrinâ prævaluiſſe. Qui (ſi proferre licet) bella Domini vel DEO beneplacita conſtanter egeſſit.

2. Herculis Primi antiquitas ex Bacchi, quem pleriq; veriſimillimis argumentis Noam ſtatuunt, ſynchronia diſpaleſcit.

Bacchus enim, Hercules ac Prometheus, omnes primi, utpote Synchroni & Synpatriotæ, ſimillimis armis pellibusq; accincti, ad antiquiſſima tempora referendi ſunt; quod etiam declaravit Sidonius Antipater:

Ἀμφοῖν δὲ ϛῆλαι συντέρμονες εἴκελα δ᾽ ὅπλα
νεβρὸς λεοντῆ, κύμβαλα δὲ πλατάγη.
ἥρη δ᾽ ἀμφοτέροις χαλεπὴ Θεὸς οἱ δ᾽ ἀπὸ γαίης
ἦλθον ἐς ἀθανάτȣς ἐκ πυρὸς ἀμφότεροι.

Amborum columnæ, atq; arma ſimillima utriq;
Cymbala clamori, pellem & uterq; tulit.
Et gravis ambobus Juno Dea; adivit uterq;
E terra ad Superos, igne cremante, Deos.

Sidon. Antipat. allegat. à Natal. Com. lib. 5. Mythol. c. 15. de Bacch. p. m. 496.

Summam propter antiquitatem & patiendi facultatem, Plutarchus

chus Herculem Baccho prælocavit, inferens: *Non enim iis, qui nati ſunt, immortalibus factis, lex aut mos patrius Deos conjungere patitur; ſicuti Herculem & Dionyſium, qui ob virtutum ſuarum præſtantiam, patiendi facultatem ac mortalitatem abjecerunt.* Plutarch. in Pelopid.

Bacchus inſuper ſive ipſe Noa, quum de omnibus nationibus benemeritus, orbem terrarum, docendo illa, quæ ſciebat, peragraſſet, ac demonſtraſſet ſationem frumenti & hordei & cultum vitium, divinos honores aſſecutus. Illuſtri conſilio Ægyptum depravatam reſtituiſſe dicitur. Priusquam eò profectus, domi ſummam rerum tradidit uxori, cui conſultorem reliquit Mercurium: Summum belli Ducem reliquit Herculem, celebrem ob vires corporis & affinitate conjunctum, tandemq; Ægypti Præſidem conſtituit. Prometheo ſecundum ab Hercule locum dedit. Conf. Natal. Com. Mythol. lib. 5. c. 15. de Bacch. per tot. apprimè verò p. 488. & 509.

Ægyptios proinde huncce Herculem noſtratem, ipſis Præſidem conſtitutum, Deos inter ſuos proprios rapuiſſe, conjectura fluit veriſimili.

3. Primi Herculis antiquitas ex conſimilis Primi Promethei vetuſtate colluceſcit. Prometheus enim primus, propter ejusdem ævi ignorantiam, tanquam generis humani formator & plaſtes, inter Deos Ethnicos Terreſtres numeratus invenitur. Ille ipſe Prometheus Deucalionis pater, ſublimiori ſenſu, ut Genearcha, ein Stamm-Vatter/ præſumendus eſt. Alioquin ab omnibus Gentilibus Hiſtoricis, tam Oratoribus, quàm Poëtis, Japeti filius, quicunque etiam fuerit, circumſcriptus eſt. Iſtius igitur Japetionidæ, vel ut alii pronunciant, Ἰαπετιονίδȣ Synchronus, & ab aquila mordaci, id eſt, gravi ærumnâ liberator, Hercules traditur præſtantiſſimus. Obſoletas quas omitto, intermixtas fabulas, alii licet aliter interpretentur, partimq; ad Libyum Ægyptium Herculem, vel Alciden Græcum detorqueant; amborum tamen memoria nec Ægyptio nec Græco competere poteſt. Vid. Heſiod. Ovid. lib. 1. Metamorph. Natal. Com. lib. 4. Mythol. c. 6. de Prometh. p. 313. & ſeq.

4. Primus Hercules longè ante res Theſſalicas (& ita longius ſequenter ante Deucalionem, Gentili hypotheſi, mortalium reputatum vetuſtiſſimum) quinimò longè ante Libyum illum, & longiſſimè ante Alciden viguit; quia Theſſalia (unde primordialem Græci hiſtoriam ſuam repoſcunt) primùm deſerta atq; paluſtris, Herculeo opere, plana & culturæ capax, juxta conſimile eorundem Ethnicorum

atteſtatum, reperitur effecta. Vid. ſupr. libro octavo, capite 4. & 5. per tot.

5. Hercules Primus, ſive Mannus vel Alemannus, & Bebryx Trans-Alpinorum aliquando Rex colonus, atque Geryon Tyrannus adverſarius, Synchroni quinto poſt diluviano ſeculo florentes, apparent.

Hercules proinde, ex Armenia vel Germania Magna, in Hiſpaniam contra Geryonem Tyrannum profectus, ſuperatis Alpibus (Poëtæ aliiq; Græci & Latini Scriptores Alciden Amphitryonis filium, qui plus centum Olympiadibus poſt graſſatus, invertunt) Bebrycis Regis, ubi pernoctavit, filiam elegantiſſimam Pyrenen, ſponſalibus nuptiiſque, pro more polygamiæ tunc conſuetæ inſtitutis, confeſtim maritam duxit; ſimulq; cum ea concubuit, gravidamq; in domo patris, donec expeditionem ſuſceptam ad finem perduxiſſet, reliquit; certo reverſionis termino definito. Pyrene, præfixo reverſionis die aliiſque pluribus præterlapſis, Hercule non adventante, ſe derelictum iri ſuſpicans, ſola per ſolitudines maritum inſequi tamdiu pergebat, donec à feris dilaniata fuit. Sed Hercules, victor quidem votivus, maritus contrà ob retardationem infeliciſſimus, dum remeat, promiſſa præſtiturus, Pyrenenque ſecum ducturus, fortuitò artus ejus laceratos, cum ore dilecto, invenit. Unde fabula: ob ſepulchrum Pyrenæ ibidem conditum, & Herculis luctum, montes per ſecula nomen retinuiſſe.

Ipſius Autoris Silii Italici, Poëtæ Heroici celeberrimi, verſus hac de re decantatos, nimiam propter elegantiam, ſubnectere placet.

— — Pyrenen, credere fas eſt,
Tum noctem Alcidæ ſolis plangebat in antris,
Et promiſſa viri ſylvis narrabat opacis;
Donec mœrentem ingratos raptoris amores,
Tendentemq; manus atq; hoſpitis arma vocantem
Diripuêre feræ Laceros Tirynthius artus,
Dum remeat victor, lacrymis perfudit & amens
Palluit invento dilectæ virginis ore.
Ac voce Herculeâ, percuſſa cacumina montis
Intremuêre jugis (mœſtô clamore ciebat
Pyrenen) ſcopuliq; omnes & luſtra ferarum
Pyrenen reboant. Tumulo tum membra reponit

Supre-

Supremum illacrymans, nec honos intercidit ævo,
Defletumq; tenent montes per secula nomen.

Sil. Ital. de bell. Punic. lib. 3. v. 430. & seq. p. m. 55.

Alii quidem aliis characteribus montium horum appellationem deducere conantur; prisci verò, ut cæteras plures regiones, Hellespontum nimirum, Joniamque cum adjacente Pelago, à Matronis Helle & Jω, denominabatur; ita & Pyreneos Montes à Pyrene insignire placuit. Quinimò ab Asia & Europa Nymphis, integras mundi partes denominare non dubitârunt. Illustrissimas proinde, antiquissimas simulq; castissimas, de quarum nominibus insignia regionum ac montium applicata, matronas judico. Celebratissima igitur Pyrene, minimè Alcidæ meretrix, concubina aut pellex; sed Primi potiùs Herculis honesta ac maritata conjux reponenda: atq; conditionis hujus historia cum Deboræ & Rahel sepulturis, à Patriarcha Jacobo apparatis, comparanda est. Gen. 38. v. 8. & 20.

Sed ambagibus dimissis, Herculis Primi antiquitatem, simulq; fidei maritalis exemplar inde collucescere, sufficit.

6. Herculem quoq; illum, qui inter accrescendi mundi initia, ex Galathea Celtarum cujusdam Reguli, filia præcellentissima, Galathen filium genuisse fertur; historiæ circumstantiæ, primum & antiquum censeri, evincunt. Berosus, licet cum Libyo confuderit, indaginem tamen reflectendi ostendit, inquiens: *Libyus 57. Duces genuit, quales fuêre: Scytha junior, Agathyrsus, Peucinus, Gython ex Araxa: Galathes ex Galathea: Atho ex Omphale, & quinquaginta Tospiades ex Armena.* Beros. lib. 2. circ. fin.

Galathea, juxta Diodorum Siculum, *Celtarum Regis filia, corporis magnitudine ultra naturæ modum, decoreq; cæteras excellens, cum viribus tum præcipuè specie elata, omnes, qui eam uxorem expetebant, contemsit, neminem suo matrimonio dignum existimans. Inde, quum Hercules bello adversus Geryonem venisset in Celticam, inq; ea civitatem Alexiam condidisset, admirata Herculis tum corporis præstantiam, tum virtutem, permissu parentum, ipsa virgo ejus concubitum expetivit. Juncta illi filium genuit nomine Galathen, qui coævos suos cum virtute animi, tum viribus corporis excessit. Vir factus, cum paternum regnum suscepisset, plures oras subdidit sibi propinquas, præclaris rebus gestis. Quumq; ejus gloria efferretur, subditos omnes à suo nomine appellavit Galathas; unde & regio Galathia dicta est.* Diodor. Sicul. lib. 4. & 6. passim.

(Tospis

(Tospis in Armenia Majori, sub monte Gordiæo, lacus est, ubi Hercules, orbem terrarum undiq; peragrans, ex 50. Aramæis puellis, totidem filios, à patria Tospiades vel Tespiades dictos, sustulisse fertur. Omnis autem accuratus historicus, genealogiam talem ab Ægyptiis corrasam, ad Japheti pertinere prosapiam, libero intuitu statim contemplari potest.)

7. Mannum porrò vel Alemannum, Herculem nostrum Primum, compositis rebus Ibericis, bobusq; puniceis sive Satrapis Geryonis abductis, atq; trans Celtarum regionem profectum, tradunt multos maleficos & impuros latrones obtruncasse, qui per monstra & feras varias significabantur. Multis quotidiè militibus ad castra venientibus, urbem Alesiam vel Alexiam condidit populosam & amplam, quam liberam fecit ac metropolin regionis. Deinde in Italiam pergens, Alpes fecit pervias, obtruncatis Principibus latronum, qui viatores trucidabant & diripiebant. Iter habuit per Ligusticam & Tyrrheniam, ad Portum Herculis tunc prius vocatum. Pervenitq; ad Tiberim. Hinc in Palatium parvum oppidum ita vocatum profectus, à Politio & Pinario primariis civibus in hospitium est exceptus. Quibus vaticinatus est: fore ut ea urbs (quæ postea Roma facta) plurimùm felicitate & opulentiâ præstiterit. Cacoëthes quoque, quo pueri ante statuam Saturni (juxta Ovidium) mactabantur, in mansuetiorem ritum commutavit; pro veris hominibus, apud Italos, simulacra hominum in Tiberim dejici, hortatus. (Næ morem illum prorsus sustulit) Synagogam instituit ibidem, ubi ex adversa plateia, longè post, Schola Græca disterminabatur. *Primus Hercules ille est, qui MUSEGETES* vocatus, templa Musis adsociata obtutus. Cùm ad Cumæam planitiem postmodo venisset, Phlegræam vocatam, ob ignem antiquitus scatentem, similes Gigantes invenit; qui, audito ejus adventu, in una castra convenerunt. Præliô ingenti commissô, Diis adjuvantibus, victoria penes fuit Herculem, qui multos ex hostibus trucidavit. Ajunt quoque, ipsum Herculem ad fines Rhegiæ Locridis pervenisse. Conf. Ovid. lib. 2. Fast. & Natal. Com. Mythol. lib. 1. c. 18. p. 65. & lib. 7. c. 1. p. 693.

8. Omnium accuratissimè & specialissimè Herodotus Halicarnasseus & C. Cornelius Tacitus scopum feriunt. Juxta priorem: *Scythæ Deos solos hos placant: Vestam quidem præcipuè, postea Jovem & Tellurem; Tellurem Jovis uxorem existimantes: post hos Apollinem, Cælestem Venerem & HERCULEM & Martem. Hos omnes*

mnes Scythæ Deos putârunt. Herodot. in Melpom. ſiv. lib. 4. num. marg. 107.

Quibus Tacitus quaſi ſuffragatus, de antiquitate Manni ſive Herculis Germanici, ex ipſo Majorum noſtrorum traduce, ita annotavit: *Celebrant antiquis carminibus, Tuiſconem Deum Terra editum, & filium ejus Mannum, originem gentis conditoresq́.* Et paulò poſt: *Fuiſſe apud Germanos & HERCULEM memorant; PRIMUMq́ omnium virorum fortium, ituri in prælia canunt.* Tacit. in Germ. c. 2. v. 1. & 8.

Juxta Xenophontem: *Hercules reputantur Saturnorum nepotes, & Jovum filii fortiſſimi.* Atqui Herodotus, *Scytharum Jovem ac Tellurem conjugem, cum Hercule commemoravit.* Quin & Tacitus: *Tuiſconem* (i. e. T-Aſconem) *Deum Terra genitum, & filium ejus Mannum* tanquam Gomeri, Germanici Saturni, fortiſſimum nepotem connotavit. Quis igitur ſanæ mentis ex Jove noſtro & Hercule, i. e. Aſcena & Manno, Græcos vel alienos Deos extorſerit; licet Majores noſtri peregrinos Deos nonnunquam conceſſerint; proprios tamen fundatores celebrârunt. *Sic Arminius Germanorum in lucis, ſigna Romanorum, Diis Patriis* (non alienis) *ſuſpendit.* Tacit. Annal. lib. 1. c. 59. v. 4.

Idem Arminius olim populares ſuos, per penetrales Germaniæ Deos, adhortatus. Idem Annal. 2. c. 10. v. 2.

Antiqui præterea Majores noſtri, ex Diis ſuis vetuſtiſſimis, vetuſtam originem demonſtrârunt, ut porrò Tacitus de Semnonibus obſervavit: *Vetuſtiſſimos ſe nobiliſſimosq́ Semnones memorant; fides antiquitatis religione firmatur.* Et paulò poſt: *eoq́ omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia gentis. Ibi REGNATOR omnium Deus; cætera ſubjecta atq́ parentia.* Idem Tacit. in Germ. cap. 39. v. 1. & ſeq.

Priora ut repetam: *Germani Herculem, Primum omnium virorum fortium* (quod ſingulari animadverſione attendendum) *ituri in prælia canunt.* Quo antiquitatis & virtutis reſpectu neque Libyus, neque Alcides accedere poſſunt. Idem Tacit. in Germ. cit. loc. c. 2. v. 8.

Unicus adhuc ſcrupulus ſupereſt: Cur Tacitus, utraq; qui deſignavit nomina, Mannum ipſum Herculem fuiſſe, non dilucidè expreſſerit? Verùm 1. nimis diſſipatæ antiquitati venia danda eſt. 2. Eadem heic ratio opponenda: cur Moſes, quod Semus Melchiſedecus fuerit, dum perinde utraq; nomina induxit, haud expreſsè addiderit?

derit? 3. καὶ ἐξοχὴν Mannus ſubintelligendus eſt Primus Hercules. 4. Licet non explicitè appoſitum, implicitè tamen per converſionem ſimplicem emergit; Hercules enim, qui Germanis antiquis omnium virorum fortium primus declaratur, nullus alius, niſi Mannus concludendus eſt. Qui apud pleroſq; olim Mannus, apud alios Hercules, apudq; nonnullos Hercules Alemannus, unus idemq; appellatus fuerat; ut D. Hieronymus & Euſebius diſtracta quamvis chronologia benè obſervârunt.

Juxta eundem porrò Tacitum, Hercules Majoribus noſtris celebratiſſimus olim prævaluit: Unde *Germani ſub Duce Arminio olim, nocturnam caſtrorum Romanorum occupationem auſuri, in ſylvam Herculi ſacram prius convenêre.* Et: columnæ Herculis apud Friſios perſiderunt. Locus hodiè inter Gröningam & Goverdam oppida clarus. Tacit. Annal. 2. cap. 12. v. 1. item in Germ. cap. 34. v. 3.

Ex aliis quoq; noſtratium Hiſtoricorum documentis, Mannum ſive Alemannum, Herculem Primum extitiſſe; quandoque vero, utrisque cognomentis appoſitis, Alemannum Herculem completè pronunciatum audiviſſe, eluceſcit. Unde Johannes Aventinus, & ex eo Wolffgangus Hildebrandus: Majores noſtros gladium Alemanni Herculis, inter myſteria adſervatum, Alexandro Magno miſiſſe, inſeruerunt. Vid. Joh. Avent. lib. 1. & Wolffg. Hildebr. in vit. Alex. M. p. m. 159.

Licetq; Beroſus, à Manno poſt ſeptem periodos, annô nimirum duodecimô Mancalai Aſſyriorum Regis, poſt diluvium 680. tunc demùm Alemanni Herculis memoriam introducat; atq; Aventinus & alii Herculem Alemannum, decimum vel undecimum Regem, à Manno ſeparent; attamen unus idemque perſiſtit. Memoria poſterior ſive remotiùs introducta, de ſtirpe ejus intelligenda eſt. Beroſ. lib. 5. Johan. Aventin. lib. 1. Annal. Boj. vid. evidentius ſup. lib. 9. cap. 9.

Diſcretè igitur Eliæ Schedii verba, Scriptoris coætanei celeberrimi, conſideranda ſunt: *Hercules Alemannus à pleriſq; Hercules Celticus eſt dictus. Hunc primitùs non adorarunt, ſed ſtatuam duntaxat in ejus honorem poſuerunt. Divus Hieronymus & Euſebius, hunc primum fuiſſe Herculem, autumant.* Conf. Hier. & Euſeb. alleg. ab Elia Sched. de Dîs Germ. p. 473. & ſeq.

9. Primum iſtum, quem nonnulli Mannum, alii Alemannum deſcribunt Herculem, poſt diſperſiones Babylonicas ex Aſia, in Eu-

ropam

ropam profectum, in itinere, ubique suam memoriam reliquisse, vastissimasq; Alpes exsuperasse &c. columnæ hinc inde positæ, ipsæque Alpes, ab ejus transgressu Herculeæ resonantes, abundè testantur. Alpes enim inexsuperabiles, Primus, juxta Tit. Livium & Justinum, transcendit Hercules. Galli deinde Herculis vestigia legentes successisse dicuntur. Ideò Hannibal secundùm Florum à Pyreneis montibus, Herculis columnas & Oceanum recuperasse, longè postponitur. Tit. Liv. lib. 5. circ. fin. p. m. 98. dec. 3. & 4. Justin. lib. 24. c. 4. Luc. Ann. Flor. lib. 2. c. 6 de bell. Punic.

In summo quoque Apennino haud procul à mari ibi fluctuante Ligurico, & confluente Adriatico, antiquissimum Herculis templum Μόνοικος (unde Hercules Monœcius appellatur) olim famosum extitit. Μόνοικος, porrò à Stephano Byzantino expresse Μένοικος per ε, id est, Meni ædes describitur. Vid. Liv. & Valer. Max. pass. & Steph. Byzant.

Obiter prolixius ire & Herculis nostri aliquo modo attingere laudes, haud abstinere possum. Sæpè celebratus claret viri fortis simulq; virtuosi vivax imago, contra pericula variasque tentationes virtute & constantiâ pugnantis. Quod divinum non humanum censetur donum; pericula tantùm pro Reipubl. salute subire, adversis rebus non terreri, non consternari; veluti noster in pacando orbe se exhibuit. Qui bella non in usum privatum; sed in communem hominum salutem, ad liberandum orbem à tyrannide & latrocinio, summa cum prudentia & moderatione finivit. Qui non in occupationibus & devastationibus regionum delectatus fuit, potiùs naturalibus hæredibus, fortem, ut bellatorem & victorem permitem decuit, recuperaverit, restituit; cujus est juxta illud Virgilii:

Parcere subjectis & debellare superbos.

Virg. lib. 6. Æneid.

Juxta Senecam Oratorem: *Hercules nihil sibi vincit; orbem quidem terrarum vicit, non concupiscendo sed vindicando. Quid vicerit? malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisq; pacator. At Alexander Magnus à pueritia latro, gentiumq; vastator, tam hostium pernicies, quàm amicorum. Qui summum bonum duxit, terrori esse cunctis mortalibus; oblitus non ferocissima tantùm; sed ignavissima quoq; animalia timeri, ob virus malum.* Senec. lib. 1. de benefic. c. 13.

Juxta Ælianum; *Singulari quoq; mansuetudine Herculem in hostes fuisse ferunt. Primum enim ante hominum memoriam mor-*

tuos suis ad sepeliendum reddidisse, atq; liberè securèq; eis cadavera permisisse; quum alioquin occisos parùm curare solerent, & canibus ad vescendum relinquere. Unde inquit Homerus: ἑλώρια τεῦχε κύνεσι *&c. Item alibi:* καὶ κυσὶ μέλπηθρα γενέσθαι. *Canibus sunt præda relicta &c. Et ut canibus fieret laniandi voluptas.* Ælian. var. hist. lib. 12. c. 27. Plutarch. in vita Thesei.

Nullum profectò laude & admiratione digniorem heroem, qui cuncta veri Herculis requisita obtinuit, ex Gentilibus, quàm Mannum nostrum (licet immixtum potiùs, quàm ritè explanatum) haurire quimus.

Tu eras antique Manne! Gomeri nepos, Hercules cognomine Primus, ab Ethnicis verò maximè confusus. Si reviviſceres, haud grates retribueres iis, qui falsâ opinione correpti, quasi in honorem tuum, latrones, homicidas, adulteros, scortatores, furiosos, maritarum & liberorum interfectores, αὐτόχειρας peculiari tuo cognomine affecerunt.

10. Quid tandem de te, Hercules Prime! prædicem? restat genealogiam tuam, juxta Regales imprimis prosapias decantare. Sed invidiosa vetustas posteritati certitudinem denegavit.

Communis tamen fama: Te, qui Mannus haberis, in hac generationis benedictione supra cæteros floruisse mortales, atq; LXX. liberos (quibus quoq; Noricus annumeratus fertur) reliquisse, extollit. Vid. Jac. Nic. Leonens. Epiphyll. lib. 5. c. 13.

Communis alioquin fama quamplurimos Herculeos filios decantat; qui communiter ac promiscuè Alcidæ attribuuntur. Juxta Lilium Gregorium Gyraldum LXX. filios reliquit. Vel, LXXII, ut Aristoteles scribit eo loco, quo aliquos esse parentes ait, qui non nisi mares filios procreant, ac inquit: De Hercule proditum est, qui inter duos & LXX liberos fœminam unam tantummodò genuerit. Ex quo illius omen in nuptiis felix. Sextus Pompejus, notante Festo, effatus: *Solvit vir cingulum HERCULANO NODO vinctum, ominis gratia; ut sic ille felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui LXX. filios reliquit.* Conf. Aristot. & Fest. alleg. à Lil. Gregor. Gyrald. peculiar. Syntagm. de Hercul.

Recenset quoq; ibidem Gyraldus nomina filiorum Herculis, ea quidem, quæ ex varia lectione colligere potuit. Vid. & Natal. Com. lib. 7. Mythol. c. 1.

Quid ni igitur Mannus vel Alemannus, Hercules noster Primus, utpote antiquior, & in secunda hominum generatione florescens, benedi-

nedictionis hujus procreandorum liberorum antesignanus consors vel præeximius prædicandus. Unde, tot speciales Alemannorum sive Germanorum nationes inveniri, non mirum.

11. Quod vitæ exitum attinet: apud Senecam Poëtam Tragicum, Hercules moribundus, beatam sibi vitam quasi vaticinans, in communi sic introducitur.

Et inter astra positus, evasi genus
Mortale tandem. Quis mihi cœlum parat?

Item post aliquot Ethnica figmenta interjecta:

— — Quis sonus nostras ferit
Cœlestis aures?

Et iterum paulò post:

Video nitentem Regiam clari ætheris
Phœbiq; tritam flammeâ Zonam rotâ.

Item rursus post plura Ethnica figmenta interjecta:

Jacuit sui securus, & Cœlum intuens
Quæsivit oculis, arce an ex aliqua Pater
Despiceret illum. Tum manus tendens ait.

Post aliquot retromissa:

— Spiritum admitti hunc precor
In astra. Nec me mortis infernæ locus;
Nec mæsta nigri regna conterrent Jovis.

Tandemq; post iterum Ethnica intermixta figmenta:

Vocat ecce jam me Genitor & pandit Polos!
Venio, Pater! Vultusq; non idem fuit, sc. discessit.

Senec. de Herc. Oetæo. Act. 4. Scen. 3. p. m. 327. item Act. 5. Sc. 1. p. m. 334. p. ss.

Quæ egregia verba, Gentilibus licet suppositititiis figmentis obscurata, rectè tamen si applicantur, ab orthodoxa intentione haud admodum dissonantia. Atq; ne meo saltem applausu subjacens materia tantoperè extolli videatur, religiosissimus concionator Valerius Herbergerus emphasi ut singulari sufficientiq; historiam emedullaret, recommendaret, commonefaceret, tractationi huic incubuit quàm diligentissimè. Vid. Herberg. suo loc.

Græci quidem omnia Primi celeberrimi Herculis opera, posterioribus suis ancipiti famâ præditis arrogantes, hoc quoq; loco, connotante Tragico, Oetæum illum furiosum sibiq; ipsi mortem con-

scifcentem fubornârunt. Sed quis fanæ mentis & accuratæ rationis, errorem perfentiens, ejusmodi precationes furiofo poftergato imputabit?

12. Tandem Herculis Primi antiquitas etiam difpalefcit ex memoria poft mortem, atque ex illa perantiqua confecratione cœlefti, Gentili more, Herculi tributa. Primorum enim heroum nomina, infignia & characteres, ad certum æternitatis monumentum, fideribus applicare primævi folebant.

Herculis proinde ftella, aliàs ἐγγόνασις, Julio Firmico Ingeniculum (alibi Nixus vocatus, quia dextro genu nixus, capitis Draconis dextram partem, opprimere conatur) undecimum fidus cœlefte declaratur. Vid. Jul. Firmic. lib. 6. Aftrolog. it. Carol. Steph. Lex. Hift. fub nom. Nix.

Quam antiquitatem, nec Libyo Ægyptio, nec Alcidæ Græco fubornari poffe, fed antiquiori, Manno nimirum vel Alemanno competere, ex pervetuftis aftronomiæ & aftrologiæ principiis collucefcit.

Itaque (quum juxta Ciceronem, veteres omnium animos immortales, fortium verò & bonorum divinos arbitrarentur) Hercules quoque, cujus jam inftituta parentatio, quoniam cuncta animi fui donis inferiora duxit, numero honoratus immortalium. Atque in fignum cœlefte tranfpofitus.

CAPUT XII. Extraordinarium.

De Libyo Ægyptio Hercule.

SI unquam Berofus ex Ethnicis compofitionibus ambigua relata retulerit, utiq; de genealogia fubfecutura Libyi potiffimùm perpetravit: *Annô Nini vigefimo, poft diluvium 270, refert: cum in Libya Camefenus regnaret, parit ex Rhea Sorore Ofirim five Ofiridem, quem cognominavit Jovem &c.* (Heic quoque, quod Ofiris aliàs non Camefenui, fed Jovis alicujus pofterioris filius declaretur, notandum) *fuccedente tunc tempore, annô Semiramidis primo, poft diluvium 501. oritur ex Rhea & Camefenuo in Ægypto, Juno Ægyptia cognominata Ifis maxima, frugifera, legifera, foror & uxor Ofiridis.* - - - Dehinc annô poft diluvium, juxta fupputationem Berofianam, propè 574, interitus fic infertur Ofiridis: *Tempore Balei fecundi, Typhon Ægyptius, orbis Gigantibus confciis, fratrem fuum Ofiri-*

Osiridem Jovem justum Ægyptium peremit, & ipse in Ægypto assumit tyrannidem. Berof. lib. 5. antiq. sub d. Regib. pass.

Ex his jam dictis germanis simul parentibus Osiride & Iside, Libyus procreatus traditur, annô post diluvium, juxta Joh. Annii Viterbiensis computum, 368. ætatis matris Junonis sive Isidis 67. - - - Sunt autem ejusmodi Johannis Annii Viterbiensis verba: *Rursus annô trigesimo secundo Jubalda, fuit septuagesimus quintus Abraha, Hercules Libyus ortus est, ante Græcum Heraclium annis fermè septingentis, qui Ægyptios annos fermè decem millia efficiunt. Ut Diodorus Siculus contra Græcos lib. 1. arguit.* Johan. Ann. Viterb. de antiq. Hisp. c. 6 de Jubald. 3. Hisp. Reg. p 296. b.

Relationi incidenter occurrit alia Gentilis compositio, & adversatur; quæ Osiridem, non Camesenui, sed Jovis cujusdam ex Niobe filium; atq; Jo postea Isidem, Inachi ex matre incerta filiam prodit, eorumque gesta dissimiliter recenset. Quorum utri fides danda sit, ambiguum.

Cæterùm commemoratus Libyus, propter ingentia facinora Herculis quoq; insignium promeruisse, atq; attestante decepto Berofo 57. *Duces genuisse, fingitur; qui sunt: Scytha junior, Thussus, Agathyrsus, Peucinus, Gython ex Araxa, Galathes ex Galathea, Atho ex Omphale, quinquaginta Tospiades ex Armena.* Berof. lib. 2. antiq. circ. fin.

Prædictæ matronæ, Araxa, Galathea & Omphale &c. quæ fuerint, ex aliis patet historiarum monumentis. Tospis, ut antea perceptum, in Armenia majori sub Gordiæo monte lacus est; ubi ex 50. Aramæis puellis totidem Duces à terra patria Tospiades (aliàs Tespiades) dictos, congeneratos fuisse, traditur. Mera heîc antiquorum Japhiticorum heroum colluvies, atq; cum Libyo mixtura, temporumve confusio emergunt. Hinc est, quod Scythas olim cum Ægyptiis de generis antiquitate diu contendisse, legimus.

Libyus porrò Ægyptius Hercules (in specie qui fertur Thebano-Ægyptius, priscis quidem temporibus perinde ortus) juxta Diodorum Siculum, *subactâ maximâ orbis parte, columnam in Libya posuit.* Diod. Sic. lib. 4. circ. fin.

Ac licet Putæi, Ethnicis forsan Phaëtontei aliàs Africani, in substrata materia de Libyo quodam fundati concedantur; ab antiquiori tamen illo, Sacris insignito, Leabim Mizraim filio satius exprimuntur.

Annis deinde post diluvium 580. usq; 600. regnante Balæo Secundo,

cundo, Babyloniorum Rege undecimo, ut insinuavit Berosus: *Libyus cognomine Hercules Osiridis filius cum Iside in Ægypto sustulit Typhonem in Phœnicia Busiridem, alium verò Typhonem in Phrygia, Milinum in Creta, Antaum in Libya, Lonninos in Celtiberia. Ex qua, substituto illis Rege Hispalo, ad Tyrannos Italiaconversus est. Cumq; in Italiam per Celtas transiret, permissu parentum, Galathea genuit illis Galathen Regem.* Beros. lib. 5. sub gest. Bal. secund.

Reliquis relatis suo in valore relictis, solius Galatheæ connubia Manno potiùs vel Alemanno Primo Herculi contigisse, ex ipsa vetustate animadverti fluit.

Libyus porrò, juxta continuationem Berosi, *in Italia decem annis debellavit & expulit Lestrigones. Postea 20. annos apud illos pacificè regnavit, multa illis oppida à suo nomine & à suo cognomine fundavit, & loca aquis impedita, habitationi hominum commoda fecit.*

Annô itaq; Balæi 41. post diluvium 595. orsus in Italia pugnam contra Gigantes, quos biennio ante obitum (sc. post diluvium 634.) delevit. *Ita Hercules ab Hispalis veniens in Italiam, Lestrigones & omnes tyrannos sustulit. Arnosq; Libarnos & Musarnos à se cognominatos condidit. Triginta annis rexit & accersitum Thuscum illis Regem reliquit.*

Tandemq; paulò post: *Altadis duodecimi Babylonici Regis tempore, Hercules filium Thuscum ex Arasia susceptum, ex Tanaide regione evocavit.* - - - Et iterum: *Hercules Thuscum filium Janigenis creat Coritum ex more. Quo illis Rege relicto, ipse senex admodum in Celtiberos revertitur, annô Altadis 10. post diluvium 636. & regnavit ibi atq; obiit, ætatis suæ 265. Cui Celtiberi templum ad illius Gades & sepulchrum & divinos honores tribuerunt.* Beros. lib. 5. sub gest. Bal. & Altad. Babyl. Reg. pass.

Plura memoratu digna describit Berosus, Latinis Historicis & aliquot Græcis consonantia. Cæterùm Hercules expeditionem ex Europa inde usq; in Libyam, haud contra suscepit. Utræq; licet columnæ, tanquam victoriæ signa, & in Libya & in Hispania positæ.

Scribit insuper Pomponius Mela: *Sepulchrum & templum Ægyptii Herculis ad Gades in Hispaniis esse, atq; senem Herculem ibi regnâsse & obiisse, Gadesq; columnas, hujus esse non Alcæi.* Pomp. Mel.

Hæc pleraq; Herculi Primo distracta, Libyo affícta, & ita confusa esse, verisimile apparet.

Clearchus Solensis rarus Græcus autor expreßè decidit: *Gades, prioris*

prioris cujusdam Herculis columnas esse; ad quas & Tyrius (sc. Ægyptius) *& Græcus postea Hercules accessissent.* Clearch. Solens. alleg. à Natal. Com. lib. 3. Mythol. c. 19. p. 275.

Quæ cum ita sint, haud satis demirandum, cur non puduerit Græcos, Heracliô suo Amphitryonis filio Alcidæ, qui, ut subinde apparebit, multis post seculis, tempore nimirum Eurysthei Mycænarum Regis floruit, plurima ejusmodi antecedentia facta attribuere. Falsò igitur Antæum & Geryonem, qui jamdudum Herculi Primo cesserant, occidisse finxerunt.

Antiquitatem Ægyptii Herculis, nullibi nervosius, æstimabilius & circumspectius, ac ex ipsis genealogiis Ægyptiis experiri potuisse ipsemet testatur Herodotus: *Ægyptii*, inquit, *non universi unos eosdemq; Deos similiter colunt, præter Isidem & Osiridem, quem Bacchum esse ajunt. Hos perinde universi colunt. Qui verò Mendetis templum obtinent, sive Mendesiæ provinciæ sunt, hi capris abstinentes, immolant oves. Thebani contra, item alii, qui propter illos ovibus parcunt, ajunt: ideò sibi conditam hanc legem: Cum Jupiter, quem Hercules aliquando convenire desiderabat, se monstrare noluisset, ni Hercules pellem villosam arietis, ad velandum Jovis caput, in abdito loco reposuisset; quô (ut factum est) involutus Jupiter se spectatum ostendit. Ob id instituisse Jovis simulacrum arietina facie, & ab Ægyptiis, Hammonios, i. e. Libyenses accepisse.*

Paulò post: *De Hercule porrò hunc ego exaudivi sermonem, quod sit unus ex Diis XII. Nam de altero Hercule, quem Græci norunt, nulla in parte Ægypti quidpiam potui audire; unde ejusmodi nomen non Ægyptii à Græcis acceperunt; sed Græci potiùs ab Ægyptiis. Et ii quidem hoc nomen filio Amphitryonis imposuerunt.*

Et iterùm paulò post: *Atqui vetustus Deus est apud Ægyptios Hercules, & ut ipsi ajunt, septendecim annorum millia sunt, ad Amasin Regem, quo autore ex VIII. Diis multiplicati XII. fuerunt; quorum Herculem unum censent. Quibus ego de rebus certior fieri cupiens, in Tyrum Phœniciæ urbem navigavi, quod ibi templum Herculis esse audirem. Quod & vidi opulenter ornatum cum multis donariis, tum verò duobus cippis; altero ex auro concocto, altero ex lapide Smaragdo, majorem in modum splendente per noctem. Veniensq; in colloquium cum Dei sacerdotibus, percontabar, quantum temporis foret, ex quo id templum fuisset exstructum; sed comperi, ne hoc quidem congruere cum Græcis, quippe dicentibus: ab urbe condita annorum duo millia & trecentos* (s. 192. solares.)

Vidi præterea Tyri, etiam aliud Herculis templum cognomine Thaſſii. Quin etiam in Thaſum profectus, ubi inveni templum à Phœnicibus conſtructum, qui ad inveſtigandam Europam navigantes Thaſum condiderunt. Quod quinq; virorum ætatibus prius fuit, quam Hercules Amphitryonis in Græcia exiſteret. Hæc, quæ commemorantur, planè declarant, Herculem vetuſtiſſimum Deum eſſe.

Eoq; videntur hi rectiſſimè facere à Græcis, qui bifaria Herculum templa ædificanda colendaq; cenſuerunt: uni quidem ut immortali cognomine Olympio immolantes: alteri verò ut heroi parentantes. Herod. in Euterp. ſiv. lib. 2. n. 46. & 47. fer. per tot.

Omnem primordialem hiſtoriam (unde & Primi Herculis antiquitas deſumenda) Ægyptios ad ſe traxiſſe; cæteros verò Gentiles ab iisdem petentes ſatis fabuloſam percepiſſe in confeſſo eſt. Primi igitur noſtri Herculis memoria cum Ægyptio illo inſimul confundi potuit. - - - Verba illa: *Ex VIII. Diis* (ſc. Ægyptiis) *multiplicati XII. fuerunt*, quorum Herculem unum cenſent; proximè accedunt.

CAPUT XIII. Extraord.

De Hercule Sardium Rege, Alcæi patre.

PAtriarchas Herculeos ſic dictos, Regum Gentiumq; fundatores denotare antiquiſſimos, patet etiam ex illo Hercule, Alcæi patre, Argonis avo, Nini proavo, Beli abavo, Sardium Regum proſapiæ fundatore.

Ab his (juxta Herodotum patrem hiſtoriarum) *alii Heraclidæ, imperium ex oraculo adepti, Jardanæ ſic dicti, ab ancilla & Hercule progeniti; idq; per quingentos & quinq; annos, duasq; & viginti virorum ætates tenuerunt. Filius deinde patri ſuccedens, usq; Candaulen Marſi filium.* Herod. in Clion. ſiv. lib. 1. in pr.

Supputatio adſcendens valdè grandæva aſſurgit: Candaules & Gyges floruerunt poſt diluvium 1600. Ante hos aliquot Regum periodi prætergreſſæ, ut apparet inde: *Filius deinde patri ſuccedens &c.* Ante has periodos, imperium Heraclidarum Jardanarum, ex ancilla & Hercule genitarum, 505. annos, ſive 22. ætates diverſorum ſuccedentium. Iſtis ſuperſederunt Belus & Ninus, ante hos Argon & Alcæus, cujus pater Hercules prænotatus.

CAPUT

CAPUT XIV. Extraordinarium.

De Alcide Hercule Græco.

Ollum pleraque anteriorum compedita facta, huic Alcidæ (qui perinde Alcæus nonnunquam depravatur) assuta fuerint; nil firmi fermè excerpendum video.

Macrobius noëma reliquit considerabile: *Nec existimes, Alcmena apud Thebas Bœotias natum, solum vel primum Herculem nuncupatum; imò post multos postremus ille hac appellatione dignatus est. Honoratus autem hoc nomine, quia nimiâ fortitudine, meruit nomen Dei virtutem gerentis.* Macrob. lib. 1. Sat. c. 20.

Juxta Catonem & Diodorum Siculum: *Græci, ubicunq; nomen Herculis audiunt, putant esse suum.* Juxta Herodotum: *Græci hoc nomen filio Amphitryonis imposuerunt; atq; templum Herculis Thasii quinq; virorum ætatibus prius fuit, quam Hercules Amphitryonis in Græcia existeret.* Cat. de Aborig. Diod. Sic. lib. 1. Herod. in Euterp. siv. lib. 2. num. marg. 46. & 47. vid. & Pomp. Mel.

Cæterùm annô post diluvium prope 1064. aute posteriorem expugnationem & devastationem Trojæ 69. juxta Manethon. *Annô sexto Amenophis Ægyptiorum Regis, Hercules, Amphitryonis filius, primus ex maximis piratis nascitur.* Maneth. supplement. ad Beros. sub gest. Amenoph Ægypt. Reg. vid. & Euseb. de temp. Priam.

Nativitas, quæ fabulosa, ita se habet: Cùm Amphitryon Thebanorum Princeps cum uxore sua Alcmena concubuisset, & subinde in expeditionem quandam digressus esset, protinus Jupiter sub forma mariti apparens, Alcmenam perinde compressisse fingitur. Quæ, quamvis à marito gravida facta, insuper tamen ex Jove iterum concepit, eodemq; parturiendi tempore, Amphitryoni Iphiclum, Jovi Alciden peperit. Juno verò soror & uxor Jovis Alciden istum tanquam nothum plusquam novercali & insatiabili odio prosecuta; innumeris malis, mediante potissimùm Eurystheo Mycenarum Rege, cujus famulus prædictus obtigit, extremis periculis objecisse componitur; unde omnibus malis à Junone propositis mascule superatis, ἡρακλέης sive ἡρακλῆς, ab ἥρα Junone & κλέος laude appellatus fertur. Amphitryonides, Alcmenides, Tirynthius, Trachynides à sede patria & multoties aliter cognominatus hinc & inde describitur. Vid. Hesiod. Virg. & Ovid. divers. loc.

Huic in incunabulis adhuc jacenti, duo horrendi à Junone immissi angues traduntur. Quos, naturâ vires administrante, simulq;

excellentis animi futuræque magnitudinis & virtutis indicia præsagiente, pusillis manibus strangulasse, Poëtæ commenti sunt. Nemo enim fit excellens, ut dici solet, nisi cui natura quasi suffragatur nascenti. Sic major ille Scipio Africanus, quali indole esset, adolescens in pugna ad Ticinum, patre ab hostibus liberato, declaravit; cumq; bellum ingravesceret Hispanicum, obstupefactis aliis ipse puer adhuc adversus Annibalem se belli Ducem professus est. Huc alludit alibi Ovidius:

Cæsaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cæleste suis velocius annis
Surgit, & ignavæ fert malè damna moræ.
Parvus erat, manibusq; suis Tirynthius angues
Pressit, & in cunis jam Jove dignus erat.

Ovid. lib. 1. de art. amand.

Hercules porrò à Lino in Grammaticis & reliquis humanioribus informatus, ab Eumolpo in Musicis, ab Atlante & Chirone Viris sapientissimis & optimis, in Astronomicis solidè edoctus. Luctam deinde ac artes ludicras ab Harpalyco Mercurii & Phanopes filio, ut sensit Apollodorus, comprehendit; jaculandi artem à Tautato Scytha, ut Isacius testatur. Alii à Rhadamantho hanc artem didicisse malunt. Alii dicunt, à Castore, armatum pugnare, observasse. Quare omnibus ingenuis artibus, à singulis quavis facultate præstantibus magistris, perfectè fuit institutus, ut Theocritus testatur. Vid. Theocrit. allegat. à Natal. Com. lib. 7. Mythol. cap. 1. de Hercul. p. 679. & 680.

Linum Herculis ictu obiisse nonnulli fingunt; Theocritus verò deflectit, Diogenes Laërtius, in Eubœa sagitta ab Apolline percussum, occubuisse, reponit. Diog. Laërt. in vit. Philos. in pr.

Sanè inter omnes constat, nihil Alcide isto fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus, ut in eo natura quid posset, videatur augurata. Juvenis nondum octodecim annis incredibili robore, Argonautas, consiliô & auxiliô Jasonis, coinstituere cœpit; ubi postea dolô, non bellô, Laomedontem Trojæ Regem, nihil ejusmodi suspicantem, noctu confodit. Cui Priamus ille famosus successisse perhibetur, annô post diluvium (licet alii dissentiant) 1076. ante Trojæ excidium 57. Rectissimè idcircò Manethon: illum ex maximis piratis primum fuisse, dicit. Admirabili quidem robore excelluit, sed vires gestis facinorosis impendit; atq; cum Argonautis profectus, omnia maris littora, ut insidiosus pirata, latrociniis & stupris collutulans magis,

gis, quàm collustrans, lustravit. Vid. Maneth. d. loc. Euseb. de temp. Priam. Pausan. lib. 9 it. Ann. Viterb. Com. in Maneth. p. 102. b.

Hercules noster Primus, ut & Libyus Ægyptius eò repositus, ab Alcide hoc Græco Heraclio, maximè differunt; quoniam Heraclius iste nulli parti orbis militavit, sed soli Eurystheo privato Regi. Argonautas quoq; non ad gentium salutem, sed perniciem instituit; exercuit enim circa littora piraticas excursiones, per insidias & dolos, non justi more belli. Ejus quoq; commilito Jason circa Colchos, littus excurrens, auxiliô & dolô præstitutæ Medeæ, aureum vellus furatus est, fugamq; piratico more iniit, ut Diodorus Siculus exponit, & fabulosa figmenta, quæ Græci de his dolosis sacrilegis, ad rem piraticam honestandam, confinxêre, detegit. Quo profectò falso honestamento usi sunt etiam in excursione piratica, circa Ilium; ubi noctu, ut supra annotatum, per dolosas insidias, Laomedontem Priami patrem peremerunt, nihil ejusmodi suspicantem. Item cum littus Africum percurrerent, non Antæum, qui jamdudum occubuerat, trucidarunt; sed pastorem quendam nomine Draconem, cui erant aureæ oves, i. e. fulvæ, vi ligârunt, eoq; cernente, tales rapuêre. Non militarunt igitur hominum Africæ saluti, qui Afros pacificos & innoxios oppresserunt. Pari modo, cùm Hispanicum littus percurrerent, falsò finxerunt Geryonem occidisse, qui jam præterierat, & Herculi Manno vel Alemanno cesserat, cujus ossa nominaq; permanebant in Hispania. Sed certè ab Hispanis cum Telamone atq; Argonautis fugatus Alcides, falsò cognominatus Hercules, adnavigavit in Iloan sive Ilvan Italiæ insulam, ex qua in Thuscum portum, juxta Turrhenam planiciem, classe profectus fertur. Vid. Diod. Sic. lib. 5.

Abinde porrò terrestri itinere, per Cyminios Lucumones, ad impium Evandrum Romam pergens, more piratico Faulam puellam sustulit; quanquam Verrius, præmium ejus fuisse, dicat. Et Cacum præpotentem Campaniæ Ducem Evandro tunc adversantem, adjuvantibus Arcadibus, in spelunca fugatum, igne ibidem succenso, crudeliter suffocavit; quapropter Cacum ignem exspuisse, ex mera ironia colluditur. Hisce perpetratis, timens Turrhenos solitam fugam iniit. Fugam ejusmodi & dolos ut honestarent, Evander & Arcades tradiderunt posteris: Cacum hunc fuisse latronem, Heraclii verò mascula virtute succubuisse. Atq; ut de Laomedonte & Colchica fuga, violentia in Draconem &c. ita etiam pari forma de Caco, multis fabulis mendacia contexerunt. Non ergò imperavit universo orbi Heraclius & Gigantes sustulit ab Ægypto, Phœnicia, Asia, Italia

& Hispania, quæ regiones tunc temporis legitimos Reges sequebantur, & nullos tyrannos aut Gigantes noverant. Sed cum Argonautis piraticam, dolis, insidiis & maleficiis, exsecutus, maximi piratæ nomen apud Chaldæos sortitus est. Vid. Ann. Viterb. Com. in Beros. lib. 5. p. 72. usq; 74.

Supra insertum fuit: Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia &c. Unde Cicero Cæsarem, quod seipsum vicerit, ita in cœlum extulit: *Animum vincere, victoriam temperare, adversarium nobilitate præstantem, non modò extollere, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem. Hæc qui faciat, non modo ego cum summis viris comparo; sed etiam simillimum Dei judico.* Cic. in Orat. pro M. Marcello.

In Hercule Alcide autem, ut incidenter ac obiter connotem, Lactantius, Ciceronem plagio literario quodam imitatus, talia viri fortis requisita desideravit ita: *Nulla tanta vis est, quæ ferro aut viribus non debilitari frangiq; potest. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortissimi est. Hæc* (sc. Alcides) *nec fecit unquam, nec potuit. Hæc qui faciat, non modo ego cum summis viris comparo, sed etiam simillimum Dei judico.* Et paulò post: *Non enim fortior est putandus, qui leonem, quàm qui violentiam & in seipso inclusam feram superat iracundiam: aut qui rapacissimas volucres dejicit, quàm qui cupiditates avidissimas coercet; aut qui Amazonem bellatricem: aut qui fimum de stabulo, quàm qui vitia de corde suo egerit. Quæ magis sunt perniciosa, quia domestica & propria mala sunt; quàm illa, quæ vitari possunt & caveri. Ex quo fit, ut ille solus vir fortis debeat judicari, qui temperans est moderatus & justus.* Lactant. lib. 1. de fals. relig. c. 9. de Herc. Alcid.

Promiscua autem Herculis facinora ita cum discrimine, ne interseptis benemeritis ejus injuria fiat, arguenda. Nonnunquam enim magnanimi quoq; viri delinquunt, ut ex historia Alexandri Magni aliorumve patet. Quæ exempla haud imitationis, sed consolationis, nobis esse debent.

Secunda de prædicto Heroe Isocrates encomia designat: *Hercules,* inquit, *cum vidisset Græciam fervere bellis & seditionibus, sapienter prius illis malis sopitis, & pace inter urbes prudenter factâ, demonstravit posteris, quibus sociis adscitis contra quos bella gerenda essent. Nec enim otio & languori se dedit, sed expeditione adversus Trojam susceptâ, quæ tum in Asia potentissima erat, tantò Dux præstantior fuit iis, qui longè post eandem devastarunt. Illi, totius*

Græciæ

Græciæ viribus contractis, vix anno decimo expugnarunt: Hic paucioribus diebus, quàm illi annis, cumq; paucos omnino milites haberet, facilè per vim cepit. Et deinde, Reges Gentium in utraq; Asiæ ora accolentes, universos occidit. Quos nunquam interempturus fuisset, nisi & copias illorum vicisset. His rebus gestis columnas illas, quas Herculeas vocant, constituit, ut & tropæum Barbarorum essent, & monumentum virtutis suæ ac præliorum & ditionis Græcorum limitum. (De hujus Alcidæ columnis etiam Diodorus Siculus alibi forsan, non in Libya neq; Gadibus positis recenset.) Isocrat. in Orat. ad Philip. p. m. 249. Diod. lib. 4.

Magnam quoque Hercules consecutus est laudem, astrorum sphærâ in Græciam allatâ, quam Atlas Mauritaniæ Rex, atq; Hercules Primus olim invenerant. Eaq; de causa dictus est alter Atlas humeris sustinuisse cœlum.

Quis multifaria permixta facinora enarrare compos? valdè laboriosus insimul Hercules evasit. Cyminium enim paludosum lacum perfodisse, Augiæ item stabulum fimo confertissimum expurgasse traditur. Unde in excusatione inconvenientis cujusdam negotii: *Respice labores Herculis*, adhuc relictum adagium.

Augias Rex Elidis bovile habuit 3000. boum capax, nunquam ante Herculis adventum, alii supra 30. annos nunquam purgatum; Cui Hercules, certo evacuandi precio pacto, Alpheum fluvium immisit; quo perfluente immensum illum fimum, quem egerere tam tædiosum, quam laboriosum nimis fuisset, nullo propemodum negotio eluit. Peracto labore cum pactam mercedem exigeret, tergiversante Augia, Phylæum filium ejus arbitrum delegit. Qui, cum secundum Herculem pronunciasset, pulsus à patre in Dulichium insulam fugit. Quam rem ægerrimè ferens Hercules, Elim diripuit, & Augiam interemit, revocatumq; Phylæum patris loco regnare jussit. Vid. Com. in Hom.

Juxta alios: Regis Augiæ stabulum aula habetur luxu perdita ac plurimis vitiis inquinata, quam occiso tyranno Hercules expurgavit.

Alium porrò rivum Acheloum (quem fabulæ perniciosum Gigantem in varias se formas transformantem finxerunt) sæpe extra ripas diffluentem & adjacentes agros devastantem, aggeribus & aquarum ductibus declinavit. Acheloi autem in taurum conversi cornu ab Hercule elisum, & cornu copiæ effectum, significat ubertatem agrorum abundantiamq; omnium fructuum. Eo enim in loco, ubi

Ache-

Achelous rivus stagnabat, agri Calydoniorum exsiccati facti sunt fructuosissimi. Vid. Georg. Sabin. Com. in Ovid. Metam. divers. loc.

Alcides porrò Eurysthei jussu, adsociato Theseo, Amazones debellavit. De quo supra locupletius.

Alcides præterea, quamvis reliqua monstra viriliter superaverit, Veneri succubuit. Quemadmodum enim Omphalæ (quam alii quidem Primo attribuunt) Lydiæ Reginæ prius, ita & postea Jolæ nimium servivit. Jolen autem Euryti Oechaliæ Regis filiam, patre, qui denegaverat, occiso, rapuit; ejusque amore tanto occæcatus est, ut ea jubente leonis spolium & clavam deposuerit. Quodq; turpius, inter Jolæ pedissequas, cultu fœmineo indutus nere & filare non erubuit. Unde proverbium, si quando vir fortis muliebri se amori subjicit: Hercules servivit Omphalæ sive Jolæ &c. promanavit.

His de servilibus operibus, quàm elegantissimè Seneca Poëta Tragicus concinuit:

Fortem vocemus, cujus ex humeris leo
Donum puellæ factus, & clava excidit,
Fulsitq; pictum veste Sidonia latus?
Fortem vocemus, cujus horrentes comæ
Maduere nardo? laude qui notas manus,
Ad non virilem tympani movit sonum,
Mitrâ ferocem barbarâ frontem premens?

Pro Hercule iterum opponitur:

Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrâsse Thyrsum, cum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbaricum trahit.
Post multa virtus opera laxari solet.

Baccho forti Deo non fuit rubori, crinibus diffusis hastam pampinis involutam vibrâsse, & veste muliebri longè caudata indutum fuisse. Senec. de furent. Herc. Act. 2. Scen. 3.

De Megara Alcidæ conjuge ejusmodi percipiuntur. Cum Erginus Orchomeniorum tyrannus Thebanos tributo premeret gravissimo; Creon Thebanorum Princeps filiam suam egregiam Megaram Herculi eâ lege, si patriam liberaret, desponsavit. Quo præmiô inductus Hercules bellum Orchomenis intulit, urbeq; eorum expugnata, tyrannum interfecit, victorq; Thebas reversus Megaram uxorem duxit, aliquotq; liberos ex ea procreavit. Postea verò absente aliquando Hercule (Græci descensum ad Inferos, Cerberi auferendi gratia,

gratia, fingunt) pessimus quidam relegatus hostis Lycus regnum Thebanorum occupat, & Megaræ concubitum efflagitat, abnuenti plagas minatur. Cujus fidem, constantiam & animositatem Seneca Tragicus ita decantat:

Gravent catenæ corpus & longa fame
Mors protrahatur lenta, non vincet fidem
Vis ulla nostram. Moriar, Alcides! tua!

Senec. de furent. Herc. Act. 2. Scen. 3. circ. med. p. m. 198.

Interea oportunè reversus Alcæus, Lyco superato, castissimam liberavit Megaram. Sed proh miserabilem fortunæ mutationem! Interfectis latronibus Hercules Zelotypo Dæmone (mythologi furorem animi ab invidiosa Junone immissum adstruunt) agitatus fidelissimam conjugem cum liberis crudeliter trucidavit. Postea conscientiæ stimulis agitatus, doloris impatiens, vix Amphitryonis atq; Thesei precibus, ne sibi mortem inferret, detentus. Tandem, cum Theseo, Athenas purgandus proficiscitur, cujus desperata verba citatus Poëta ita subinfert:

Quem locum profugus petam?
Ubi me recondam, quave tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persicus
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox
Tagusq; Iberâ turbidus gazâ fluens
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus?
Hærebit altum facinus. In quas impius
Terras recondes? Ortum an occasum petes?
Ubiq; notus perdidi exilio locum.
Me refugit orbis. Astra transversos agunt
Obliqua cursus. Ipse Titan Cerberum
Meliore vultu vidit.

Senec. cit. loc. Act. 5. Sc. ult. in fin. vid. & Hygin. in fab. c. 32.

Alcides deinde tristissimi casus oblitus, Deianiram duxit Oenei Ætolorum Regis filiam speciosissimam, sed valdè iracundam. Memorabilis inde pœna talionis in eundem quæ recidit Alciden, commonstratur. Nessus enim Centaurus aliquando Deianiram amni Eveno transvehendam commissam, libidine tentans, ab Hercule circa littus versante, venenatis telis confossus, moribundus hâc versutiâ usus ultusq; inventâ: vestem suam sanguine perinde venenato adspersam,

Deianiræ occultè insinuans, vim maritalis amoris ei inesse persuasit. Unde Deianira Herculi furtis protervis, i. e. adulteriis semper gaviso, aliquandoq; apud Jolen commoranti, venenatam tunicam splendidè ornatam, haud malâ intentione, per Licham famulum transmisit. Quam cum induisset fortè sacrificaturus, adjuvante flammâ, protinus infectus Hercules; sed antequam venenum ingravesceret, Licham acerbissimi muneris inscium translatorem Euboicum in mare projecit; deinde doloris impatiens ex summo cruciatu seipsum in ignem præcipitavit.

Deianira quoq; Nessi fraude intellecta, sibimetipsi peræq; mortem conscivisse, traditur. O inconstantiam fortunæ! & humanæ fortitudinis abusum! ita Heros ille invincibilis vitam finisse, conscribitur. Eusebius verò inquit: *Cum in morbum pestilentem incidisset, ob impatientiam dolorum se in flammas projecisse, miserrimèq; esse defunctum anno ætatis suæ 52.* (licet alii tantummodò 30. contendant) post diluvium 1116. ante Christum 1200. Vid. Virg. it. Ovid. lib. 9. Metam. fab. 1. usq; 5. Senec. Poët. Trag. de Hercul. Oetæo per tot. Euseb. de temp. Priami.

CAPUT XV. Extraord.

De Herculeis monumentis & columnis.

PRæsentaneum de Herculeis monumentis & columnis tractans capitulum, subsequentia miscellanea, cuilibet pro arbitrio secernenda promiscuè suppeditat.

Ad memoriam æternam vindicandam, inter alia remedia æstimabilia, ne dicam mundi miracula, non solùm civitates, turres, arces gentiles, Geschlechtshäuser/ Pyramides, Obeliscos, epistylia, fornices, pontes, portas & porticus invenerunt; sed columnas etiam, colossos, statuas, Janos, templa, aras, epitaphia, tropæa, cippos, metas, terminos, numismata, & id genus alia, anteriores præstruxerunt antiqui, principales & venerabiles.

Inter quos Bacchus (qui terrarum orbem pervagatus, coloniisque doctrinæ, agriculturæ & novelleti notitiam dispertitus, à nonnullis Noa visus) & Hercules fortè primus haud ultimum locum obtinuerunt.

Alexander M. itaq; Bacchi & Herculis facta, metas & terminos ultra usq; Indiam (juxta Curtii & Justini testimonia) superare ausus.

Curtius

Curtius ita expressit: *Alexandro fines Indiæ ingresso gentium Reguli occurrunt imperat facturi; illum tertium Jove genitum ad se venisse memorantes: Patrem Liberum atq; Herculem fama cognitos, ipsum coràm adesse cerniq;.* Item: *Perventum erat in regionem, in qua Hydaspes amnis Acesino committitur. Hinc decurrit in fines Sabiorum, qui de exercitu Herculis majores suos esse commemorant: pelles ferarum pro veste, & clavæ pro telo erant.* Item: *Alexander in oratione ad milites: nihil deinde, præter has gentes* (Oxydracas scil. & Mallos) *obstare, quo minus terrarum spacia emensi, ad finem simul mundi laborumq; perveniant.* Et paulò post: *Herculis & Liberi Patris terminos, transituros illos, Regi suo, parvo impendio, immortalitatem famæ daturos.* Q. Curt. lib. 8. & 10. p. m. 253. & lib. 9. pass.

Eumenes quoq; (secundum Justinum) contra Antigonum, Argyraspides Alexandri invincibilem relictum exercitum ita alloquitur: *Solos esse, quorum virtute oriens sit domitus, solos, qui militiam Liberi Patris, qui Herculis monumenta superârint; per hos Alexandrum Magnum factum; per eos divinos honores & immortalem gloriam consecutum.* Justin. libro 14. capite secundo, v. 9. & 10.

Neque silentio prætereunda sunt, quæ in Münsteri Cosmographia Germanica aucta & Basil 1614. impress. de columnis Bacchi, Herculis & Alexandri sine ulla licet citatione autoris authentici, comprehensa extant. Quæ latina reddita ita se habent: In Sogdiana monumenta reliquerunt, aras nimirum, columnas & urbes, Bacchus, Hercules, Cyrus, Semiramis, Alexander &c. Porrò: Alexander etiam Indiam eò usq; penetravit, ut tropæa quoque Herculis & Liberi accesserit, quæ statuæ erant aureæ. Quibus parentatis Alexander plus ultra perrumpere tendit, quum objiceretur ei, neq; Herculem neq; Liberum ulterius fuisse conatos. Sebast. Münst. lib. 7. Cosm. c. 58. de Sogdian f. 1493. & c. 70. de Ind. f. 1513.

In Herculis columnis Indica & Gaditana adagium illud: HUC USQUE insculptum fuisse traditur. Indicæ Alexander Magnus insatiabilis mundi luctator aliam columnam, cum inscriptione contraria hujusmodi PLUS ULTRA opposuisse traditur. Vid. Plin. & Plutarch. suis locis.

Ubi columnæ Herculis erectæ fuerint, non satis convenit inter Scriptores; quoniam Dicæarchus, Eratosthenes, Polybius & Græcorum Scriptorum complures, in Euripi angustiis erectas dixerunt.

Hispani verò & Afri, Gades esse putârunt; quod sensit etiam Dionysius in his:

ὑμεῖς δ' ὦ Μοῦσαι σκολιὰς ἐνέποιτε κελεύθους
ἀρξάμεναι στοιχηδὸν ἀφ' ἑσπέρου Ὠκεανοῖο.
ἐν θά τε καὶ στῆλαι, περὶ τέρμασιν ἡρακλῆος
ἑστᾶσι (μέγα θαῦμα) παρ' ἐσχαλόωντα Γάδειρα.

Obliquas narrate vias mihi, ducite Musæ
Oceani Hesperiis agentibus incipientes
& fines. Ubi sunt erectæ fortè columnæ
Herculeos (mirum) juxta suprema Gadeira.

Dionys. in libell. de sit. orb.

Fuit antiqua Imperatorum consuetudo, ad quæ loca extrema cum exercitu vel classe penetrassent; ibi aliquando expeditionis suæ relinquere monumentum. Sicut Bacchus columnas duas magnas erexit in Oriente. Alexander Indicæ militiæ terminos & aras, apud extremos Indos constituit atq; ordinavit; super quibus vota Diis immortalibus persolvit, ut testatur Strabo lib. 3. Vid. citat. Autor. allegat. à Natal. Com. edit. Hanov. 1619. lib. 7. Mythol. cap. 1. de Hercul. p. 689.

Arrianus Nicomedensis Hammonis Imperatoris Carthaginensium navigationem ultra columnas Herculis diligentissimè descriptam, in templo Saturni depositam fuisse, ostendit. Hannibalem quoque ultra columnas illas Gaditanas navigasse, asserit Herodotus. Arrian. Nicomed. Tract. de Libyo. navig. allegat. à Natal. Com. lib. 3. Mythol. c. 19. p. 278. & lib. 5. c. 7. p. 463. Herod. in Melpom. siv. lib. 4. num. marg. 104.

Juxta Isacium fuerunt sanè Herculis columnæ, quarum altera Alybe, altera Abena (aliàs Abyle & Calpe) in Occidente, ab ipso Hercule ex ære exstructæ; in quibus scriptum fuerat: NON PLUS ESSE ULTERIUS PROGREDIENDUM; ac si nullum littus post illas columnas inquirere liceret: quia amplissimum & infinitum prope spacium Oceani navigandum relinqueretur. At Caroli V. ejus nominis, Romanorum Imperatoris jussu, PLUS ULTERIUS navigatum est, multaq; fertilissima loca, eaq; totâ Europâ non minoris ambitus, inventa. In quibus more ferarum adhuc, sicut ante Orphei tempora, homines vivebant. Non defuerunt tamen, qui non columnas, sed montes fuisse, arbitrati sunt: quorum alter

alter in extrema Europa à sinistra, alter in extrema Africæ parte, à dextra, ex Oceano redeuntibus sese offerant. Qui cum essent altissimi, illis, qui Mare Mediterraneum ingrederentur, columnis persimiles è longinquo apparebant. Scriptum reliquit Clearchus Solensis: has Beatorum insulas fuisse, juxta Herculis Briarei columnas, ad quas in Gades, & Tyrius & Græcus postea Hercules accessit. Isac. & Clearch. Solens. allegat. à Natal. Comit. lib. 3. Mythol. cap. 19. p. 275.

(Quis Briareus iste Hercules, Tyrio & Græco antiquior fuerit, nondum compertum habeo. Alibi prætulit ipse Natalis Comes: *Briareus Jovi, adversus Palladem & Junonem & Neptunum & reliquos Deos, qui in Jovis tyrannidem conjurarunt, fuerat auxilio, ut testatur Homerus Iliad. 1. Hesiodus in Theogon.* Natal. Com. lib. 2. Mythol. c. 1. p. 90.)

Quid porrò de Herculeis columnis Gaditanis sentiendum, sequens paradigma ostendet. Quum nihil dictum aut factum sit, quod non prius, immortalis quoq; gloriæ cupidus Carolus V. Romanorum Imperator, auspiciis suis & actis autoritatem protendens, magnitudinem suam ac præstantiam, duarum HERCULEARUM COLUMNARUM symbolô & picturâ præfiguravit. Fuerunt autem veteres Herculeæ columnæ promontoria duo septingentis passibus ab invicem distantia: alterum in Mauritania versus Africam, cui nomen Abyla; alterum in regni Granatici ora versus Hispanos, cui Calpe nomen. Per quorum intervallum subit latratus maris, quem Gibraltar sive sinum Sevillanum aut Hispalensem nuncupant. Fabulantur Poëtæ, hoc angiportu quondam stetisse magnæ molis rupem, istàc maris transgressum prohibentem; qua Herculis viribus beneficioq; sublata, iter Oceano factum esse: Et ad tanti boni monumentum erectas ab illo duas columnas ferunt, in duabus illis præcipuis orbis partibus Africa & Europa. Enimverò, ut studuit diligens vetustas, monumentis, pyramidibus ac fornicibus, præclarè gesta expeditionesve suas ab oblivione vindicare: Sic Hercules profectionibus modum illic ponens (quemadmodum & Alexandrum fecisse scribunt) columnas memorabiles creditur erexisse. De quibus non planè constat, naturâne illic factæ, aut arte, aut vi structæ. Verum hoc quidem, stetisse illic fanum, in quo sacrificium obtulisse certò traditur Annibal, dum bellum in Italiam pararet. Ubi etiam columnas duas erectas fuisse certum est, summâ altitudine, summâ pulchritudine.

Limes orbis vulgò dictus est, ultra quem navigasse prius ferunt neminem usq; ad Caroli V. tempora; dum lustratis ab eo, ac Lusitanorum classibus repertisq; Fortunatis insulis, cum opulentis gentibus, usq; in Orientis & Occidentis partes penetravit. Cujus rei gratia & ut præstantiam ac magnitudinem actorum in posteros latè longèq; testaretur, Imperator Symbolo hoc: PLUS ULTRA, usus est, amplissimam spem sibi tribuens usq; deq; penetrandi. M. Claud. Paradin. in Symb. Heroic. Symb. 13. p. m. 19.

Subjacenti huic materiæ Matthæus Dresserus quoque assurgere voluit: *Prout Carolus V. talem impressit monetam: PLUS ULTRA; Quo significavit novas insulas, quas Peru vocant, à se occupatas, contra Herculis elogium: NON PLUS ULTRA.* Matth. Dress. Isag. Hist. in Millenar. VI. cap. de Carol. V.

Sed ipso Carolo V. Mediomatricum vulgò Mez vel Metam Lotharingiæ Metropolin frustra obsidente, Henricus II. Rex Galliæ in ludibrium: PLUS RETRO, cum disticho subsequenti affigi curavit:

Herculis optasti longas transire Columnas,
Siste gradum Metis! hîc tibi Meta datur.

Sic & in ludibrium Ducis de Bovillon:

Si metam nescis, urbs est, quæ Meta vocatur.

Post Bacchum igitur Hercules, Hanno, Hannibal, Alexander Magnus, & Carolus V. sibi invicem æmulantes, singuli alterius facta superare conati sunt. Vid. Marc. Anton. Sabellic. lib. 6. cap. 6. de æmulat.

CAPUT XVI.

De Nomine Alemannico.

MAnnum vel Alemannum Herculem Primævi Patriarchæ Gomeri nepotem, atque ipsius Ascenæ primogenitum extitisse, ex abundanti nomen Alemannicum generale nostratium testatur. Qui enim apud Prophetam Meneh & Ascenas veteris Armeniæ accultores designantur, hodie in patria nostra Tuiscones quasi Te-Ascones & Alemannos nuncupatos colligimus. Jer. 51. v. 27.

Anno post diluvium juxta supputationem Berosianam 306. *apud Rheni-Sarmatas regnavit filius Tuisconis Mannus*, qui usque ad 680. annum post diluvium, & ad tempus Mancalai continuans, impli-

implicitè & intricatè satis à Beroso describitur. Sed Johannes Annius Viterbiensis ita commentatus: *Mannum successisse Tuisconi etiam Tacitus de situ & moribus Germanorum refert. Ab isto fluvii Alemanni quasi Alvei Manni nomen descendit. Ale enim Scythicè docti Talmudistæ alveum interpretantur, à quo & Alemannos cognominari, nemini dubium esse potest.* Beros. lib. 5. sub gest. Semir. & Mancal. p. 49. & 82. Joh. Annius Viterbiens. Comment. ibidem.

Plurimi ab antiquo Ebræo nomine *Elam* sive *Alam*, id est, juvenis fortis, & *Manah* componunt. Unde Philippus Melanchthon hisce verbis fidem facere allaborat: *Etsi nomen Alemannum vicinum est, atq; Alanorum gentem in occidentem effusam esse constat, non affirmo tamen inde factam esse appellationem Alemannorum. Cæterùm Etymologia dulcis est Aleman ab Elam, quod est juvenis fortis, veluti Alma virginem denotat.* Unde Alemannum, id est, fortem Mannum vel Herculem; & Alemannos, id est, fortes Mannos consonantes, non absurdè colligimus. Phil. Melanchth. part. 2. lib. 3. Chron. p. 60. b.

Nonnulli Alemannorum primam mentionem in historia Imperatoris Probi anno Christi circiter 280. Romanis innotuisse, referunt. Vid. Peucer. lib. 4. Chron. p. m. 53. Petr. Albin. tit. 3. Chron. p. m. 33. & 37.

Sed Berosus & Aventinus gentem nostram multò antiquius id nomen gessisse remonstrant, atq; *Meneh* vel *Manni*, unde *Alemanni* denotati, pro ingenti & antiquo populo à spirituali Propheta Jeremia accipiuntur. Beros. & Aventin. passim. Vid. & Jeremiam citato loco.

Etiam apud Latinos autores id nomen antiquius apparet. Tit. Liv. enim Gentii Regis & Almanæ civitatis mentionem annô post diluvium 2134. ante Christum 180. ut colligere offertur, hisce verbis intulit: *Ita Gentii Regis parata societas &c.* Et paulò post subdit: *Ad Almanam civitatem pervenit, & in ripa fluminis Axii posuit castra circa Debusan.* Tit. Liv. lib. 4. Dec. 5. Vid. & Wolffg. Laz. de migrat. gent. lib. 5. de Celt. fol. 171. lit. a.

CAPUT

CAPUT XVII.

De diversis nominis Alemannici compositionibus.

CÆteros quod diversos degeneresq; nominis Alemannici natales contingit, unde genti nostræ universæ id nomen attributum, inter aliquos autores non convenit; atq; non minus ac de prioribus diversæ & multifariæ dissensiones suggestæ sunt.

1. Nec fundamentis & rationibus planè destituti esse videntur ii, qui utraque nomina Germanicum & Alemannicum tanquam sola honoris insignia habent; atque à Gar sive Ger, id est, totus, vel potiùs Gern & Mann / id est, cupidus generositatis, animositatis: Alterum ex All & Mann conflatum existimant, quasi nihil in ipsis, nisi quod virtutem quandam & animi magnitudinem præ se ferat, reperiatur. Vel quod contra acerrimum patriæ hostem signa tollere & manus conferre semper paratissimi extitissent. Atque talem distinctionem inferunt: quod Germani nostratium superiores; Alemanni verò inferiores; utrumque enim vocabulum gentem prorsus virilem denotare; qui conjunctim Tuiscones appellarentur. Hinc ortum vetus illud dicterium:

Wer im Krieg will Unglück han/
Der fangs nur mit den Teutschen an.

Arum. de jur. publ. Limn. de LL. Reinking de R. S. J. & E.

Adstipulatorem habent historiographum perinsignem Stephanum Byzant. Alemannos describentem populos Germanis vicinos, habitantes juxta Lemanum lacum. Distinctionem sic formant. Alemanni ita appellati forent patrio vocabulo, experti alteros populares suos, transitô Rhenô sedes mutâsse, seq; totos omnes veluti viros ostendisse; atque ob id sibi hoc nomen Germanus quasi Garmann imposuisse; ipsi imitati eos, seque, quod fortissimi bellatores & viri omnes esse & haberi vellent, Alemannos quasi Allemänner appellaverunt.

Egregia de nomine Alemannico allusiva Periphrasis; derivatio verò si salutaretur, fabulosa. De utrisq; enim nominibus antiquiora & acceptabiliora principia adsunt.

2. Haud pauci reperiuntur sentientes, à prædicto lacu Lemano quasi Adlemanos dictos esse; de situ autem ipsius dissentiunt. Nonnulli putant, hunc esse lacum Genevensem, plurimi tamen Altmühl

in Sue-

in Suevia. Extare & hodiè Alemannorum agri veteris nomen ſupra Brigantium & lacum Acronicum vulgò das Allgau quaſi Allmanngau. Vid. B. Rhenan. in Tacit. it. Stephan. & alios.

3. Alemanni perplacent aliquibus quaſi Adelmänner. Ut Germanni toti viriles, ſic Alemanni omninò nobiles & ingenui viri ſunt nominati per ſyncopen DE & epentheſin E. Adelmanni/ Alemanni reſonantes. Conrad. Celtes, indeq; Chriſtian. Becman. manuduct. ad Latin. ling. ſub nom. Aſcenaz. p. m. 204.

4. Reperitur & aliud genus dicentium, quemadmodum multa alia nomina, ut Marcomanni, Cœnomanni &c. invenirentur, ita & Alemannos fuiſſe tantùm peculiarem nationem gentis noſtræ.

5. Alii à Barbaris populis Alanis detorquere conantur ob ſimilitudinem vocis. Cui opinioni etiam adſtipulatur Caſparus Peucerus, vir aliàs præclariſſimus, multoſque aſſeclas reliquit: *Alani,* inquit, *ſuperatis anguſtiis Hercyniæ ſylvæ* (ſuperioris ſcil. quæ vulgò Martiana dicitur, der Schwartzwald) *in mediterranea ſeſe diffuderunt. Ab his Alemannos non diſcerno, quorum nomen in hoc migravit, exiguâ mutatione.* Nec longè infra repetit: Hi nimirum Alani, quos Alemannos habuit, *Rhætorum & Suevorum nominibus abolitis, ſuum in ea loca importârunt. In quibus ſeſe rurſus aliquando poſt Suevorum nomen extulit, illo viciſſim obtrito.* Cenſentur hodiè Suevi & Wirtenbergenſes. Caſp. Peuc. lib. 4. Chron. in princ.

Sunt autem Alanorum potiùs Albanorum (multifariè enim deſcribuntur) pars non procul à Conſtantinopoli, quorum tanta ſub Duce eorum Scanderbech virtus excelluit, ut adhuc toto terrarum orbe celeberrima, libertatem quoq; & Eccleſias usq; ad præteritum ſeculum retinuerint.

Dion Alanos à Maſſagetis propagat in hiſtoria Adriani, ubi Alanos ait Mediam invaſiſſe ac diripuiſſe, Pharaſmano Duce. Quæ vox ex Germanici nominis depravatione nata, idem ſignificat, quod Warmann. Conſimilem Gallici Scriptores Pharamundum habent. Sunt igitur Alani gens Gothica. Eosdem ad Mæotidem paludem Germanis, Dacis & Getis Dionyſius admiſcet.

Τῶ μὲν πρὸς Βορέην τετανυσμένα φῦλα νέμονται,
(πολλὰ μαλ᾽ ἑξείης Μαιώτιδος εἰς στόμα λίμνης.)
Γερμανοί, Σαρματαί τε Γέται θ᾽ ἅμα Βαστάρναι τε,
Δάκων δ᾽ ἄσπετος αἶα καὶ ἀλκήεντες Ἀλάνοι.

Illius quidem ad Boream extensæ gentes distribuuntur,
(Multas valde emisisti in os paludis Mæotidis.)
Germani & Sarmatæ, Getæ simul & Bastarnæ.
Dacorum verò immensa regio, & robusti Alani.

Dion & Dionys. allegat. in Chron. Carion. part. 3. exposit. & auct. à Casp. Peuc. p. m. 46.

Qui forsan à Ptolemæo Alauni appellantur, & in vetus Noricum reponuntur. Est & apud Marcellinum longa Alanorum descriptio. Bella cum Hunnis gesserunt tempore Valentis. Vid. Dionys. & Ptol. divers. loc. It. Marcell. lib. 21. per tot. & alibi.

6. Nec desunt effari haud erubescentes: *Alemannos* ita coinquinari à colluvie hominum omnis generis, quasi allerley Mann / id est, promiscuam multitudinem, quæ cucurrit olim ad libertatem recuperandam, propter tyrannides Romanorum Ducum. Agathias à Græca voce dictos esse scribit, quasi Ἀλήμονας, id est, errantes seu vagabundos. Agath. allegat. in Chron. Carion. part. 2. exposit. & auct. à Philip. Melanchth. p. m. 6. Beatus Rhenanus propter eandem rationem ab ἀλήμεναι verbo, quod errare significat. Unde Alemanni quasi Ἀλήμονες, errantes, vagabundi. Vid. Beat. Rhenan. in Tacit. alleg. à Matth. Mart. lex. Phil. sub nom. Alem. Vid. & Scapul. Lex. Græco-Lat. col. 108.

7. Nonnulli etiam Alemannorum proventum Gallicum esse contendunt. Unde Geographiæ vir inclutissimus Philip. Cluv. seductus in hæc verba erupit: *Alemanni Gallorum fuêre colluvies sub Cæsare Augusto, quum Morobodnus Marcomannos Sedusios & Harudes, in Bojohemum seduceret, in horum fines inter Danubium, Rhenum ac Mœnum transgressi.* Phil. Cluv. lib. 3. Geogr. c. 3. Vid. & Matth. Mart. Lex. Phil. sub nom. Alem.

Longâ revulsione in his omnibus prædictis opus non erit, sapiens lector ipsemet pro arbitrio judicet. Insigniter quidem notandum, gentem nostram apud veteres historicos sæpissimè cum Gallis Cis- & Trans-Alpinis fuisse confusam, unde multiplices errores facillimè sese insinuare potuerunt. Tales & si quæ aliæ restarent deductiones vel potiùs seductiones & ridiculas imaginationes aliis ad ventilandam relinquam.

Quod nomen Alemannus generale sit nostratium præter superiora allegata Vopiscus expresse testatur. Insuperq; vicinorum præsertim Gallorum & Anglorum ut & Italorum aliquando ac Hispanorum

rum vocabulum Alemannus de omnibus nostratibus promiscuè retinentium consensus confirmant.

Jure igitur meritoq; Scaliger: *Hæc est Judæorum & vetus & nupera opinio, Zarphat esse Galliam, Sepharat Hispaniam, & Ascenen Alemanniam.* Scalig. lib 7. de emend. temp.

Cum autem firmissimè constet, hoc nomine omnes nostrates indigitari; falsum commentum reputandum est illud, à colluvie omnifariorum populorum detorqueri. Tacitus ipse subsidium administrat, inquiens: *Ipse opinionibus eorum accedo, qui Germanos populos nullis aliarum nationum connubiis infectos, sed propriam & sinceram & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur.* Tacit. in Germ. c. 4.

Connotandum adhuc est, nomen Alemannus apud priscos Scriptores non adeò frequens, apud vicinos verò Gallos præsertim atque Britannos usitatissimum celebrari.

Inveniuntur etiam cum duplici ll. sæpenumero Allemanni assignati; prior verò scriptio magis arridet.

Alemannos tandem à Manno Ascenæ sive Tuisconis filio provenire decantatissimum & ab antiquitate acceptissimum est. Huic succedit determinatio virilis & animosa tanquam à viris fortibus ac strenuis, ut allusiva. Si enim conjecturare licet quoniam *Man* vel *Manah*, id est, perfectus origine Ebraica est, atque longè ante linguarum confusionem in sua significatione viguit, unde & Ascenæ filius hoc nomine Mannus dictus reperitur; insignium illud per antonomasiam in nomen & vocabulum appellativum transiisse, posteaque in communem honoris titulum Mannhafft oder Mannvest adhibitum fuisse, haud absurdè quis statuet. Mannum enim honoris gratia virum appellant fortem & strenuum. Unde porrò credibile est, nomen illud ad aliarum gentium egregias appellationes, in terminatione finali sese extendisse, quemadmodum Normannos, Marcomannos definitos fuisse ferunt.

Qui mos transnominationis nostratibus usq; & semper haud inusitatus extitit, ut antea de vocabulo Theut allegatum. Et quod recentius: à Carolo illo Magno honorificum nomen Kerle/ quo animosus designatur quisquis, promanavit.

Cæterùm gens nostra ab Ebræis & Orientalibus *Aschenazim*, unde Ascanii, audiverunt. Græci & Latini Scriptores *Tuiscones* postea verò frequentius Germanos reposuerunt.

Nos invicem vocamus Teutsche. Itali & Hispani *Todescos* vel

etiam *Alemannos* pronunciant. Galli & Angli semper Alemannos. Poloni *Niemcos* & Hungari *Nemet*, quod utrumque nomen ab antiquis *Menis* per metathesin vel transpositionem literarum descendisse, vero haud dissimile est.

Sistant nunc, quæ de gentis nostræ primævis patriarchis indagaturus eram. Si successivè quis aveat, investiget Johannem Aventinum, Eliam Reusnerum, Wolffgangum Lazium & alios recentiores plures.

CAPUT XVIII.

De Ascena sive Tuisconis filiis in communi.

T*Uiscon Gigas Germanorum ac Sarmatarum pater. Cujus undecim filiorum hæc posteritas; 1. Mannus. 2. Ingevon. 3. Istevon. 4. Herminon. 5. Marsus. 6. Gambrivius. 7. Suevus. 8. Vandalus. 9. Hunnus. 10. Hercules* (forsan Herulus) *11. Teutanes.* Beros. lib. 2. arbor. prim. geneal. p. 15. a.

Jam dicti fundatores primo post diluvium seculo progeniti, summam ob antiquitatem ipsius Noæ, quia in ejus arbore repositi, filiorum instar ab aliquibus visi.

Sed notandum, quod Noa solius Tuisconis, non aliorum natos, filios sibi adoptaverit. In quo præcellunt Germani ac Sarmatæ; qui dicuntur nunc Tuysci: Sarmatarum autem populi sunt Poloni, Gothi, Russi, Prussiani, Daci & hujuscemodi. Ann. Viterbiens. Com. ibidem.

Rectè proinde Tacitus, licet prius Mannum dictorum jam Heroum congenitorem falsò assumserit, in continuatione tamen à Deo scil. Tuiscone ortos fuisse expressè ac decisivè hisce verbis concludit: *Celebrant carminibus antiquis Tuisconem Deum terra editum & filium ejus Mannum, originem gentis, conditoresq́. Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingevones, medii Herminones, cateri Istevones vocantur. Quidam autem licentia vetustatis, plures Deo ortos, pluresq́ gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalos affirmant, eaq́ vera & antiqua nomina.* Tacit. in Germ. cap. 2. v. 3. usque 6.

CAPUT

CAPUT XIX. Reiteratum.

De Manno Ascenæ primogenito.

MAnni primogeniti descriptio, quantum cognitu reparabile, jamdum antea præcessit.

CAPUT XX.

De Ingevone Ascenæ secundo filio.

I*Ngevon* à doctis Talmudistis dissipatus, vagus exponitur. Vitam proculdubio longævam cum aliis tunc temporis Patriarchis consumsit. Huic juxta Berosum: *anno octavo Zameæ quinti Babylonici Regis post diluvium 350. Mannus concessum regimen cessit.* Beros. lib. 5. sub gest. Zam. p. 53. b.

Ipsi Ingevoni Tuisconis filio nomenclaturam ominis causa obtigisse; eaq; propter more Scythico vagas habitare ædes, posteros docuisse traditur; quem ædificandi modum aliquando in fixa etiam patria, Germania nimirum nostra constitutos adhuc continuâsse, ipse Tacitus observavit: *Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est; nec pati quidem inter se junctas ædes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem connexis & cohærentibus ædificiis. Suam quisq; domum spacio circundat, sive adversus casus ignis remedio, sive inscitia ædificandi.* Ann. Viterb. Com. in Beros. Tacit. in Germ. cap. 16. v. 2.

Quidam ad nomen, fato singulari ita formatum ac inditum alludentes, Germanicè Ingewohner / oder Eingewohner interpretantur; ac si Ingevon primus ad habitacula licet dissipata & incomposita condenda, descendentes impulisset.

Casparus Peucerus & alii: *Ingevones* indigenas, inhabitatores αὐτόχθονας ad differentiam Vandalorum, i.e. proficiscentium: Nonnulli quasi Innenwohner / sc. juxta Tacitum *Mediterraneis proximiores*, respectu *Istevonum* remotiorum, der äusserſten Wohner explicuerunt. Comprehendebantur autem secundum Plinium sub Ingevonibus instabili patria nostra dislocatis, *Chauci, Saxones, Pharedones, Frisii, Batavi, Mattiaci, Chamavi &c.* Casp. Peuc. part. 3. Chron. lib. 4. p. m. 14. & 16. Plin. lib. 4. c. 14. p. m. 6. dec. 3.

CAPUT XXI.

De Istevone Ascenæ tertio filio.

ISTEVON, quid in lingua Orientali significet, investigare nequii, neque Berosus in successionibus Regum, nec alibi ulterius mentionem ejus fecit. Casparus Peucerus & alii antiquitatum Germanicarum indagatores solertissimi per gentes *Istevones*, Westwohner vel satius äusserste Wohner enodârunt. Tacitus ac præcipuè Plinius complures inde nostratium cohortes denotârunt: *Sicambros nimirum Tencteros, Ubios, Usipios, Bructeros, Quados, Angrivarios, Tubantes, Busactores, Vangiones, Nemetes &c.* Vid. citatos Autor. divers. loc.

CAPUT XXII.

De Herminone Ascenæ quarto filio.

HErminon, Latinè vigil perfectionis enodatus. Ipse vel posterius ejus Regius specialis sive ὁμώνυμος *anno primo Aralii Septimi Assyriorum Regis post diluvium 411. apud Tuiscones rerum potitus vir declaratus ferox animi.* Beros. lib. 5. sub gest. Aral. p. 57.

Iste forsan disciplinam militarem Germanis proposuit acerrimam, de qua Tacitus ejusmodi verba adornavit: *Acies per cuneos componitur, cedere loco, dummodò rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis prœliis referunt. Scutum reliquisse, flagitium, nec aut sacris adesse, aut consilium inire, ignominioso fas est; multiq; superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt.* Tacit. in Germ. c. 6. v. 8. & 9.

NB. Corpora denotant cohortes, turmas, ut alibi Tacitus enucleat: Semnonum magno corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant. Tacit. in Germ. c. 38.

Chronologi nuperiores Herminones allusivè bellatores: Alii Heerdwohner / Mediterraneos interpretantur. Sub quibus accensi *Hermunduri, Catti, Cherusci, Marcomanni, Lygii, Arii, Elisii, Quadi & hujuscemodi &c.* Vid. Plin. & Peuc. citato loco.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De Marso Ascenæ quinto filio.

MArsus Orientalibus idem est ac Princeps consiliorum. *Mares* enim Princeps & *Hus* consilium, ut Hieronymus & docti Talmudistæ emodulârunt, significant. Hunc ergò primum Germanis dedisse consilia, cœtusq; Principum & consulendi instituta introduxisse, nominis omen arguit. Berosi reminiscentia: *Ac si annô Balei Xerxis octavi Babyloniæ Regis, vigesimô, post diluvium 471. apud Tuiscones sceptrum capessisset Marsus,* ad præcipuum regimen circulare, reflectenda est. Beros. lib. 5. sub gest. Bal. Xerx. p. 62. a.

Plinio quoque ac Tacito sæpiusculè, Marsi (in patriam nostram quando licet transgressi) innotuerunt & Marsingii. Saxonicâ linguâ *Epirotas* significant, id est, continentem mari contiguam vel terram humidiorem ac palustrem habitantes. Inde Marsos allusivè conjecit Casparus Peucerus: *Appellatos maris accolas quasi Epirotas ad differentiam Holsatorum nemora incolentium. Inde sunt Ditmarsi, Stormarsi, Wilstermarsi & Crempermarsi. Diversorum populorum nomina & Teutonum & Marsorum in Sylla meminit Plutarchus. Hodiè Ditmarsos vel Titmarsos Teutonum & Marsorum veterum reliquias esse judico.* Vid. Plin. & Tacit. divers. loc. it. Peuc. p. 3. Chron. lib. 4. p. m. 18.

CAPUT XXIV.

De Gambrivio Ascenæ sexto filio.

GAmbrivius sive *Ganbrivius* Orientalibus idem ac coronatus ab Umbris consonat: *Gun* enim sive *Guni* periti Talmudistæ Scythicis vel Aramæis dictionibus *coronam vel coronatum,* atque *Beri,* id est, Umbros & piacula nubium exponunt. Omnes autem Gomeri posteri, ut in præcedentibus tractatum *Umbri* cognominabantur. Hinc *Gambrivium* sive *Gunbrivium* qui corona, insigni Regio, omnium Gomeri posterorum consensu superbiverit, primum fuisse evincit. Berosi mentio hoc de Gambrivio reiterata: ac si *annô Belochi Decimi Assyriorum Regis 12. post diluvium 531. apud Tuiscones gubernium aggressus fuisset &c.* haud aliter ac de regimine circulari assumenda est. Beros. lib. 5. sub gest. Beloch. p. 65. a.

Genti-

Gentiles Gambrivii, qui subinde in Belgio, Flandria, Artovia, Hennegovia & his vicinis consedere, feruntur. Vid. B. Rhen. Com. in Tacit. German. cap. 2. v. 5. Plin. nat. histor. Johann. Aventin. & alios sl.

CAPUT XXV.

De Suevo Ascenæ septimo filio.

SUevus *septimus Tuisconis filius* Orientalibus elevatus, velatus, nostra quoque vernacula sublimis est atque emergens, schwebend/ empor schwebend/ multifariorum, qui in varias subinde sedes transmigrârunt, populorum fundator extitit. Berosi connotationis: *ac si anno Balei secundi, Babyloniorum Regis undecimi, 25. post diluvium 579. Suevus apud Tuiscones regnâsset &c.* idem ac de prioribus sensus est. Beros. lib. 5. sub gest. Bal. secund. p. 70. a.

De Suevis Tacitus ita consignavit: *Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Cattorum, Tencterorumve gens; majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis nationibus nominibusq; discreti, quanquam in communi Suevi vocentur.* Paulò post: *Vetustissimos se nobilissimosq; Suevorum Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur.* Iterum paulò post: *Ibi regnator omnium Deus, cætera subjecta atq; parentia. Adjicit autoritatem fortuna Semnonum, centum pagis habitantur: magnoq; corpore* (id est, magnâ copiâ) *efficitur, ut se Suevorum caput credant. Contra Longobardos paucitas nobilitat, quod pluribus ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prœliis & periclitando tuti sunt. Reudingi deinde & Aviones & Angli & Varini & Eudoses & Suardones & Nuithones fluminibus ac sylvis muniuntur. Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in communi Hertam, id est, Terram Matrem colunt, eamq; intervenire rebus hominum, invehiq; populis arbitrantur.* Tacit. in Germ. cap. 38. 39. & seq. Vid. & Plin atq; Strab. divers. loc.

CAPUT XXVI.

De Vandalo Ascenæ octavo filio.

VAndalus ille prior, cujus Etymologia Orientalibus ignota, Germanis Wandeler sonat, an Tuisconis verus an adoptivus habendus

dus filius, in medio relinquitur; à plurimis pro vero statuitur. Posterior verò qui juxta Berosum *anno Altadis duodecimi Babyloniorum Regis, 12. post diluvium 618. apud Tuiscones regnâsse* offenditur, pronepos ejus perinsignis habendus est. Beros. lib. 5. sub gest. Altad. p. 77 b.

A primo acquirente non solùm Vandalos prodiisse, sed Vindelicos etiam Suevorum vicinos, nomen est argumento. Vindelici namque Vandalisci sunt, quia id nomen apud diversas nationes mutatis vocalibus variari solet. Ad Etymologiam sive allusionem potiùs quod attinet: Wandeln inquit Casparus Peucerus *Germanicâ linguâ usitatissima & notissima idem est, quod peregrinari. Nec repugno, si quis Vandalos ideò nominatos esse existimet, qui negociorum ac commerciorum commutandorum causâ longa susceperint itinera, & diversas obirent terras. Ingevones verò fuerint coloni & agricolæ, qui colenda terra domi, ut Vandali negotiatores foris evehendis, invehendisq; commerciis, victum quæsiverunt. Hermionum vox bellatorem sonat; hanc indicatam judico partem gentis deditam militiæ indeq; viventem; quod vetustissimâ consuetudine Germanicâ militârint, & suis & alienis stipendiis domi forisq;* Item paulò post: *Vandalis continebantur Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Tenuerunt olim prope Poloniam & Vistulæ caput, sedes Pomeranorum & Megalburgensium, Prutenorum & Saxonum ex parte.* Casp. Peuc. part. 3. Chron. lib. 4. p. m. 14 & 17. vid. & Plin. atq; Tacit. divers. loc.

CAPUT XXVII.

De Hunno Ascenæ nono filio.

H*Unnus* proculdubio Tuisconis, qui non solùm Germanorum pater naturalis, sed etiam Sarmatarum celebratur legalis, adoptivus præsupponendus; idem ac Castrensis vel castrametatus audit. *Sonus vocabuli congruit cum verbo Chanah,* quod castra ponere vel metari significat, inde *Hunni castra* ponentes. Joh. Carion. p. 2. Coron. lib. 3. it. Phil. Melanchth. comment. ib. p. 123. b.

De Hunno fundatore Berosus in recensionibus genealogicis præfatus quidem; sed in regnorum successionibus nullam ulteriorem mentionem repetiit.

Gentiles, quos Ptolemæus χῦνοι nuncupat, notissimi. Qui quondam

dam ex Scythia Europaea & sedibus supra Maeotin relictis, ingenti multitudine, temporibus Valentiniani A. C. 440. Duce Attilâ, totâ penè Europâ pervagatâ, Galliam, Italiamq; foedissimis cladibus affecerunt; donec Leonis Pontificis precibus permoti, rursus in Pannoniam se receperunt. Vid. Ptol. Procop. Marcell. Sigon. & Jornand. de reb. Gothic.

CAPUT XXVIII.

De Herulo Ascenae decimo filio.

HErulus, qui aliquando errore forsan manuscriptorum vel Typographorum Hercules annotatus, pariter Tuisconis adoptivus saltem reputandus filius, proptereaq; à Beroso ex subsequenti Germanicae genealogiae descriptione exclusus. Ab eo potentes olim famosiq; populi Heruli, Rugii, aliiq; Arctoi maris accolae progressi.

Quorum Dux audacissimus Odoacer A. C. 472. trajecto Danubio Italiam invasit & occupavit, 13. Augusti ab exercitu Rex Italiae proclamatus, non ita multò post Placentiae Orestem Gothicum Regem enecavit. Romam cepit & Augustulum purpurâ exutum imperio se abdicare coegit. Tandem à Theodorico ad convivium vocatus, insidiosè trucidatus, A. C. 493. Vid. Procop. Jornand. Marcell. Cass. Diac. Evagr. Cedren. Niceph. Onuph. Sigon. & Golz. in Elench. Reg. Sicil.

CAPUT XXIX.

De Teutane Ascenae undecimo filio.

TEutanes Hieronymo & doctis Talmudistis *gloria* videtur *palloris* ab Orientali *Teu* vel *Teudas*, i. e. laus, gloria, laudator, & *Taam* vel *Tanam*, i. e. pallor sive pallens.

Huic forsan pallidulo genito ejusmodi nomen ominis causa inditum fuisse non discordat. Unde cum subpallidi plerunq; haud abs re versutiores habeantur, ita & eundem virum adolevisse sapientissimum tradidêre permulti, qui & ipsum Mercurium extitisse superaddiderunt. Quod Berosus de eo, quemadmodum de aliis confratribus: *Annô Mamiti decimi tertii Babyloniorum Regis 22. post diluvium 660. apud Tuiscones Teutanem regimen accepisse &c.* annotaverit, praecellens omninò ex ipsius posteritate subintelligendus est antistes. Beros. l. 5. sub gest. Mamit. p. 80. a.

Caete-

Cæterùm ut patet, inter antiquos universales Tuiscones interq; hujus ultimi geniti specialem prosapiam Teutanes vel Teutonos alibi Teutonoares, Teutonier dictos, maximè distinguendum est. Quos Plinius atque Tacitus Ingevonibus prope Suevos & Pharedones sive Suardones, Schweriner/ annotârunt. Ubi hodiè Prignitium & Episcopatus Havelburgensis in der alten Marck. Vid. Plin. & Tacit. diverf. loc. Lucan. lib. 6. it. supr. c. 3. extraord. huj. lib. per tot.

Heic porrò notandum: subsecutis post diluvium aliquot seculis. Gentili idololatriâ increbescente; Teutanes sive Teutates, ut refert Strabo linguâ Gallicâ, utpote Germanicâ *dictus est Mercurius, qui ab illis humano sanguine placabatur; nam pro victimis homines immolabant, eaq; ad sacrificia Druidis ministris utebantur. Alii immani magnitudine simulacrum habebant*, (quod nonnullibi Hermen-Seul sive Irmen-Seul computatur) *ad cujus artus sive membra viminibus & laqueis vivos homines alligabant. Quibus succensis examinabantur* (exanimabantur.) *Quosdam prius sagittis configebant, & intra sacras ædes patibulo suffigebant.* Strab.

Unde præposterô nonnulli conceptu *Teutanem* sive *Teutatem* ideò gloriam palloris collatum & perversè collaudatum putant, in laudem quoniam idoli victimandi homines effusione cruoris juxta illud Lucani pallebant:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutanes, horrensq; feris altaribus hæsus.

In nonnullis exemplaribus est Hæsus nomen proprium. Lucan. lib. 1.



LIBER X.

De ACQUISITO VIRTUOSO ET MAXIME GENERALI NOMINE SCYTHICO ET QUÆ SUB ILLO COMPREHENSA.



Opulorum nominum differentia in prioribus absolutè suscepta fuit. Quæ (1.) vel Patronymica sive gentilicia & innata. Vel (2.) acquisita, virtuosa & innovata. De prioribus hactenus, quoad possibile, tractatum. Restat nunc, quomodo identidem mortalibus permulta inserviant nomina, & quidem latissimè diffusa; quæ tamen non gentilicia neque minus Patronymica, quia nec parentes nec certam originem denotant, sed ob gesta, virtutes ac mores adoptata, atque idcircò haud ineptè generalissima populorum insignia nuncupanda sunt. Quorum ad gentem nostram spectantia duo: Scythicum, magis generale: & Gallicum sive Celticum, minus generale, reperiuntur. Vid. sup. lib. 2. c. 2.

CAPUT I.

De nominis Scythici Etymologia.

ETymologiam Scytharum, id est, Venatorum, der Schützen/ Teutonicam esse, atque abinde reliquis Japhitis applicatam, communi Doctorum sententia statuitur. Vid. Phil. Melanchth. & Casp. Peuc. in suis Chron. it. alios recent. plur.

Huc indigitâsse existimatur Divus Propheta Jesaias dè conversione Ethnicorum sic scribens: *Veniet tempus, ut congregem omnes gentes & linguas, tum venient & videbunt gloriam meam. Ponamq; in iis signum, & mittam ex iis, qui evaserunt ad gentes Tharsis* (Ci-

sis (Ciliciæ) *Put & Lud* (Africæ & Lydiæ) ad Sagittarios, zu den Bogen-Schützen/ *& ad Jubal & Javan* (i. e. Italiæ & Græciæ) *ad insulas remotas, quæ non audiverunt prædicationem meam, neq; viderunt gloriam meam.* Jes. 66. v. 18. & 19.

Dictæ Prophetiæ emphaticè respondet & ulterioris indaginis considerationem instauravit Apostolorum Phosphorus, vocabulum Scytha pro plerisque Gentilibus innumeratis copulatim referens: *Et induentes Novum Eum, qui renovatur ad agnitionem Dei, secundum imaginem Ejus, qui condidit illum. Ubi non est masculus nec fœmina, Gentilis sive Græcus & Judæus, circumcisio & præputium. Nec Barbarus Scytha, servus, liber &c. sed omnia in omnibus Christus.* Paul. ad Col. 3. v. 10. & 11.

Berosus Scytharum istorum Japhitarum olim quoque Philosophiæ qualiscunque deditorum nomen, genus & antiquitatem in Armenia declaravit. Quibus Sagas, id est, Sager / vates interfuisse non semel intimavit, ut: *Scythæ rectè dicunt & appellant Noam, omnium Deorum Majorum & Minorum Patrem & humani generis autorem & Chaos & semen mundi. Titæam vero Aretiam, id est,* Erde. *In quam semen Chaos posuit, & ex terra cuncti prodierunt.* Beros. lib. 1. in fin.

Item secreta mysteria *solis Sacerdotibus Scythæ Armeni commendant; neq; fas est illa ullis inspicere aut legere, quàm solis Sacerdotibus & inter Sacerdotes duntaxat. Ex quibus illis primùm Sagæ nomen fuit inditum, quod est Vates, Propheta, Vaticinator. Idcircò etiam apud Persas communi nomine Sagæ dicti, & Armenia, ubi habitaverunt, Armenia Saga.* Citat. Beros. libro 5. passim.

Deniq; Berosus *Scythicam historiam primordialem* nuncupat. Lib. 4. in fin.

Hisce ex prædictis Scythas olim doctrinarum artes exercuisse apparet, deinde verò propter bella & militaria negotia, quibus solummodò post occupati, studia iterum, ut fieri solet, neglexisse consentaneum. Quapropter doctissimus Anglicus Nicolaus Fullerus Scythas à Persis Sacas per antiphrasin quasi reprehensos esse, adserit: *Scytharum gentes bellicosissimæ semper erant, creberrimisq; expeditionibus undiq; in exteras regiones admodum dediti. Atq; inde cunctos Scythas à Persis Sacas appellatos fuisse opinor; à Schakak sive Schak, id est, discurrendo, quod passim populabundi ex-*

currere essent soliti; vel potiùs à Sach vel Sachsah, quod multitudinem denotat, & commissuram. Si ambæ sententiæ justificandæ offerrentur ritè ac propriè: Scythæ illi Sciti vel Sagæ olim meditantes, postea per antiphrasin militantes Sacæ evaserunt. Vid. Nic. Full. miscel. sacr. lib. 2. c. 4. p. m. 171.

Alioquin etiam reperiuntur Sacæ, à quibus nonnulli Saxones derivare non dubitant, ut peculiaris Scytharum natio annotata. De quibus vide Herod. lib. 2. 3. 7. pass. Ptol. lib. 6. cap. 13. Plin. lib. 6. cap. 7.

Cæterùm militare Scytharum insignium omnium fermè Septentrionalium populorum & Japhitarum generale ac universale accrevisse probatissimorum historicorum scriptis confirmatur. Unde Ethnici antiqui omnes homines à Scythis prodiisse putârunt, ubi præcipuè fragmenta Catonis sic resonantia vigent: *Et in Scythia Saga renovatum mortale genus.* Et paulò post: *Siquidem principatus originem semper Scythis tribuitur, à quibus auctis, colonias per orbem missas ferunt.* Fragment. Caton. de Aboriginibus.

Justinus: *Scytharum gens antiquissima semper habita, quanquam inter Scythas & Ægyptios diu contentio de generis antiquitate fuerit, multis tamen argumentis, superatis Ægyptiis, antiquiores semper Scythæ visi* Justin. lib. 2. c. 1.

A Magog propriè Scythæ vel Tartari Orientales, quorum Imperator Magnus Mogul: à Mesech vel Mosoch Moscovitæ: à Gomero verò maximi plurimique Scythæ Septentrionales, non solùm Tuiscones; sed etiam Sarmatæ, quorum Imperator Chunchris Chan, vel Kan salutatur. Quod insignium cum nostro König/ ab uno eodemque fonte, radice & origine nimirum Können provenire, proptereaque ab antiquæ Germanicæ linguæ prosapia non abludere videtur.

Justinus porrò amplitudinem Scytharum, mores, laudes, continentiam & justitiam describens, ejusmodi sensum adornat. *Scythia autem in Orientem porrecta, includitur ab uno latere Ponto ab altero montibus Riphæis à tergo Asia & Phasi flumine, multum in longitudinem & latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines. Neq; enim agrum exercent, neq; domus illis ulla, aut tectum aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus & per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosq; secum in plaustris vehunt;*

vehunt; quibus coriis imbrium hyemisq́; causa tectis pro domibus utuntur. Justitia gentis ingeniis culta non legibus. Nullum scelus apud illos, furto gravius: quippe sine tecti munimento pecora & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret? Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt; lacte & melle vescuntur. Lanæ usus ac vestium ignotus: & quanquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis & murinis utuntur. Hæc continentia morum illis quoq; justitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe, ibidem divitiarum cupido est, ubi & usus. Atq; utinam reliquis mortalibus similis moderatio & abstinentia alieni foret. Justin. libro secundo, capite 2. & seq.

CAPUT II.

De falsis Scytharum derivationibus.

NOnnulli fictas sibi contexunt Scytharum derivationes, quod Jovis (quisquis ille fuerit) filius Scythes audivisset, qui primus arcus sagittarumque usum invenisse fertur. Alii appellatos putant ἀπὸ τοῦ σκυζέσθαι, quod irritari, irasci significat. Erant enim Scythæ communiter iracundi populi. Vid. Plin. lib. 7. c. 72. Cæl. Rhodig. lib. 38. lect. ant. c. 24.

Herodotus multifaria de Scythis ut relata & accepta retulit: *Scythæ gentem suam omnium novissimam esse ajunt; idq; hoc modo extitisse: Virum quendam in hac terra, quum deserta esset, primum fuisse nomine Targitaum & ejus parentes, quod tamen mihi non probatur, Jovem, & Borysthenis filiam. Tali genere ortum ajunt Targitaum. Ejusdem tres liberos fuisse Lipoxaim, Arpoxaim & novissimum Colaxaim. His regnantibus demissa cœlitus in Scythiam regionem, ex auro facta, aratrum, jugum, securim, phialam. Quæ cùm primus omnium inspexisset natu maximus, accessisse, animo illa sumendi; sed eo accedente, aurum arsisse. Hoc digresso, secundum accessisse; & itidem aurum arsisse. Ambobus ab ardenti auro semotis, quum minimus natu accederet Tertius, aurum fuisse extinctum, & ab illo asportatum. Eaq; re animadversa majores fratres totum regnum ad minimum detulisse. A Lipoxai progenitos esse Scythas, quorum genus Anchatæ appellantur. Ab Arpoxai verò qui medius fuit, eos qui Citiari & Traspies nominantur.*

A mi-

A minimo autem natu, Reges, qui Paralatæ vocantur. Omnibus autem nomen esse Scoletus; sed Scythas Græci appellaverunt. Hunc in modum se extitisse Scythæ memorant, & ex quo extiterunt. A primo Rege Targitâ usq; ad Darii adversus ipsos transitum, annos omninò mille non amplius fuisse. Aurum verò illud sacrum imprimis custoditum à Regibus, placaturq; à majoribus hostiis, aditurq; quotannis solenniter. Et, qui aurum sacrum habens, die festo obdormierit sub diu, is nunquam perennare fertur; & ob id dari ipsi tantùm soli, quantum uno die vectus equo peragrare potest. Quumq; regio sit indigens, Targitaum constituisse trifarium filiis suis regnum, eorumq; unum & quidem maximum, ubi aurum asservabatur. Superiora autem ad ventum Aquilonem vergentia, ultra quam regionem nulli incolere possint, neq; prospicere, neq; transire propter infusas pennas. Pennis enim tum terram tum aërem oppleta esse, & has præpedire visum. Hæc Scythæ de se ipsis pariter & de regione superiori narrant. At Græci, qui Pontum incolunt ad hunc modum: Herculem Geryonis vaccas agentem, in hanc pervenisse terram, quæ deserta esset, quam nunc Scythæ incolunt. Geryonem autem habitâsse extra Pontum in terra, quam Græci insulam Erythiam vocant, contra Gades, quæ sunt extra columnas Herculis in Oceano. Herculem, quum illinc ad regionem, quæ nunc Scythia vocatur, venisset, substrata sibi pelle Leonis obdormisse (deprehenderat enim eum vehemens pluvia & gelu) & dum dormit, interea equas ejus à curru pascentes divinâ quadam sorte amotas, non comparuisse. Eas experrectus quum indagaret, omnem regionem collustrans, tandem in Terram, quæ dicitur Hilæa, devenisse, ibi in antro, quandam invenisse virginem ancipitis naturæ, humanæ & serpentinæ, superne quidem femorum tenus fœminam, inferius verò viperam. Eam conspicatum Herculem atq; admiratum interrogasse, nunc ubi suas equas errabundas vidisset? Illam respondisse, se quidem illas habere, sed non prius redditur am ei, quam cum ipsa coisset; Herculem pro ea mercede cum fœmina concubuisse. Sed quum illa differret reddere equas, cupida diutissimè cum Hercule concumbendi, at hic cuperet, receptis equabus abire, ad postremum illis redditis mulierem dixisse: Has ego tibi equas, quæ huc venerant, servavi. Tu earum servatarum pretium mihi persolvisti: concepi enim ex te filios tres, qui ubi adoleverint, expone, quid facere debeam, nunquid heic habere domicilium (nam ipsa hujus regio-

regionis imperium teneo) an ad te mitti. Hac percontata respondisse: postquam eos virilem ætatem adolevisse videris, si ita facies, non delinques: quem animadverteris, hunc arcum ita tendentem, & hoc balteo ita procinctum, eum tu hujus regionis incolam effice; qui autem his operibus, quæ mando non erit par, eum hinc ablegabis. Hæc exsequendo & ipsa lætaberis, & præceptis meis obtemperaveris, atque ita locutum Herculem tetendisse alterum arcum (duos enim gestabat) & balteum præmonstrâsse, atque utrumque mulieri tradidisse arcum & balteum. (Qui balteus in extrema commissura auream habuit phialam) & his donatis abiisse. Illam pueris natis nomina imposuisse, uni Agathyrso, sequenti Gelono, novissimo Scythæ. Et quum in virilem ætatem adoleverunt, eandem, mandatorum memorem illa peregisse, & duos quidem filiorum Agathyrsum & Gelonum, qui proposito certamini non suffecissent à matre ablegatos è regione excessisse: Scytham verò qui rem complesset, ibidem remansisse. Et ab illo Scytha Herculis filio progeneratos, qui deinceps fuerint Reges Scytharum, ab illa autem phiala Scythas ad hanc usq; ætatem phialas in balteis ferre, & id solùm Scythæ matrem excogitâsse. Hæc Græci, qui habitant in Ponto, referunt.

Fertur & alius sermo ita se habens, cui ipse præcipuè assentior, Scythas pecuarios (Nomades) qui Asiam incolunt, quum à Massagetis bello vexarentur, Araxe transmisso in Cimmeriam abiisse. Nam regio, quam nunc Scythæ incolunt, ea fertur olim fuisse Cimmeriorum. Herod. in Melp. sive libro quarto, numero 99. & 100.

Atque paulò post: *Alia quoq; fertur communis Græcorum Barbarorum narratio: Aristæus quidam Proconnensis versificator Castrobii filius memoravit, se Phœbi instinctu venisse ad Issedones, & supra hos incolere Arimaspos, viros unoculos, & item supra hos esse Hyperboreos, id est, supra Aquilonares ad mare pertingentes. Hos autem omnes præter Hyperboreos Arimaspis exterminari Issidones, ab Issidonibus Scythas, à Scythis verò vexatos Cimmerios, qui ad australe mare incolebant, regionem relinquere.* Herod. cit. lib. num. 101.

Herodotus generale nomen Scythicum aliquando nimis quàm par fuit, particulare transsumsisse, postea verò iterum sanè recognovisse, apparet.

Alii contra Scythiam tam immensam vastitatem, cujus fines infiniti essent, delirantes spargunt: in extremis ejus terminis monstra hominum reperiri; quales essent crudelissimi Ἀνθρωποφάγοι ut ferorum Mexicanorum quidam. Item monocoli Arimaspi perpetuò cum gryphis aurum custodientibus præliantes. Item Phanesii & id genus alii. De quibus Gentilibus traditionibus, cuilibet pro lubitu sentire licet.

CAPUT III.

De generali virtuoso & excellenti nomine Sarmatico.

ALterum Japhitarum selectiorum prædicabile epitheton celebreq; encomium Sarmaticum, generale videlicet sive universale præpotens & antiquum nomen, ut insimul dilucidè percenseatur, dignitas autoritasq; impetrant.

De Etymologia, origine & structura dictionis nonnulli anxiè disquirunt.

1. Præstat fundamen atque constructio ex Orientali simulque Originali שַׂר *Sar*, Princeps, & רָמָה *Rama*, *altitudo*, *celsitudo*. Sarmatæ proinde sic dicti, Japhitarum sive Scytharum principaliores excelsioresq; repræsentantur.

Orientalibus igitur elementis, characteribus & monumentis, unde gentium primordia nominaque dependent, quorum vestigia Græci Latinique Scriptores partim triverunt, partim deseruerunt, non immeritò fides hujus præcipuè loci tribuenda est; contemplando, quam honorificè & perspicuè Japhitarum Scytharum Aquilonares juxtimque præstantiores שָׂרָמִים *Saramim* vel *Sarmatas*, id est, *Duces, Principes altitudinis* per periphrasin quandam comprehenderint.

Huc etiam Propheta Jeremias respexisse videtur, quando populos Septentrionales, alio licet epitheto: *Principes* sive *generosas familias Aquilonis* מִשְׁפְּחוֹת צָפוֹנָה mischpechoth zaphona, i.e. universitates Aquilonis declaravit. Jer. 1. v. 25.

Articulatius repræsentavit alibi Ezechiel שָׁמָּה נְסִיכֵי צָפוֹן כֻּלָּם׃ Schama

Schama neliche zaphon killam, ibi ipsi omnes Principes Aquilonis. Ezech. 32. v. 30.

Philippus Melanchthon simili radice, sed propter regionis situm ita denominatos declarat; quando à Gomeri filiis *Cimmerios Riphaos, Sarmatas sive Sauromatas Paphlagones Henetos &c.* deducit; Ibidemque *Sarmatas dictos putat ab umbilico vel vertice terræ, sive Poli Arctici propinquitate, quasi dicas: Principes, Duces Altimetri, nam* שר *Sar est Princeps, &* רמה *Rama altitudo; quin & ipsa terra Aquilonem versus assurgit.* Philip. Melanchth. in Chron. Vid. & Matth. Martin. in Lexic. Philolog. sub nom. Sauromat.

2. Arias Montanus, nescio quô fundamentô, *ab Hasarmaveth tertio Jaketanis filio* deducit. Quem Epiphanius tamen *patrem Arabum extitisse* scribit. Arias Montan. in Gen. 10. v. 26. de Phaleg. & Jaket. Epiphan. contra Sethian. Vid. & supr. libro 4. cap. 21.

3. Perottus *Sarmatas*, qui nonnunquam *Sauromatæ* efferuntur, à Græco σαῦρος, *lacerta*, & ὄμμα, *oculus* detorquere conatur. Unde *Saurommatæ* per duplex m. scribendi, atque de lacertarum oculis ita componendi forent, quod propter virus pallescant quasi facies eorum, ut solent icterici vel potiùs iracundi. Perott. in suo tract.

4. Johannes Aventinus & alii juxta Berosum (qui fundatores nostros generali illo Sarmatarum insigniô diversimodè comprehendit, ut: *Janus Pater in Europa Regem Sarmatiæ fecit Tuisconem à Tanai usq; ad Rhenum.* Item: *Tuiscon Sarmatas maximos populos fundavit.* Porrò alibi: *Tuiscon Gigas Sarmatas legibus informat ad Rhenum.* Denique: *Apud Rheni-Sarmatas regnavit filius Tuisconis Mannus)* Germanico idiomate, Schaaren / Heerschaaren / oder Scharmatten bey dem Rhein ꝛc. interpretari adspirârunt. Joh. Avent. diversi. loc. Vid. & Beros. lib. 4. & 5. pass. It. supr. lib. 7. de Cimmer.

His omnibus sepositis ex originali Berosi textu Chaldaico, Tuisconem & Mannum patres & fundatores nostratium naturales, Sarmatarum insimul legales vel legislatores ad Rhenum quidem residentes & gubernantes, Bohemis tamen Vandalis licet dissitis & remotis, item Dalmatis, Illyricis, aliisque procul diloeatis Sarmatis imperâsse ac leges dedisse dispalescit.

Proinde juxta Claudium Ptolemæum, qui post Christum 141. Geographiam suam consignavit, *sub Luna sylva, gens maxima Boemi usq; ad Danubium habitârunt.* Cl. Ptol. lib. 2. Geogr. c. 11. Tab. Europ. 4. de sit. Magn. Germ. p. m. 49. cum Comm. Joh. Ant. Magin. edit. Venet. 1596.

Juxta Casparum Peucerum, *Sarmatarum* (vel Saramim) *appellatio eadem est, ac Soraborum, qui in Asia & Europa, usq; cum Germanis intermixtim coluerunt.* Casp. Peuc. in continuat. Chron. Carion. lib. 4. p. m. 50.

Illa igitur historia de Salimine Sarmatiæ Rege, qui Anno Christi 550. tres suos filios Zechum, Lechum & Russum, cum coloniis Slavorum in Bohemiam, Moraviam, Poloniam & Russiam duxisse fertur, limitanda ac de regnis capessendis non fundandis intelligenda est. Vid. Georg. Horn. introduct. ad hist. univ.

Cæterùm Sarmatarum appellatione permulti Scriptores alternatim vel variatim, sive mutuò potiùs ac reciprocè Scythas, sine differentia reali, quo nomina saltem varientur & reciprocentur, descripserunt.

Unde honorificum simulque generale insignium illud esse, certissimè viget atque persistit. Japhitæ enim Aquilonares & Principaliores Gentili Etymo Scythæ, Ebraicâ verò origine Sarmatæ sic dicti in uno tertio identidem conveniunt. Quæcunque insuper de Scythis, eadem de Sarmatis plerumque decantata reperiuntur.

Duæ communiter Sarmatiæ reponuntur Tanaide fluvio divisæ; quarum quæ Occasum spectat, Europæa, quæ Ortum, Asiatica cognominantur.

1. Sarmatia Europæa à Septentrione habet Oceanum, quem Sarmaticum ab eo appellamus, ab Occasu Germaniæ partem & Vistulam amnem: à Meridie Jazigas Metanastas, ab ortu verò Sarmatiam Asiaticam & Tanaim fluvium. Ubi est antiqua Olbia, quem tractum hodiè tenent, quos Polonos, Russos & Tartaros appellamus.

2. Sarmatia Asiatica ab Ortu Hircania terminatur, à Septentrione Terra incognita: ab Occasu Sarmatiâ Europæâ & Tanaide fluvio: à Meridie verò Ponti Euxini parte.

Utraque

Utraque continet populos efferatissimos, partim montes & saltus incolentes, partim plaustris pro domibus utentes, qui inde Hamaxobii dicuntur. Sunt etiam, quos Γαλακτοφάγους lacte vescentes appellant. Partim raptu viventes, sanguine equino cum lacto equi commisto inediam tolerantes; unde quidam eos ἱππομολγοὺς equarum mulsores cognominant. De quibus Martialis cecinit:

Venit & epoto Sarmata pastus equo.

Martial. lib. 1.

Sarmatarum nonnulli tantâ barbarie feruntur, ne pacem intelligant, insatiabiles bellorum & cædis amatores, quibus bellantibus mos est, cruorem ejus, quem primum interemerint, ex ipsius vulneribus bibere. Et ut quis plures interemerit, ita apud eos clarior habetur. Sunt etiam in Scythiæ extremis Sarmatæ, qui humanæ carnis alimentô vitam ducunt, propter quod Ἀνθρωποφάγοι vocantur. Sunt etiam quidam interius habitantes, quos Virgilius Gelonos vocat. Virgil. libro tertio Georgicorum.

Hi ut autor est Pomponius Mela, auri & argenti ignari, vice rerum commercia exercent. Atque ob sævitiam hyemis admodum assiduæ, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant. Totum bracchati corpus, & nisi qua vident etiam ora vestiti. Pomp. Mela lib. 2. Vid. & Plin. lib. 4. cap. 11. & 12. Ptol. lib. 3. & 5. Strab. lib. 11.

Diversis præterea nominibus appellantur, à Sarmatia enim fit Sarmaticus apud Valerium Flaccum. Item Sarmatis, Sarmatidis apud Ovidium:

Terreat haud Manes Sarmatis umbra meos.

Ovid.

Pars deniq; Sarmatarum idola hactenus colunt. Quos specialiter describere huc non pertinet.

Sarmatiam Asiaticam patria lingua Sargatiam dici, Niger ostendit. Garcias ab Horto: *Sarmatas sive Tartaros Asiaticos, Mogores in India vocari* ait. Ephorus *Jaxabatas* etiam vocat. *Jaxamata* quoque legitur apud Melam. *Sauromatas sive potius Sarmatas, in ipso Scythiæ meditullio, Perantades vocari, Tzetza* scribit. Sarmatarum denique populi, qui Tanaim fluvium accolunt,

apud Plinium sunt: *Cicimeni, Choatræ, Costobocci, Dandari, Evazæ, Gynæcocratumeni, Messeniani, Thussagetæ, Turcæ & Zigæ.* Garc. ab Hort. in lib. de aromatib. Vid. & Plin. cit. loc. It. Carol. Steph. Lex. Histor. sub nom Sarmat.

Tandem (verba cum valeant sicut nummi) hodiernisque seculis, Scythæ plerunque pro Tartaris: Cimmerii & Germani, pro Tuisconibus: Celtæ & Galli, pro Francis Occidentalibus Transalpinis usurpentur: Sarmatæ quoque in specie & κατ' ἐξοχὴν pro Polonis, Lithuaniis, Ukraniis, Podoliis & horum accolis transsumuntur; testibus antiquis & modernis Scriptoribus. Unde & illud Plinii: *Scytharum nomen usquequaq; transiit in Sarmatas atq; Germanos, neque aliis prisca duravit illa appellatio, quàm qui extremi harum gentium ignotiq; prope cateris mortalibus degunt.* Caj. Plin. lib. 4. natural. hist. c. 12. Dec. 2. p. m. 58.

CAPUT IV.

De universis Scytharum populis in genere.

SCytharum in genere & indifferenter sic dictorum priscorum latitudinem & extensionem stylo vix comprehendi posse autumo. Strabo *omnes populos versus Septentrionem uno prius nomine Scythas appellatos fuisse.* Item: *Veteres Græcorum Scriptores universas gentes Septentrionales vel Scytharum vel Celto-Scytharum nomine affecisse,* scribit. Strab. lib. 1. & 2. pass. vid. & Ptol.

Cui sententiæ etiam assentitur Isidorus: *Scythiam ingentem terram declarans ab Oriente & India, ad Septentrionem, atq; per paludes Mæotides ad Danubium & Oceanum usq; ad Germaniæ fines extensam.* Isidor. lib. 14. cap. 2. & 4. & seq. Vid. & Niceph. Gregor.

Tzetza prodit: *Varias ac propè innumerabiles gentes, Abasgos, Alanos, Sacas, Dacos, Rhoes, Getas, Tyrigetas, Sauromatas, vel Sarmatas &c. Omnes imò Borealium Cardinum cultores, communi vocabulo Scythas dici.* Tzetza Chiliad. 11.

Integra Scytharum amplitudo ab India nimirum usque ad Thraciam ex propria ipsorum oratione, coram Alexandro Magno olim graviter satis habita, inter alia laude & admiratione dignissima

gnissima exsultat: *Nos & Asiæ & Europæ custodes habebis: Bactra, nisi dividat Tanais, contingimus; ultra Tanaim usq; ad Thraciam colimus.* Q. Curt. lib. 7. c. 8.

Nostro seculo vir famæ prælucentis Georgius Hornius antiquam Scythici nominis extensionem affatim egregiè adumbrat: *Varia Scytharum regna fuerunt, præcipuè autem Getarum, Tauricanorum, Amazonum, Sacarum, Massagetarum, Neurorum, Agathyrsorum, Gelonorum, Budinorum, Sarmatarum, Celtarum, hoc est, Germanorum & antiquorum Gallorum &c. Sed hæc omnia parum nobis cognita sunt. Celeberrimi inter Scythas fuerunt Europæi ad Danubium & Tanaim, & Asiaticorum Massagetæ, quorum Regina fuit Tomyris, quæ Cyrum in prælio obtruncavit &c.* Et paulò post: *Historia Scythica est vel Germanica, vel Hunnica, vel Sclavonica. Germanica est vel Gothica, vel Francica vel Anglo-Saxonica.* Georgius Hornius in introductione ad historiam universalem sub titulo veter. Histor.

Cæterùm majorum nostrorum in Asia adhuc degentium & ulterius procedentium, priusquam omnimodè in Germaniam hanc nostram pervenirent, heroica facta & celeberrimæ virtutes, item declarationes & nomina vetustiori ævo implicata, sub universali Scytharum nomine occulta latent.

Scoti ex magna Germania in Britanniam profecti, Scythicæ appellationis formam, aliquantulum retinuisse videntur.

Hodierno die hujus amplitudinis ignari, Scythas pro Tartaris tantummodò abusivè intelligunt, quos tamen pro Nomadibus duntaxat habendos esse, Nicolaus Fullerus evidentissimis rationibus manifestavit.

Tartarorum autem conditio ita se habet: *Historia Hunnica est vel Ugrica, vel Turcica, vel Tartarica. Anno Christi 1200. Quidam faber ferrarius, vel ut alii volunt, bubulcus, Scythis ad arma concitatis, & debellato Johanne Imperatore Nestorianorum, amplissimum circa Sinam imperium constituit, & Cunchris Chan vel Kan, id est, Rex Regum appellatus est. A quo tempore universa Scythia, Tartaria, Scythæ verò Tartari vocati fuerunt; cujus nominis occasio inde fluxit, quod in illa expeditione Tartari*

pecu-

peculiaris Scytharum natio semper præmitteretur. Quibus adventantibus, cum vulgus afflictus inclamaret, Tartaros sive Tataros ingruere, illud nomen paulatim universo exercitui, mox toti genti fuit impositum, ut quicunque Chungri Kano Scytharum Imperatori obedirent, Tartari dicerentur. Georg. Horn. citat. loc.

CAPUT V.

De Majoribus nostris sub nomine Scytharum.

MAjores nostros, priusquam Græcis & Latinis Scriptoribus perfectè innotuerunt, inter Scythas delituisse, expressissimè omnium ac evidentissimè C. Plinius demonstrat, inquiens: *Scytharum nomen usquequaq; transiit in Sarmatas atque Germanos; nec aliis prisca duravit illa appellatio, quam qui extremi harum gentium ignotiq; prope cæteris mortalibus degunt.* C. Plin. lib. 4. nat. hist. c. 12. Dec. 2. p. m. 58.

Rem à principio ad procliviorem captum revolvere, ac de habitationibus ac migrationibus Majorum nostrorum aliquid revelare præsentissimum erit. Primum enim non omnes Nostrates ex Armenia universali illa terricolarum matre & progenitrice, cum Tuiscone & Manno, hanc in Germaniam simul progressi sunt. Divus Propheta Jeremias (qui tempore Josiæ Judæorum Regis ante Christum 650. annis floruit) suo seculo etiamnum reliquias *Meneh & Ascenaz in Ararat* reposuit. Jer. 51. v. 27.

Exinde plagas Septentrionales potissimùm dilexisse & delegisse, rebus item bellicis, (unde nomen Scytha, id est, Schütz/ desumtum, & reliquis Japhitis attributum fuisse conjicitur) maximè studuisse, Scriptores convenienter testantur. Herodotus Teutonicorum populorum meminit in exercitu Xerxis. Similiter Darius ultimus Persarum Rex ingentes nostratium copias ad auxilium convocavit, ut hinc inde in Quinto Curtio demonstratur; cujus exercitui etiam contra Alexandrum Magnum, Sacæ, Daci & quatuor millia interfuêre Suevi. Herodot. & Quint. Curt. divers. loc.

Exo-

Ex omnium illo Gentilium autorum ætate atque doctrina gravissimo Homero (qui ante nativitatem Christi 967. floruit) oræ & paludes Ascaniæ glebosæ, quæ etiam Romanis temporibus nomen retinuerant, in Asiam supra Phrygiam & Bithyniam versus Septentrionem juxta Bosphorum Cimmerium, notæ evaserunt. Ascaniæ vicini fuerunt Caucones & Cayci sub Horminio monte, quos Homerus Mysis adjungit. Homer. Iliad. β. circ. fin. & Iliad. N. circ. fin.

Caucones & Caycos, Chaucos esse, quorum Tacitus & alii meminerunt, non est veri dissimile. Porro Herodotus Dacos & Sacas gentes Teutonicas, Persici aliquando Imperii & circumferentiæ adjacentes denominat, eorum quosdam paulo post meminit in exercitu Xerxis. Nec longè deinde gentes nostrates distinctè in Scythia recenset: Cyrum enim superiorem in Scythia Asiatica interfectum esse scribit; & ad Tyram fluvium Tyrigetas reponit. Herod. in Clion. siv. lib. 1. n. 24. It. in Polym. siv. lib. 7. n. 178. & seq.

A Sacis derivantur Saxones; Daos, Davos & Dacos, qui cum Danis conferuntur, eosdem esse, cur dubitem non video. Idque ex Strabone patet, ubi confirmatur, quod apud Græcos captivi ex ea gente ducti, pro lingvæ idiomatibus, alicubi Davi, Dai, & Daci jussi essent. Daci, Getæ & Mysi semper vicini atque ejusdem lingvæ juxta eundem Strabonem extiterunt, inter quos Getæ potentissimi & reliquos suo nomine comprehenderunt; Unde Plinius, Dacos à Romanis Getarum nomine affectos fuisse, ait. Quin & Appianus Dacos in Scythia Getas appellavit. Sæpè citatus Strabo Getas à Dacis ita distinguit: ut Getæ sint, qui ad Pontum in Orientem versus; Daci verò, qui in oppositum latus spectant versus hanc nostram Germaniam & ad Danubium. Strab. lib. 7. passim. vid. & Plin. atque Appian. divers. loc.

Ptolemæus in eodem Scythiæ Asiaticæ tractu, priscarum meminit gentium, quæ nostratem prosapiam referunt. Nam & Saxones & Syebos sive Svevos atque Alanos nominat; atque sub his in Scythia Sogdiana (quæ hodie est Carasena) ad fluvium Jaxartem, partem Massagetarum collocat; iisdem & Sacas admiscet, & in Margiana Scythia cum Dais conjungit ad fluvium Oxum. Ptol. lib. 6. Geogr. Tab. As. 8. c. 12. usque 15.

Dionysius ad Mæotides paludes, Alanos Germanis, Dacis & Getis admiscet. In Colchide adhuc usurpari lingvam Germanicam, sunt, qui constanter affirmant. Getarum sive Gothorum reliquias in Taurica Chersoneso oppressit tandem Muhammedes Secundus; Tur-

carum Imperator, duobus eorum Ducibus cæsis, qui & Gothos se appellaverunt & locuti sunt lingva nostra. Nec apud Galatas vicinos, & in Armeniæ parte, desiisse usum Germanici sermonis, ex historia Friderici Barbarossæ notum est. Vid. Casp. Peuc. lib. 4. Chron. p. m. 48.

Valdè ergò consentaneum est, Majores nostros primas & vetustissimas sedes in Asia habuisse, posteaque in Scythiam paulatim processisse Asiaticam, deinde Europæam. Longissimum enim tractum à Scritofinnia per Russiam ad Paludes Mæotides usque ad collimitia Thraciæ (priusquam continuis migrationibus & immixtionibus inter alias gentes diminuti, attriti & in statum hunc nostrum redacti sunt) obtinuisse, variis Scriptorum testimoniis affirmatur.

Causas tam admirabilium migrationum & sedium mutationum quod spectat: vel delectabantur Majores nostri peregrinationibus inquieti naturâ, vel terras quærebant capaciores & uberiores; vel à viciniis urgebantur barbarioribus, multitudine infinitis, natura feris, lingva diversis. Qui per vastissimas illas ad Boream solitudines assiduè vagabantur, ac sedes subinde transferebant, migrationibus turbulentissimis, sicut ostendunt Tartaricæ in Asiam Minorem & Europam irruptiones. Quod igitur ex Asia & Scythia principales Germaniæ accultores prodierint, & post hos cæteri, quos fatales migrationes de pristinis sedibus pepulerunt, cur ambigam non habeo. Veteribus Majoribus nostris in Asia & Scythia amplissimæ Sarmatarum & Henetarum gentes, quibus circumfusæ fuerunt atque interspersæ, semper vestigiis inhæserunt. Ex his aliæ gentes Scythicæ ferociores numero maximæ, lingvis moribusque diversissimæ, ut Hunnicæ, Tartaricæ, Turcicæ &c. Atque prioribus incolis vel sponte cedentibus vel vi profligatis, proximi è vestigio desertas sedes occuparunt. Ut plurimum autem ex angulo illo Septentrionis, populi agminibus infinitis effusi, velut ex equo Trojano progressi. Quod D. Hieronymus hisce verbis: *Ab Aquilone semper involatores regionum, omni terra terribiles & exitiosi prodiere*, arguere voluit. Hieron. lib. 1.

Porrò è Septentrione potissimum populorum examina processisse, omnes autores, Ptolemæus præcipuè, Plinius & Mela conveniunt. *Utile est autem stupendas has mortalium errationes & dispersiones diligenter considerare; quod in his vel maximè conspicitur rerum humanarum inconstantia & fugacitas. Cumque has mutationes legimus horribiles, & totas sæpissimè gentes vel extinctas, vel patria exutas audimus; præparemus animos, ad excipiendos & perse-*

perferendos omnes fortunæ casus & injurias, ac cogitemus, hanc vitam aliud esse nihil, nisi tristissimum exilium erroribus & jactationibus obnoxium perpetuis; nec tranquillam sedem ullis obviam fore, nisi in æterna illa & immortali vita patriæ cœlestis; ad quam nos vocat & ducit Filius DEI Jesus Christus humani generis Redemptor & Assertor. Ubique terrarum, omnibus seculis, omnes gentes, omnia imperia, privatæ immò familiæ, veluti Euripi, subinde novis & calamitosis mutationibus dissipantur, ut nos de exilio & instabilitate hujus vitæ præsentis, ac hujus exilii causis admoneant, atque testentur, nos non ad hujus fragilis & caducæ vitæ ærumnas conditos esse, sed ad aliam vitam meliorem. Vid. ult. Casp. Peuc. lib. 4. Chron. passim.

CAPUT VI.

De Germanis sive Tuisconibus Scythis tempore Alexandri Magni.

MAjores nostri tempore Alexandri Magni, vastissimum hunc orbem, Germaniam nimirum hodiernam, Hungariam, Sarmatiam usque Scandiam Scritofinniam; ab altera parte fines Russiæ oppleverunt vel perdomuerunt; ut ex permultis autorum testimoniis fulciri potest. Vid. Joh. Avent. lib. 1. fer. per tot. It. Wolffg. Hildebrand. in vita Alex. M.

Regiones verò jam recensitæ non excultæ tunc satis habitatæ ac ædificatæ erant, sed plurima ex parte solitudines sylvæ ac paludes.

Scythas illos, quos Alexander Magnus tantummodò vidit, minimè verò superavit, nostrates fuisse & Sarmatas, eruditi communiter conjiciunt. Prædicti Aventinus & Hildebrandus expressis verbis ac argumentis confirmare non verentur. Aventin. & Hildebrand. in vit. Alex. M. ex Arrian. Nicomedens. lib. 1. p. m. 6. & 9.

Illi ipsi Scythæ, per legationem viginti duntaxat virorum non pomposè sed animosè susceptam, audaci & libera Alexandrum allocuti sunt oratione, adhuc in Q. Curtio superstite. Qui eisdem non, ut cæteris Barbaris, rudem & inconditum sensum esse ait. Ex ipsa oratione, inter alia admiratione dignissima Scytharum latitudo & amplitudo resultat.

Integra oratio, propter nimiam animositatem, ut apponatur, impetrat: *Legati Scytharum viginti, more gentis, per castra equis vecti nunciari jubent Regi: velle ipsos ad eum mandata ferre.*

Admissi in tabernaculum, jussi considere, in vultu Regis defixerant oculos; credo, quia magnitudine corporis animum æstimantibus, modicum haudquaquam famæ par videbatur. Scythis autem non, ut cæteris Barbaris, rudis & inconditus est sensus. Quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcunque gens capit semper armata. Sicque locutos esse apud Regem, memoriæ proditum est, abhorrentia forsan moribus nostris & tempora & ingenia cultiora sortitis.

Sed ut possit oratio eorum sperni; tamen fides nostra non debet. Quæ utcunque tradita sunt, incorrupte proferemus. Igitur unum ex his maximum natu ita locutum accepimus: Si Dii habitum corporis, aviditati animi parem esse, voluissent; orbis te non caperet: altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres. Et hæc assecutus, scire velles; ubi tanti Numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiscis, quæ non capis. Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam. Deinde si humanum genus omne superaveris, cum sylvis & nivibus & fluminibus ferisq; gesturus es bellum. Quid tu! ignoras arbores magnas diu crescere, unâ horâ exstirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur; vide, ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido. Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis sylvis viventibus? Nec servire ullis possumus, nec imperare desideramus. Dona à nobis data sunt, ne Scytharum gentes ignores, jugum boum, aratrum & sagitta & patera. His utimur & cum Amicis & adversus inimicos. Fruges amicis damus, boum labore quæsitas. Patera cum iisdem vinum Diis libamus. Inimicos sagittâ eminus; hastâ cominus petimus. Sic Assyriæ Reges & postea Persarum, Medorumque superavimus; patuit nobis iter usque in Ægyptum.

Ast tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium quas adiisti, latro es. Lydiam cœpisti, Syriam occupasti, Persidem tenes, Bactrianos habes in potestate, Indos petisti. Jam & ad pecora nostra avaras & insatiabiles manus porrigis. Quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parâsti famem, ut quo plura haberes, acrius, quæ non habes cuperes.

Non

Non succurrit Tibi, quamdiu circa Bactra hæres? Dum illos subjicis, Sogdiani bellare cœperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur. Nam ut major fortiorq; sis, quam quisquam, tamen alienigenam Dominum pati nemo vult. Transi modo Tanaim, scies quam latè pateant, nunquam tamen consequeris Scythas. Paupertas nostra velocior est, quam exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit. Rursus, cum procul abesse nos credis, videbis in tuis castris. Eadem enim velocitate & sequimur & fugimus. Scytharum solitudines Græcis etiam proverbiis audio eludi. Nos deserta & humano cultu vacua, magis, quam urbes & opulentos agros sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene; lubrica est, nec invita teneri potest. Impone felicitati tuæ frenos, facilius eam reges.

Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pinnas tantum habet. Cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere, non sinit.

Denique si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere. Sin autem homo es; id quod es; semper esse cogita. Stultum est, eorum meminisse, propter quæ Tui oblivisceris.

Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti; nam & firmissima inter pares amicitia. Videantur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse cave credas. Inter Dominum & Servum nulla amicitia, etiam in pace belli tamen jura servantur. Jurejurando gratiam Scythas sancire, ne credideris: colendo fidem jurant. Græcorum ista cautio est, qui pacta consignant, & Deos invocant; Nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non verentur homines, fallunt Deos. Nec tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites. Cæterum nos & Asiæ & Europæ custodes habebis. Bactra, nisi dividit Tanais, contingimus; ultra Tanaim usque ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam conjunctam esse fama est; utrique imperio finitimos, hostes an amicos esse velis, considera. Q. Curt. lib. 7. c. 8. per tot.

Aventinus & Hildebrandus strenui assertores descendunt: In his terris, ubi hodie Hungari & Poloni, item Russorum Tartarorumve pars habitant, nostrates quondam, nempe Saxones, Svevos, Gothos, Bojos &c. agitasse. Hodierno quoque die in Hungaria & Transylvania, item Prussia, Livonia, Lithvaina, Curlandia intermixtim reperiuntur Tuiscones. *Fuisse quidem Majores nostros indigenas, minimèque aliarum gentium connubiis infectos; sed propriam sinceram & sui similem gentem extitisse*, disertis verbis Tacitus testatur.

 Verum

Verum alios populos aliquando hisce immiſcuiſſe, haud obſcurè innuit Iſidorus. Tacit. in Germ. c.4. v.1. Iſid. lib.9. & ſeq.

CAPUT VII.

De Majoribus noſtris ſub nomine Gothorum.

GEtarum ſive Gothorum Etymologiam acquiſitam & virtuoſam eſſe, atque à Germanico verbo Gut tanquam bonorum & ſtrenuorum univerſali prædicato deſcendiſſe, plerique Scriptores conveniunt. Vel quod Gothi, ut Matthias Martinius expoſuit, boni videri voluiſſent. Matth. Martin. in Lex. Philol. ſub nomine Get. vel Goth.

Nolo, inquit Wolffgangus Lazius, *reliquorum Germaniæ populorum nomenclaturas curioſius examinare, quorum alii à ſævitia Quadi, mitioresve Gothi; alii rurſus ab erroribus Vandali; plerique à conſtructis Caſtellis & mutatis ſubinde ſedibus, Burgundiones; Nonnulli à fixis ſedibus vel prolixis barbis vel quod concinnius à longis armaturis & bipennibus Longobardi cognominati ſunt.* Laz. de migr. Gent. lib.2. de Gallogoræc. fol.47. lit. A. vid. & Philip. Melancht. part.2. l.3. Chron. paſſ.

Cæteroquin Getæ ſive Gothi tam vehementer à nonnullis præumbrantur hiſtoriarum corruptoribus, ut quam alieniſſimi de nobis, ſi quando appareant. Saniores tamen Scriptores hinc & inde, noſtrate gaudere origine, firmiſſimis fundamentis ſtatuunt. Eandem extitiſſe Getarum lingvam, quæ Myſorum, autor eſt Strabo, Germanicam ſcilicet utramque, ut Caſparus Peucerus teſtatur. Quod Gothica lingva maximam partem dialectus ſit Germanica, Matthias Martinii conſtanter affirmat. Vid. Strab. Caſp. Peuc. lib. 4. Chron. Matth. Martin. Lex. Phil. ſub nom. Get.

Getas autem & Gothos unos eosdemque eſſe, maximi hiſtorici adſtipulantur. Qui enim ab exoticis veteribus Scriptoribus ipſoque Herodoto Getæ celebrati; à conterraneis proprio & vernaculo vocabulo Gothi exprimuntur. Græci quoque ac Latini Scriptores Getas & Gothos promiſcuè tandem connotare cœperunt. Atque Getas *olim fuiſſe, qui nunc Gothi vocantur*, Strabo expreſſè teſtatur. Herod. in Melpom. ſiv. lib.4. n. 111. & 112. Vid. & Strab. Æneam Spartian. Ovid. lib. Faſt. & de Pont. Paul. Oroſ. Albert. Krantz. & recent. pleroſq.

Optume

Optume quidem mihi constat, alias esse aliorum conjecturas, sed singulis sua relinquo judicia & rationes, mihi cum compluribus doctissimis viris placuit, sequi ac retinere antiquissimorum testimonia; & observare nominum Etymologias, originem, naturam, mores & ingenia gentium utcunque exprimentes, nec ab hodierno nativo vocum sono procul discedentes.

Quidam aliter sentiunt, & Plinium sequuntur non annumeratis ad occasum Vindelicis, Rhætiis, & Noricis, neque ad ortum additis Getis, Dacisque. Contra verò à Tacito Gothones, à Ptolemæo Gutæ & ab ipso Plinio alibi Guttones apertè nostrati generi annumerantur. Quin & Eusebius ab Ascenaz expresse proprieque Gothos tanquam specialem nationem celebrat.

CAPUT VIII

De fabulosis & perversis Gothorum deductionibus.

HAnc in perfectam & clare demonstratam originem scrupulos injicere, multi inaniter & absque ullis rationibus conati sunt. Aliquot enim extitêre fabulantes: Getas vel Gothos ex stirpe Semitarum *de Gether Semi nepote & Arami filio* profluxisse. A quo vero alios populos Carios & Getulos sive Bactrianos in India descendisse, Hieronymus & Josephus abunde demonstrarunt. Vid. supr. lib. 4. de Semitis.

Inveniuntur, qui prorsus Gog & Magog per Geticos sive Gothicos populos elicere audent, qualis præprimis est Aurelius Cælius. Sed hæc tanquam fabulas & inanes excogitationes transmittimus. Per Gog & Magog perpetui Ecclesiæ hostes intelliguntur; Gothos vero ad fidem Christianam conversos esse, apertè constat.

Græcorum quidam Scriptores, Thraciam esse nationem propter vicinitatem autumârunt. Unde & Herodotus hoc encomio collimâsse videtur, cum eos vocat Ἀνδρειοτάτυς καὶ δικαιοτάτυς τῶν θρακῶν justissimos & fortissimos Thracum. Similiter Strabo, quod Græci Getarum gentem de Thracibus existimaverint, revelavit. Herod. in Melpom. siv. lib. 4. n. 111. Strabo lib. 7.

Sed hæc deductio, propter Thracum (quos & alii præcipueque Aventinus perinde Germanos fuisse conjiciunt) vicinitatem, erronea forsan desumta est.

Cæterum de primis eorum sedibus & proventu, quid initio scribendum

bendum difficile; quoniam tam variè ac in diversis locis generibusque describuntur, ut perfectissimis quoque historicis oculos obfuscare & glaucoma obducere possent. Opiniones modò doctissimorum quorundam virorum adducam. Principium ex Asia, utpote ex generali populorum protogenia cœpisse, irrefutabile; Sed historiæ, eorum habitationes & migrationes describentes, deficiunt. Mentio quidem eorum in Scythia habitantium apud historicos diversimode occurrit; atque Herodotus eos juxta Boristhenem & Tyram fluvios collocavit.

CAPUT IX

De Gothorum progressu juxta Albertum Kranzium.

Mirificè Albertus Kranzius Gothorum originem hisce verbis refert: *Scripturienti mihi de rebus Getarum, qui & Gothi dicuntur, Jornandem natione Gothum Episcopum Ravennæ sequi animus est. Ipse autor celeberrimus Jornandes suam depromsit historiam ex Græco Scriptore Dione, qui egregii styli materiam de nobilissimis Getis esse voluit: Item ex Ablabio insigni historico genere similiter Gotho & Romæ Senatore facto.*

Cujus ope haud raro se usum fuisse, ipsemet apertè fatetur Jornandes, & indicium nominis sui ac autoritatis sæpissimè refert, etiam duodecim librorum ab eo scriptorum meminit. Sed opus desideratissimum nobis proh dolor, periit.

Identidem citatus Kranzius Saxonem historicum commemorando producit. Sunt autem ejusmodi Kranzii verba: *Gothorum agmina ex Scandia una cum Danis (quorum Gothi apud peregrinos Getæ, Dani verò Daci appellati) proveniunt. Primus eorum egressus sub antiquissimo & termillenario ævo vetustiori Rege ERICO fuit inceptus. Jornandes & alii tempus accurate non addiderunt; sed ad testimonium veridici autoris me provoco, audacter affirmantis: Gothos tempore Athaniel Israelitarum Judicis, anno post inundationem mundi propè 844. ante Salvatoris natales 1450. hanc primam ex Scandia suscepisse eruptionem.* Albert. Kranz. lib. 1. Rerum Goth. & Svec. passim.

Huc loci profectò sapientioris alicujus exoptandum judicium. Autor prædictus Kranzius, ex Scandia olim prodiisse, refert; nec prius accessum & originem demonstrat. Ex rupibus & lapidibus orti haud fuerint. Fidei insuper vix congruum apparet, durissimum Scan-

Scandiæ solum ita tam antiquitus conditum fuisse atque excultum, ut ad vastissimum examen illud emittendum, abundantia impulisset.

Multoties porrò citatus Kranzius Gothorum transgressum & occupationem Vandalicarum regionum, Rugiæ Pomeraniæ recenset. Idemque reminiscitur: quomodo paulò post sub Rege Filimero Magni Gadariolis filio, per Poloniam versus Orientem ad Istrum & Paludes Mæotides accesserint; Spalisque populis oppressis vel expulsis, suam illic prolem reliquerint. Sicque Getas Ponticos diutissimè ibi habitantes Scandicorum illorum posteros fuisse, mirabiliter ostendit. Quæ pleraque fabulosa.

Quod verò postea in eodem autore de gestis eorum in Asia & Europa annotatum subsequitur, optumè verisimile est, atque cum multis aliis fide dignissimis autoribus concordat. Quod in Asia Tanausis Getarum vel juxta alios Scytharum Rex cum Vesore vel Vexore Ægyptiorum Rege anno post Diluvium circiter 1050. tempore Jairi Israelitarum judicis, ante Christum supra 1240. dimicaverit, magnamque Asiæ partem subactam tributariam fecerit, attestatur etiam Justin. lib. 1. in pr.

Item quod Amazones originem ab hisce duxerint, ea omnia ex cæteris & maximorum historicorum monumentis consolidari queunt. Quæ uberius tractat. Kranz. lib. 1. per tot.

CAPUT X.

De divisione Getarum & quidem de Thussagetis.

IN nationes aliquot dividuas, Getarum gentes in Asia & Scythia olim volitantes, distributæ leguntur. Cujusmodi præcipuæ fuerunt. 1. Thussagetæ. 2. Tyrigetæ, 3. Massagetæ.

Thussagetæ vel Thyssagetæ, fortassis Getæ ad Thyssam vel Thybiscum amnem, Casp. Peuc. lib. 1. Chron. p. m. 43.

Thussagetæ vel Thyssagetæ juxta Herodotum populi fuerunt in Scythia ultra Sauromatas. In quorum regione quatuor denotantur flumina: *Lycus, Tanus, Tanais & Syrgis.* Ipsi ex venatione vivunt. Herod. lib. 4.

Juxta Stephanum Byzantinum populi fuêre supra Mæotidem Paludem raptu & venatu victitantes. Stephan. Bizant.

In nonnullis Pomponii Melæ exemplaribus Thyrsagetæ (si rectè

emendata sit lectio reperiuntur Turcarum vicini. Ubi extat *Thyrsagetæ Jyrcæq; vastas sylvas occupant & venatu aluntur.* Pompon. Mel.

Quo charactere etiam apud Valerium Flaccum descripti leguntur:

Non ego sangvineis gestantem tympana bellis
Thyrsagetem &c.

Valer. Flacc. lib. 6.

CAPUT XI.

De Tyrigetis.

Tyrigetas quidam sic explicant, quod habitassent olim ad Tyram Scythiæ fluvium, juxtaque illum aliquandiu consedissent. Alibi verò pro certo fovetur: Tyrigetarum nomen ex Germanico vocabulo Theuer / i. e. strenuus, pretiosus & Geta descendere, quasi theure Geten. Verisimilius præterea apparet, quod fluvius Tyra à Gentili nomine, quam Gens à fluvii nomine appellaretur.


Hanc Tyrigetarum nationem in Germaniam nostram per mediterranea loca à vetustissimis seculis progressos, nostros Tyrigetas in Thuringia inter Franconiam & Saxoniam condidisse existimant.

Hos Ptolemæus corrupte Teuriochemas vel Tyriochemas appellatos, supra Sudetos montes, sc. Polum Arcticum vel Septentrionem versus, collocavit. Ex quibus deinde Thuringi Thüringen facti, ut fidei historicæ non est alienum.

Sic etiam Mysos Tyrigetis, ut in Asia & ad Istrum vicini fuerunt, in Hermundurorum sedem assedisse multi arbitrantur.

Nec improbandum, si quis fluvii nomen Hyræ, qui Erfurtum interlabitur, idem quod Tyræ; atque Thuringorum idem quod Tyrigetarum esse opinetur.

Ad hujus etiam Getici vel Gothici nominis memoriam urbs Gotha in Thuringia exstructa censetur. Vid. Casp. Peuc. lib. 1. Chron. p. m. 43.



CAPUT

CAPUT XII.

De Massagetis.

MAssagetas nonnulli à Mysis & Getis coalitos ac compositos volunt. Hi alioquin Scytharum severissimi describuntur, ac nonnunquam tam feroces, ut vix credibile, depinguntur; Qui olim ultra Mare Caspium orientem versus, trans Araxem fluvium in Asia per deserta circumvagati, equorum suorum sangvinem cum lacte bibissent, quemadmodum Bisaltæ populi: senio confectos in frusta cædissent, morbo verò extinctos feris devorandos objecissent: Infensissimi porrò hospitibus fuissent, neque cum vicinis ullam servâssent amicitiam aut fidem.

Uxores habuissent communes, cum quibus in publico coire non essent veriti.

Solem præcipuè venerati essent, cui & equum immolassent, cæteros Deos habuissent neglectui.

Sed hæc pleraque sunt afficta, quæ ut incomperta & incognita eò relinquam. Videatur Strab. lib. 2. Dionys. Cassius Ammian. it. Johann. Tzetza & Isaac Tzetz.

CAPUT XIII.

De Tomiride Massagetarum Regina & Cyro Superiore Persarum Rege.

MAssagetarum fortitudinem sub Regina Tomyride vel Thamiride, ut multis autoribus celebratissimam redhibere placet.

Cyrus superior Cambysæ filius Persarum Monarcha, multorum egregiè gestorum susceptor inclutissimus, superbia tandem invincibilis gloriæ elatus, bellum cum Massagetis juxta Herodotum intendit. Jornandes ejusque asseclæ simpliciter Getas vel Gothos nominant. Justinus Trogi Pompeji abbreviator, Paulus Orosius & alii multi generali nomine Scythas appellant. Quorum Regina Tomyris fortissima & bellicosissima Heroina adventu Cyri perceptô, animosè educatum filium Spargapisen maximæ spei juvenem ad primum specimen emisit. Qui cum ad castra Persarum pervenit, ea vino dulcissimo & cupediis somniferis astu & singulari stratagemate repleta, modicis & vilissimis vigiliis adpositis invenit. Ipse ratus

hostem ex timore fugisse, facillimè præsentes subegit, & magno apparatu se cum omnibus Massagetis imbuit. Interea versutus Cyrus eos obruens, langvidos inermes ac somnolentos crudeliter trucidavit; Spargapisen verò captivum in catenis abduxit. Tomyris animosa Regina de filii totiusque exercitûs exitu certior facta nihil perterrita, insolenti Cyro denunciari curavit; ne devictos Massagetas gloriaretur; priorem exercitum magis fraude decepisse, quam mascula virtute superasse; nequaquam idcirco animos popularium quassatos esse, ne dum abjectos.

Ablegatos è vestigio, delecto cum exercitu, insecuta. Cyrus fortitudine gentis attonitus, Spargapisen vinculis resolutum ad placandam matrem remittere voluit. Sed verecundus adolescens, manus quam primum liberatas, propriis ferrum præcordiis inferre, distrinxit; mortem honestam præ miserabili insinuatione eligens.

Ad aciem ubi perventum; Persæ, fortitudine Massagetarum, supra ducenta millia (alii ad internecionem usque scribunt) funduntur.

Tomyris fortissima Regina caput Cyri amputatum utri cruore humano suffuso hisce intrusit verbis: *obsaturabere nunc Cyre! humano sangvine, qui antea ne tot regionum interitu contentus, filii mei sangvinem hausisti & meum sitivisti.*

Hâc partâ victoriâ, non ulteriori occupandi aviditate processum; sed præsenti fortuna, ultioni satis consultum esse censentes Massagetæ, domum occupati prædâ, quæ fuit amplissima, revertebantur.

Jornandes Gothis, (sic enim eosdem nuncupat) tunc primum serica tentoria obvenisse scribit. Annô post diluvium propè 1780. ante Christum 534. Vid. Herod. in Clion. siv. lib. 1. n. 38. Justin. lib. 2. in pr. Valer. Max. lib. 9. c. 10.

CAPUT XIV.

De aliis miscellaneis permixtim.

CÆterum deinceps Getæ in universum ad utramque Istri ripam perquam diu potentes excelluerunt; ubi hodie Wallachia est, Transylvania & Bulgariæ pars, in confinio Mysiæ.

Nec alia hodiernorum Doctorum opinio est, ac Tuiscones in Transylvania & hisce locis adhuc sese detinentes ab antiquis Getis reliquias esse.

Colonia

Colonia nova à Carolo Magno ex Germania hac noſtra illuc intromiſſa prorſus rejicitur.

Similiter Hamelenſium liberorum, à Diabolo in montem quendam adjacentem præſtigiis rimatum ſeductorum, transgreſſus & exitus in Tranſylvaniâ, fabuloſi commenti inſtar habetur. Hiſtoria per ſe veriſſima eſt, ſed exitus in Tranſylvania figmentum.

Getæ, ſummo ab ævo, illa tenuerunt loca. Contra Sirmum enim Geticum Regem (alias Triballorum Regem) Alexander Magnus bellum movens; infeliciter atque dubio Marte pugnavit. Vid. ſupplement. in lib. 1. Q. Curt.

CAPUT XV.

De Getis Triballis & eorum Regibus.

PAuca jam de Triballis præclara Getarum indole agam. Johannes Aventinus noſtrates fuiſſe validiſſimè demonſtravit. Qui olim Regi Philippo revertenti ex interiori Scythia occurrebant, negantes ſe tranſitum daturos, nî portionem prædæ acciperent. Hinc jurgium mox & prælium, in quo ita femur vulneratum eſt Philippo, ut per corpus ejus equus interficeretur. Cumque omnes occiſum putarent, præda amiſſa eſt. Vid. citat. Supplem. Q. Curt.

Iidem Triballi poſtmodum Alexandro Magno per Æmum montem in eos ad fluvium Ligium profecto haud minus animosè reſtiterunt. SIRMUS (quem Aventinus König Schirm interpretatur) Triballorum Rex erat; Is cognito Alexandri adventu, uxores ac pueros cæteramque imbellem turbam ad Danubium in inſulam Peucen confeſtim miſit. Nec multo poſt prælium ambiguo Marte ſuſceptum, quo inde Alexander diſceſſit.

A Getis iterum modico temporis interjectu Zopirius vel Zopirus Alexandri Satrapa Thraciæ præpoſitus, dum expeditionem in eos faceret, toto cum exercitu oppreſſus fuit. Q. Curt. lib. 10. c. 1.

Poſtea Lyſimachus à Rege Getico Dromichete vel Dromochete (Drohmüthig) captus & mira clementia incolumis dimiſſus legitur. Unde non inaniter Paulus Oroſius hoc de iis aſſeruit eloquium: Getas, quos nunc Gothos vocamus, Alexander domitor alias mundi debellare non ſuſtinuit; nec animoſus Pyrrhus eos aggredi auſus; Julius verò Cæſar militator ſapientiſſimus, eos prorſus vitare optimum & conſultiſſimum ratus; quoniam nihil de virtute eorum reportari poſſit.

Strabonis etiamnum tempore (quem alii Augusto regnante scripsisse, alii sub Tiberio vitam virtuosam egisse & finisse malunt) adhuc ad Istrum consedêre. Qui ita de iis conscribere voluit: *Latus Germaniæ Meridionale, quod est trans Albim continuo Svevi tenent, post hos Getarum regio, arcta initio, quæ juxta partem Austrinam secundum Istrum protendirur; & à fontibus Hercyniæ sylvæ partem montium complectitur: Deinde versus Septentrionem usque ad Tyrigetas dilatatur.* Strab. lib. 7. & seq.

Isidorus: *post Alaniam, quæ ad paludes Mæotides pertingit, Daciam & Gothiam, deinde nostram Germaniam, ubi plurimam partem Svevi incoluerunt: collocat.* Isid. lib 14. c. 4.

Tacitus: *Gothinos Marcomannorum terga claudere & ferrum effodere,* inquit. Tacit. in Germ. c. 42. v. & 2.

CAPUT XVI.

De Geticæ transmigrationis alia censura.

UTrum Scandici Gothi Getas ad Istrum; an vice versa fundaverint, non adeò certè liquet.

Plurimi eruditorum Istricos Getas non multò citius, quam supra integrum de nativitate Christi seculum ingentibus ac pene innumerabilibus examinibus emigrâsse reponunt.

Casparus Peucerus autumat: Hadriani & Antonini Pii temporibus annô Christi circiter 138. maximam partem Getarum & Dacorum ad Mare Arctoum simul consedisse & insulas, ulterioraque versus Septentrionem littora excoluisse, limitibus, ut in Asia quondam & ad Pontum conjunctis, testantur amplissimæ horum Coloniæ in Dania, Gothia & tractu Danis Svecisque interjecto, quem West-Gothi & Ost-Gothi tenent. Eo enim tempore novos colonos veterum incolarum nomina in Cimbria abolevisse vel ex Ptolemæo ostendi potest, qui Antonini tempore scribens earum gentium in illis locis non meminit, cum paulo post ibidem fuerint celebres. Casp. Peuc. lib. 4. Chron. p. m. 51.

Cæteri Getæ, qui in patriis sedibus aliquandiu remanserunt, sæpè cum Romanis, de finibus, bello contenderunt, & sæpè Istrum transire conati sunt, ad quærendas meliores sedes. Donec tandem Valentis tempore anno Christi circiter 364. id susceperunt & victores Pannoniam Romano imperio ademtam sibi vindicârunt. Hos Theo-

Theodosius stipendiis sibi adjunxit contra Maximum & Eugenium. Quæ cum filii Arcadius & Honorius solvere recusassent, causam præbuerunt maximis bellis.

Nationem quandam Gothorum ante aliquot secula, in circuitu propè Prussiam, Poloniam, Silesiam atque ulteriorem Pomeraniam, Dantiscum usque habitâsse, convenit appellatio Sinus Codani propè Gedanum, vulgò, Dantzig.

Gothorum sive Getarum partem, Dacos ad Septentrionem secutos esse, supra perceptum, à quibus Gothorum & Danorum origo est in Mari Arctoo. Gothi postea maximis agminibus eruperunt, atque in Italia, Gallia, Hispania & alibi, usque ad tempora Justiniani, anno Christi propè 554. multa gesserunt, quæ apud historicos notissima. Præcipuè hoc encomium eis obvenit: *Gothi primi hominum de Romana victoria triumphantes.* Unde verba Munsteri directa: *Gothi immanes Scythiæ populi in tractu Septentrionali, Danis & Norvvegis contermini, qui olim armis Italiam subegerunt, Romamque ipsam solo æquarunt, suamque totum in orbem induxerunt barbariem.* Vid. Casp. Peuc. cit. loc. & Munster. lib. 3. Cosmogr.

Hodierno die Gothia Scandiæ insula est, Seciæ Regi parens, agrum habens, armento, equis, & bobus aptum, multa ibi venatio & piscatio, pulcherrimo marmore & omnibus rebus humano usui necessariis dives. Vid. Ola. Magn. & Jacob. Zigler. in suis tractat.

CAPUT XVII.

De Amazonibus.

UT ad aliud peræquè illustre gentis nostræ ornamentum declarandum veniam: A majoribus etiam nostris Amazonum quoddam genus profluxisse, ingens historicorum cohors, concordi stylo affirmant.

Amazones à Germanico Ahn / i. e. antiquus agnatus & Mätzen / i. e. Anverwandte / Alte Teutsche Mätzen / ut Aventinus & Hildebrandus nominant. Vel Amazones Teutonicæ peculiariter Getarum sive Gothorum mulieres extiterunt, ut Jornandes apertè construit. Vid. Avent. & Jornand. divers. loc.

Nonnulli Amazones sic dictas conjiciunt ab Hellino ἀ, i. e. sine, & μάζος, mamma; quod altera ex mammis careant; vel ab ἀ, &

ὠμάζα,

ὠμάζα, i e. puls vel panis, quaſi ſine pane, propterea quod tantum carnibus veſcerentur. Alii ab ἅμα & ζῆν, tanquam in communi viventes ſine viris ἁμαζῶσαι. Tandem ab Amazone puella Dianæ ſacerdote & Regina Epheſi.

CAPUT XVIII.

De diverſis Amazonum generibus & aliis permixtim.

COmplura quidem earum genera evaſerunt, ut in Aphrica Oblybiæ dictæ; in Aſia Sauromatides & Sauropatides &c. Noſtrates tamen, quæ plerunque Scythicæ generaliter indigitatæ, præcellentiſſimæ propè Tanaim & Thermodoontem fluvios usque ad Hircaniam habitantes ſine viris; ne tamen genus periret, cum finitimis congrediebantur. Et ſi qui mares naſcebantur, ſtatim interficiebant, puellis autem dextram inurebant mammam, quò expeditius dextro brachio in certaminibus uterentur. Erant bellicoſiſſimæ mulieres, magnam Aſiæ & Europæ partem ab antiquiſſimo ævo ſubigentes.

CAPUT XIX.

De Amazonum noſtratium conditione & progreſſu.

ALbertus Kranzius originem earum maxima ex parte de Juſtino mutuans ita recenſet. *Anno poſt diluvium propè 1110. regnante Jephtah Gileatida Iſraelitarum Judice, ante Chriſtum natum 1205. Getarum ſive Gothorum fœminæ viris abſentibus non paſſæ haberi contemtui, ſeſe perarmant, & quod viros fortiſſimos haberent, eorum exemplo doctæ, hoſtibus obviam pergunt, conſertoq; prælio vertunt in fugam. Quæ res etiam in eo ſexu gloriam peperit, præluſitq; venturæ Amazonum ex eadem claritati.* Albert. Kranz. lib. 1. de Scand. c. 6.

Juſtinus Trogi Pompeji abbreviator, nulla Getarum expreſſione, generali Scytharum appellatione contentus, narrat Amazonum originem. Quem ſecutus Paulus Oroſius, cum de Scytharum fœminis ſermonem texuiſſet, Gothorum mentionem implicitè ſubinfert, problema quoddam radicis, de qua ſpecialiter proceſſerint, oſtendere volens. Sed Jornandes Ravennas Epiſcopus Dionem ſecutus Græcum & Ablabium ſenatorem explicitè dilucidè & conſtanter, Gothos

Gothos fuisse testatur, quorum origine prodierint Amazones.

Res à Justino & Orosio ita commemoratur: *Duo Regii juvenes Plinos & Scholopitius à Getis (Scythis) per factionem optimatum domo pulsi, ingentem juventutem secum traxere & in Cappadociæ Ponticæ ora juxta fluvium Thermodoontem considentes, campos ibi Temiscyros sibi subjecerunt. Ubi proxima quæq; quum populantur, conspiratione finitimorum, per insidias, trucidantur. Horum uxores exilio & viduitate afflictæ, arma sumsêre, finesq; suos, primo submoventes, qui occurrebant, mox inferentes bella defendunt. Nubendi quoque finitimis animum amisêre, conjugium servitutem non matrimonium appellantes. Singulare omnium seculorum exemplum! auxere Rempublicam sine viris, jam maximo etiam contemtu virorum se tuentur; & ne infeliciores aliæ aliis viderentur, viros, qui domi remanserant, interfecerunt; præsertim ut ex simili conditione, par omnibus animus esset. Ultionem quoque cæsorum à finitimis conjugum excidio eorum consequuntur. Tunc pace armis quæsita, veritæ, ne prole rarescente deficerent, externos concubitus vicinarum gentium ineunt, factis nundinis semel in anno, ita ut eodem die, anno revoluto, revertentes in id ipsum, quicquid masculini sexus edidissent, patribus redderent; quicquid fœminei, matres ad arma bellica erudirent. Neque enim virgines earum ad pensa fusum rotabant; Sed equis & armis & venationibus tempora terebant. Sunt qui dicunt, quod editis maribus novercali odio, infantis miserandi fata rumperent, ita ut apud eos detestabile sit masculum puerperium, quod in omni reliqua gente solet esse votivum. Quæ illarum crudelitas maximum terrorem vicinis gentibus ingerebat. Nam quæ spes esset captivo, ubi nefas haberetur proprio ignoscere filio? Puellis autem dextras mammas inurebant, ne jaculorum jactus impedirentur. Unde & nomen acceperunt, ut Amazones, i. e. sine mamma dicerentur.* Justin. lib. 2. per tot. vid. & Paul. Oros. Jornand. & alios.

Scio, inquit Kranzius, *nonnullos ista lecturos, suspicari, ne Gothis ea res afficta videatur, quod Justinus & Orosius de Scythis in genere, nulla Gothorum facta mentione commemorant. Sed ego in omni ea relatione fidem in autores rejicio, Jornandem Dionem & Ablabium. Atque utinam* (iterum commemorat Kranzius) *illius Senatoris Ablabii duodecim libri nobis adessent, quos se Jornandes cursim lectitâsse, & inde, quæ scriberet, memoria tenuisse reminiscitur, certiora teneremus, si pro rei magnitudine scribendi & tempora*

designandi Jornandes diligentiam adhibuisset. Sed tamen temporum ratio consentit narrationi. Nam juxta supputationem Eusebii egressis de Scythia juvenibus, tunc temporis Getarum nomina inclaruerunt, & in Ponto ad fluvium Thermodoontem Amazonum origo, à cunctis commemoratur. Nec dissentit locorum ordinatio, quando exulantium fuga è Cimmeria in Pontum (h. e. Cappadociam) *verisimilis perhibeatur.* Albertus Kranz. cit. loc.

CAPUT XX.

De Marpesia & Lampedo Amazonum Reginis.

FOeminæ istæ ubi virilem vigorem induerunt, duæ semper Reginæ præfuere armis togaque, quo & domi & foris, res strenuè administrarentur. Unde coincidebat, ut Marpesia & Lampedo vel Lampeto sic dictæ simul regnantes inveniantur. Quarum altera semper forensem militiam gerebat; altera domesticis rebus ordinandis præfuit. Marpesia ea fuit, quæ ingenti fœminarum agmine sumto, novum genus militiæ inibat, novumque & inauditum bellum deduxit in Asiam; Diversasque gentes bello exsuperans, aliasque concilians ad Caucasum montem pervenit. Ibi aliquantum temporis demorata, nomen loco reliquit, ut dicatur rupes Marpesia. Cujus in Carmine suo meminit Poetarum maximus, Virgilius:

Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Inde egressæ Amazones Otalum fluvium transierunt, ac Armeniam, Syriam, Ciliciam, Bithyniam, Pisidiam, multaque alia loca occupaverunt, ibique diutius dominantes Ephesum & alias civitates aliaque loca condiderunt, suoque nomini dedicaverunt. Amazones autem Asiæ regnum diu tenuerunt. Magna pars fœminei exercitus onusta prædis in sua loca remittitur, reliqua cum Regina Marpesia ad tuendum Asiæ imperium consedit.

Adunati aliquando Barbari, quum & pudor & virtus instimularent, fœmineis parere imperiis detrectabant; consertoque prælio Marpesiam Reginam fortiter præliantem cædebant, non incruentâ victoria. Albert. Kranz. cit. loc.

CAPUT

CAPUT XXI.

De Orithia sive Sinope, Antiope, Menalippe, & Hippolyte Amazonum Reginis.

MArpesia quatuor reliquit filias. 1. Orithiam, quam alii Sinopen vocant. 2. Antiopen. 3. Menalippen, & 4. Hippolyten. Quarum duæ sorores tunc Amazonum regna tractabant, Orithia & Antiope. Orithia foris bellum administrabat, quæ singularem virtutis bellicæ gloriam perpetua virginitate cumulavit. Hujus virtute tantum additum famæ & gloriæ Amazonum, ut Eurystheus Sthenali filius Mycænarum Rex; Herculi quasi impossibile, arma Reginæ Amazonum auferre, proposuerit.

Igitur eò profectus Hercules navibus longis novem, comitante Principum Græciæ juventute, inopinantes aggreditur. Cæterum ex duabus regnantibus sororibus Orithia externis militiis functa copiarum robur abduxerat. Propterea, quum Hercules littori Amazonum applicuisset, modicè defendentes apud Antiopen nihil hostile metuentem, domi remanserant. Quare effectum est, ut paucæ repentino tumultu excitatæ arma quidem sumerent, sed defatigatæ hostibus victoriam haud incruentam traderent. Pleræque ita cæsæ, duæ autem Antiopes sorores Menalippe ab Hercule & Hippolyte à Theseo Herculis comite captæ. Theseus obtentam in præmium victoriæ ad matrimonium conservavit & ex ea progenuit Hippolytum. Hercules verò Menalippen fortissimæ Orithiæ restituit, & lytron arma Reginæ accepit. Atque ita Hercules imperio functus ad Regem Eurystheum revertitur, interque arma pretioso balteo potitus est, ac Regi obtulit., ut autores sunt Justinus, Sallustius ac imprimis Virgilius:

Threiciam sexto spoliavit Amazona balteo.

Juxta Natalem Comitem: Eurystheus imperavit Herculi, ut Hippolytæ Amazonum Reginæ baltheum, quem pulcherrimum esse audiverat, ad se afferret, quem Admetæ filiæ largiretur. (Quem tamen nonnulli Diilycæ assignarunt. Ibycus Græcus autor parum cognitus, filiæ Briarei adscripsit.) Tum Hercules, quum una navi ad Amazones trajecisset, Mygdonem & Amycum fratres, iter impedire conantes, in Bebrycia obtruncavit; ac universam Bebryciam Lyco Deiphili filio, quem secum duxerat, largitus est. Qui Bebryciam postea Heracleam, in honorem Herculis transnominavit.

Cum Themiſcyram Hercules applicuiſſet, Amazones comparatis copiis ad defenſionem ſe accinxerant. Commiſſo prælio, prima ex inſignibus occurrit Procella, ſic à velocitate dicta: ſecunda Philippis, item Prothoe, poſt Eribœa, deinde Cælenω & Eurybita, & Phœbω, Dianæ comites. Quibus omnibus cæſis; Deianiram, & Aſteriam, & Murpen, & Tecmeſſam & Alcippen cepit. Menalippe, fortiſſima prius credita, imperium amiſit. Hercules cæſis inſignioribus Amazonibus, reliquisque in fugam verſis, eam nationem penitus delevit. Deinde Hippolytam Theſeo, ejus expeditionis ſocio, conceſſit. Ibicus allegat. à Natal. Comit. Hanov. 1619. Lib. 7. Mythol. cap. 1. de Hercul. p. 687.

Aſt Orithia bellum ſororibus illatum, & Theſeum Athenienſem raptorem vindicatura, hortatur comites ad ultionem hisce ſtimulis: Fruſtra Ponti ſinus & Aſia domita eſſent, ſi Græcorum tam bellis quàm rapinis paterent. Auxilium deinde à Sigillo Gothorum Rege petiit: Genus ſe Gothorum eſſe, cladem virorum olim perpeſſas, neceſſitatem quoque & armorum bellique cauſas oſtendit: aſſecutas ſe virtute, ne ſegniores fœminas, quam viros Gothi habere viderentur. Sigillus motus domeſtica gloria mittit filium Penexagoram in auxilium; ſed ante prælium diſſenſione orta, auxiliis deſerta Amazones ab Athenienſibus ſuperantur. Receptacula tamen habuêre caſtra ſociorum, quorum protectu intacta ab aliis gentibus, in regnum revertuntur.

CAPUT XXII.

De Pentheſilea Amazonum Regina belli Trojani tempore.

POſt Orithiam defunctam, Pentheſilea rerum potita; cujus virtutis Trojano bello inter fortiſſimos viros, quum auxilium adverſus Græcos ferret, magna documenta extitêre. Hæc ſecurim bellicam & peltam prima omnium inveniſſe laudatur. Interfecta demum ab Achille poſt res clariſſime geſtas; exercituque ejus abſumto. Paucæ, quæ remanſerant, usque ad tempora Alexandri Magni duraverunt. Qu modo Amazones Priamo Phrygibusque in obſidione Trojæ auxdium tulerint; & in Aſiam cum cognatis Cimmeriis impetum fecerint, conſulatur Euſeb. in Chron. ejusd. temp.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De Thaleſtri Amazonum Regina tempore Alexandri M.

AMazonum Regina Thaleſtris (aliis Minithea dicta) longo temporis intervallo, Alexandro Magno circumagente, nota iterum ſurrexit. Quam Johannes Aventinus & ex eo Hildebrandus validis argumentis & motionibus, noſtræ proſapiæ claruiſſe, conſtanter affirmat: *Thaleſtrin quaſi* Te/Alſterin *poſſediſſe tunc temporis montes natura munitiſſimos & tribus tantummodo faucibus penetrabiles, per quos Alexandrum cum exercitu, proprios adpopulares Scythas interiores transmiſit.* Wolffgangus Hildebrandus Germanicus autor expreſſa hæc verba reliquit. Latinè verſa: Alexander verſabatur circa littora maris Caſpii intra Occaſum & Septentrionem, ad Albanos & Iberos & Colchos, ad promontorium Riphæum, tunc temporis Amianum, à Tuiſcis & Vandalis Amazonibus ſic dictum; quarum Regina fuit Thaleſtris noſtratibus T' Alſterin promontorium poſſidens, tribus anguſtis tantum faucibus pervium ad interiores plagas, ubi hodie Albi Ruſſi & Tartari vagantur. Wolffg. Hildebr. in vit. Alex. M. circ. fin.

Q. Curtius hac formula recenſuit: *Erat Hyrcaniæ finitima gens Amazonum circa Thermodoontem amnem Themiſcyræ incolentium campos, Reginam habuit Thaleſtrim omnibus inter Caucaſum montem & Phaſin amnem imperitantem. Hæc cupiditate viſendi Regis accenſa finibus regni ſui exceſſit, & cum haud procul abeſſet, præmiſit indicantes, veniſſe Reginam adeundi ejus cognoſcendique avidam. Protinus facta poteſtate veniendi, cæteris juſſis ſubſiſtere trecentarum fœminarum comitatu proceſſit. Atque ut primum Rex in conſpectu fuit, equo ipſa deſiluit, duas lanceas dextra præferens. Veſtis non toti Amazonum corpori obducitur; nam læva pars adpectus eſt nuda, cætera inde velantur, nec tamen ſinus veſtis, quem nodo colligunt; infra genua deſcendit. Altera papilla intacta ſervatur, qua mulieris ſexus liberos alunt; aduritur dextra, ut arcus facilius intendant & tela vibrent. Interrito vultu Regem Thaleſtris intuebatur, habitum ejus haudquaquam famæ parem oculis perluſtrans. Quippe omnibus Barbaris in corporum majeſtate veneratio eſt. Cæterùm interrogata, num aliquid petere vellet, haud dubitavit fateri, ad communicandos cum*

Rege liberos venisse, dignam, ex qua ipse regni generaret hæredes. Fœminei sexus se retenturam, marem reddituram Patri. Alexander, an cum ipso militare vellet, interrogavit. Et illa causata sine custode regnum reliquisse, petere perseverabat, ne se irritam spei pateretur abire. Acrior ad Venerem fœminæ cupiditas quam Regis, ut paucos dies subsisteret, perpulit. Tredecim dies in obsequium desiderii ejus absumti sunt. Tum illa regnum suum, Rex Parthenienem petiverunt. Q. Curt. lib. 6. c. 5 & seq.

Brevi post tempore Amazonum nomen intercidit. Hæc autem de Amazonibus huic historiæ intuli, ut has quoque de stirpe nostra descendisse monstrarem. De Amazonibus porrò vide Sallustium, Justinum, Virgilium &c. Amazonum gens ubi Plin. lib. 6. c. 13. & lib. 11. c. 27. de connubio earum lib. 6. c. 7. Opere earum Epheso lib. 5. c. 20. de Origine earum Justinum.

CAPUT XXIV.

De antiquarum Germanarum mulierum fortitudine.

VEtustissimarum cœlibum Amazonum peculiares mores & institutiones multis autorum locis dispalescunt; sed aliarum Germanarum mulierum virtutes non affatim decantatæ extant. Quarum pars antiquas Amazones secutæ, an crudeles mores & ritus, in discrimine. Pars maritis singulari animi præstantia, ac uberiori cum laude adsistebant. Imprimis Valerius Maximus Germanarum & Cimmeriarum mulierum castitatem mortisque contemtum, multis encomiis exornavit. Val. Max. lib. 6. c 1. de pudic.

C. Cornelius Tacitus, ita Germanorum & Germanarum fortitudinem recensere incubuit: *Germani ad matres, ad conjuges vulnera ferunt, nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavent. Cibos quoque & hortensia pugnantibus gestant. Memoriæ proditum est, quasdam acies inclinatas jam & labantes à fœminis restitutas, constantia precum & objectu pectorum & monstrata eminus captivitate, quam longè impatientius fœminarum suarum nomine timent; adeò ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid & providum putant. Nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub divo Vespasiano*

ſiano Velledam diu apud pleroſque Numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam & complures alias venerati ſunt non adulatione, nec tanquam facerent Deas. Tacit. in Germ. c.7. & 8.

CAPUT XXV.

De Bohemicarum mulierum fortitudine.

QUid porrò claruiſſe olim perfortes Amazones, indiget probationis? propioribus ſeculis in gente Bohemica inventæ ſunt puellæ, quæ omne maris genus peroſæ, imperium per ſeptem annos tenuêre, præliis interritæ. Omnia virorum agmina, quæ obvia fuere, per apertam vim proſtravere. Ad ultimum dolo ſuperatæ, magis deceptæ, quam victæ feruntur. Vid. Æn. Sylv. in hiſt. Bohem.

Copioſius de Germanarum, Sarmatarum & aliarum Amazonum virtutibus, conſule Promptuar. Exempl. Hondorff.



LIBER



LIBER XI.

De GENERALI NOMINE GALLICO.

Liber jam notatus de Patronymico partim, ob æquipollentiam verò virtuoso magis, & multis Europæis adæquato nomine Gallico tractat. Quod licet per se amplissimum, latissimumque; respectu tamen Scythicæ diffusionis, minus generale consistit.

Galli sunt, qui alioquin Celtæ ac Galatæ efferuntur. Qui ita dicti, si vel genus pro specie, vel speciem pro genere, quodlibet in suo respectu considerare velis, in forma pronunciationis & scripturæ quidem discrepant, in natura tamen & essentia uni iidemque habentur. Tria nomina & Synonyma sunt & satis antiqua; quod verò antiquissimum ac cæterarum denominationum caput, inter autores non convenit. Nonnulli à Celtico insignio incipiunt, plurimis tamen, nomen Gallicum magis arridet. Hæc saltem differentia est, quod Celtæ & Galatæ Græcis; Galli Latinis notiores evaserint.

CAPUT I.

De Etymologia nominis Gallici.

GOMERUM universalem nostrum propagatorem primitus Gallum, i.e. imbre inundatum *(Galaat enim vel Gallim*, ut Talmudista Samuel exposuit, *undam vel inundationem, Gallus verò inundationem imbrium perpessum, apud Ebræos & Aramæos denotat)* posterosque ejus Cimmerios hoc epitheto Gallos cognominatos fuisse, supra allatum extat. Vid. supr. lib. 7. de Gom. it. Diodor. lib. 6. Xenoph. de æquiv. & An. Viterb. Comment. ibid.

Cæte-

Cæterum ab antiquiſſima ætate Gallum inundatum exprimere, etiam alibi certiſſimè conſtat.

Xenophon præprimis teſtimonium adſtruit inquiens: *Ogyges plures fuere, primus ſupradictus Atavus Nini, quem Babylonii Gallum cognominant, quod in inundatione ſuperſtes etiam alios eripuerit. Hinc Sagæ, apud quos navigio ſalvatus eſt & ereptus, ratim vocant Galerim &c. Quod hodie etiamnum, quando excellentes* Naves Galeen vocantur, maximoperè obſervatur. Xenoph. in ſuo libel. de æquiv. §. Olymp. circ. med.

Gallos præterea imbre inundatos ſignificare, confortatur exinde, cum eorum congentiles, poſteritas inſimul Græco vocabulo Umbros ἀπὸ τȣ̃ ὄμβρȣ, i. e. imbre, propterea, quod Umbri omnium Italiæ populorum antiquiſſimi ab inundatione terrarum imbribusque ſuperſuiſſe crederentur, comprehenderint. Vid. Plin. lib. 3. c. 14.

Unde Gallos veteres progenitores Umbrorum Cato vocavit & Solinus: *veterem inquit Gallorum prolem Umbros eſſe, quos adſeverante M. Antonio Græci Umbros ſc. epitheto paterno dictos volunt, quia in clade aquoſa imbribus ſuperſtites fuerint.* Cat. 2. frag. Orig. Solin. in collectan. Vid. & An. Viterb. comment. ibid.

Alii Græcorum, *qui*, teſte J ſepho, *gentes nominibus ſibi notis inſigniunt*, Gallici nominis genuinum ſenſum ignorantes à γάλα, i. e. lacte, albedine, Galatas candidos deduxerunt. Vel, quod Gomer & ejus poſteritas albedine præcelluerint, vel propter Paronomaſiam, quod ambo vocabula fermè concordent, intimarunt. Vid. infr. c. 3. h. lib.

Ad nomen Gallicum Johann. Cario, ſive potius Philippus Melanchthon ita commentatus: *Non igitur univerſi Cimmerii à peregrinante ſibi indiderunt* Wallen *quod eſt Galli. (Nec appellationem Germaniæ, Latinam eſſe arbitror: ſed, quum iisdem ſyllabis apud Herodotum inter Cimmeriorum reliquias Perſis vicinas*, Γερμάνιοι, Δάοι Σάναι *nuncupentur; inde etiam à Caſpio Mari paulatim progreſſos eſſe arbitror, fugientes bella & tyrannidem.) Fortaſſis ut diſcederent ab Ethnicis idolis, hortatores & ductores Iſraelitas habuerunt, à quibus doctrinam de vero DEO, & alias honeſtas leges, multos in Oriente didiciſſe non dubium eſt. Ideo enim poſt diſperſæ fuerunt decem Tribus, ut ad alias gentes quoque perferretur notitia de vero DEO. Sicut Herodotus ſcribit: in Colchide fuiſſe ritum circumciſionis.* Chron. Carion. Part. 1. expoſit. & auct. à Philip. Melanchth. edit. Witeberg. 1562. p. 26, a.


Xx Circum-

Circumcisionem ab Abrahamo posterisque ejus dependere, citra ambiguum solidescit. Cæterum Ægyptii, omnia primordia sibi arrogantes, priscis etiam scriptoribus fucum obduxerunt: ac si si ritus iste, cum aliis ceremoniis, ab Ægyptiis fluxisset. Hinc est quod Herodotus, traduce Ægyptiorum deceptus discrepuit: *Colchi videntur Ægyptii esse;* paulò post: *quod soli omnium hominum, Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes, ab initio statim, pudenda circumcidunt.* Herod. in Euterp. siv. lib. 2. num. marg. 45. & 56.

Germanicum Wallen igitur non solum à Gomero cognomine Gallo Archipatriarcha nostro celebratissimo tanquam primitivum, sed etiam ut derivativum pervenit, quia in ultima senectute peregrinator extitit; Quem & posteri imitati. Ut autem de nominibus propriis nonnunquam appellativa, denominativa, descensiva vel derivativa, prout connotare cupis, provenire solent; veluti à Baccho Bacchari, item alia ab aliis Græcari, Græcissari, Hellinizare, Atticissare, Scythizare, ἐπισκυθίζειν, Συρίζειν &c. deducuntur; ita Germanorum, quibus plerunque W. loco G. consuetum Gallizare, Wallen oder Wallfahren / peregrinari à Gallo vel Gallis antiquis peregrinantibus, divulgatum fuisse, haud absurdum cadit.

(Quod cæteroquin vocabulum Gallus in variis lingvis varias significationes, ut: in Latina, avis domestici; in Phrygia castrati instar Cybeles sacerdotum, sortiatur. Item quod in nominibus propriis virorum e. g. famuli Martis cognomine Galli, item Ælii, Annii, Asinii, Caninii, Cestii, Herennii &c. item commune hodiernum prænomen celebretur. Item quod fluvius Phrygiæ & Bithyniæ ita nominetur &c. ejusmodi sensus à scopo hoc nostro prius excluduntur.)

Satis jam de Gallici nominis Etymologia, significatione & Homonymia. In præmissis: Gomeri posteros, Majores nostros Cimmerios vel Germanos insimul Gallos cognominatos fuisse absolutè inductum. Proinde præter Berosum, Josephus multique cum eo: *Quos nunc Græci Galatas vocant; Gomerenses olim dictos, Gomerum condidisse; unanimi consensu testantur.* Joseph. lib. 1. antiq. Jud. c. 7. vid. & Lactant. D. Hieron. it. Isid. lib. 9. c. 2.



CAPUT

CAPUT II.

De antiquitate Gallorum, Celtarum & Germanorum, ex Tit. Liv.

UT de migrationibus gentium, quæ valde admirabiles, ac pene infinitæ sunt, aliquid dicam. Olim, præsertim apud Majores nostros, mos increbuerat, vel necessitas potius efflagitârat; ut propter immensam accrescentem multitudinem semper ad bellandum, & proficiscendum, se cinctos paratosque haberent.

1. *Nec tunc primum* (sc. anno 200. ante crematam urbem ut subsequens textus ostendit) *tum Hetruscis; sed multo ante cum iis, qui inter Apenninum Alpesq; incolebant, sæpè exercitus Gallici pugnavere.* Quæ verba: *Nec tunc primum &c. Sed multo ante &c.* item aliæ rationes, crebras & antiquiores Gallorum in Italiam irruptiones, præ illa 200. annis ante crematam urbem & ita ante Christum fermè 587. an. susceptâ, extitisse colligere adducunt.

2. *Fama fertur immemoriali: Gallicam gentem dulcedine frugum maximè vini nova tum voluptate captam; Alpes transiisse, agrosq; ab Hetruscis ante cultos possedisse, & invexisse in Galliam vinum illiciendæ gentis causa.* Cæterum Gallorum, florentibus Thuscis vel Hetruscis, conscriptorum memoria apud Gentiles historicos est antiquissima, ut non multo post transverso ordine ex Livio sequitur: *Thuscorum ante Romanum imperium, latè terra mariq; opes patuere, mari supero inferoq; quibus Italia insulæ forma cingitur. Nomina sunt argumento, quod alterum mare Thuscum, communi vocabulo gentis; alterum Hadriaticum ab Hadria Thuscorum colonia vocavere Italiæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum vocant.* Et iterum ex superioribus: *Eos Gallos, qui oppugnarunt Clusium, non fuisse, qui primi transivere Alpes, satis constat. Ducentis quippe annis ante, quam Clusium oppugnarent, urbemque Romam caperent, in Italiam Galli adscenderunt.* Qui Galli juxta præcedentem superiorem Livii textum, in Italiam ab Arunte Clusino, in ultionem stupratæ à Lucumone præpotente Thuscorum viro, uxoris, per vina & alia transmissa ducti, illecti & vocati venerunt, anno ante Christum 587. ante crematam urbem 200. Ita ob stuprum unius fœminæ perditum & eversum est priscum Thuscorum imperium. Qualem eventum Trojæ quoque & Hispaniæ propter Paridis & Roderici commissa adulteria, item aliis poten-

tissimis regnis contigisse legimus. Vid. fragm. Caton. de Aborig. sub gest. Arunt. Clusin.

3. Abs sæpè nominato Livio paulò post continuatur: *De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus: Prisco Tarquinio regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia est, penes Bituriges summa imperii fuit: Ii Regem Celticis dabant.* Livius Gallorum antiquitatem & prærogativam ostensurus, Celticum nomen, quod tamen Græci generale reponunt, hoc loco ob varietatem temporum & nominum, nimis particulare transumsit.

Ambigatus is fuit, virtute, fortunaque cum sua tam publica præpollens; quod in imperio ejus, Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudine vix regi videbatur posse. Hic magno natu, (i. e. magno natorum hominum agmine) *ipse jam exonerare, prægravante turba regnum, cupiens, Bellovesum ac Sigovesum sororis filios impigros juvenes missurum se esse, in quas Dii dedissent auguriis, sedes, ostendit. Quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes posset.*

Tum Sigoveso sortibus dati Hercinii saltus. Belloveso haud paulo lætiorem in Italiam viam Dii dabant. Is, quos ex iis populis abundare, Bituriges, Avernos, Senones, Heduos, Ambarres, Carnutes, Antercos &c. excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Tricastinos venit.

Alpes deinde oppositæ erant, quas inexsuperabiles visas haud equidem miror, nulla dum via superatas, i. e. nullis vestigiis, nullis limitibus tritas. *De relatis continens memoria*, i. e. certa & recens memoria, *nisi de Hercule fabulis credere libet.* (Traditiones de Hercule Alpes primitus transgresso, quia earum memoria obsoleta erat, ut fabulas & fragmenta reponit, non tollit, ut Tacitus alibi inquit: ex suo ingenio quisquis demat vel addat fidem, eò relinquit. Sed plerunque verissimæ historiæ à Gentilibus, ut Mosis scripta à Platone, in ambiguum remitti solent.)

Ibi cum septos montium altitudo teneret Gallos, spectarentque quanam per juncta Cælo juga in alium orbem transirent; Religio (i. e. auxiliaris religio, Massilienses adjuvandi, eos detinuit, cujus rei gestæ, ut & aliarum rerum egregiè gestarum plenitudo periit) *etiam tenuit, quod allatum est: advenas quærentes agrum abs Salyum gente, oppugnari; Massilienses erant hi à Phocide profecti.* Id scilicet Massiliensium commilitium Galli *fortunæ omen rati adjuvere, ut quem primum Massilienses in terram ingressi occupaverant locum,*

locum, patentibus sylvis (quoniam sylvæ latè & apertè patebant) *communirent.* Circa id tempus Phocenses Cyri tyrannidem fugientes, antiquissimam & dirutam inter Barbaros Salyos civitatem Massiliam non quidem de novo exstruxerunt, sed restaurârunt.

Ipsi Galli per Taurinos saltusque Juliæ Alpis transcenderunt, fusisq; acie Thuscis haud procul Ticino flumine. Cumque agrum, in quo descenderant, Insubrium appellari audissent; à pago Heduorum cognomine Insubribus in patria relictis *ibi omen sequentes loci, condidere urbem Mediolanum appellarunt.*

Alia subinde manus Germanorum, Elitovio Duce, vestigia priorum secuta; eodem saltu, favente Belloveso, cum transcendissent Alpes, ubi nunc Brixia aut Verona urbes sunt, (locos tenuere Libui obscuri populi) condiderunt. Tarquinio Prisco & Ambigato forsan adhuc viventibus, ante Christum 560.

Post hos Salluvii (forsan Salici postea Franci) *qui prope antiquam gentem Leuos Ligures incolentes circa Ticinum amnem, petiere Apenninum.*

Deinde Boji, Ligonesque transgressi, cum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur; Pado ratibus trajecto non Hetruscos modo, sed etiam Umbros (licet perinde cognatos, lingva tamen moribusque variatos) *agro pellunt.* Tit. Liv. lib. 5. ab urb. cond. fol. 98. Dec. 1. usq. 5.

Ex hisce omnibus jam conscriptis, Gallorum & Germanorum, qui non ex unis, sed pluribus ac fermè innumeris nationibus usque constiterunt, & antiquitas & amplitudo diffulget. Insuperque verba ista: *Alia subinde manus Germanorum Elitovio Duce, priorum vestigia secuta &c.* Item *populi Salluvii*, forsan Salici, *item Boji, Ligones* & id genus alia &c. Germanos atque Gallos pro unis iisdemque rectè haberi, abundè confirmant.

CAPUT III.

De Majoribus nostris sub nomine Gallorum.

Galli Senones, inquit Lucius Annæus Florus, *gens natura ferox, moribus incondita, adhuc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus adeò omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, urbiumque stragem videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris & cingente omnia Oceano, ingenti*

agmine profecti, quum jam media devastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti per Italiam vagabantur. Et iterum alibi: *Cimbri Teutonique atque Tigurini ab extremis Galliæ profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant.* Ex hisce verbis, quales propriè fuerint, luculenter patere confido. Luc. Annæus Florus lib. 7. c. 13. de bell. Gall. & lib. 3. c. 3. de bell. Cimbr.

Amplissimos Gallorum Bojos, usque & semper celebratos fuisse, omnibus historicorum apprimè Jul. Cæsaris & Strabonis scriptis enotescit. Eosdem verò de Germano stemmate processisse, nemo dubitat. Jul. Cæs. lib. 1. de bell. Gall. & Strab. lib. 5. Geogr. passim.

Nedum universos exercitus, qui ex pluribus nationibus congregari solent, commemorem, de privatis solisque personis perinde nominis & originis Synonymia considerari potest. Miles ille à Romanis quondam interceptus, qui Cajum Marium interficere jussus, infecto opere recessit, à Plutarcho, Appiano & Valerio Maximo *Cimber*, à Sexto Aurelio Victore Gallus, à Vellejo Paterculo verò expresse *Germanus nominatus* reperiendus est. Plutarch. in Mar. Appian. lib. 1. Civil. Val. Max. lib. 2. c. 10. de Majest. Sext. Aurel. Victor. in libell. de vir. illustr. sub gest. C. Mar. Vellej. Paterc. lib. 2. in pr.

Denique Wolffgangi Lazii conceptam de his nominibus censuram, ut inveni, candidi lectoris judicio committere & adjungere volui: *Gallos Gomeri sobolem, unde & Cimbri Celtæ ac Belgæ posterius processerunt, non solum habitâsse intra Rhenum Hispaniamque, (ubi Galliarum provinciæ peculiariter distinctæ fuerunt) verum etiam in Alpibus Italiæ proximis usque in Noricum, atque inde in Pannonias usque, tenuisse. Immò Westvvallos, quos Westgallos Thrithemius vocat, veterum Gallorum populos fuisse, & ab Inundatis illis descendisse, eodemve eventu nominatos esse constat. Illud verò non ignorandum, postquam Inundati illi Tuisconis posteritati se immiscuissent, secusque Rhenum ac latè per Europam dispersi fuissent, evenisse, ut Teutones, omnes deinde peregrinos & aliarum provinciarum incolas, Wallos & Walliscos denominarent; quemadmodum in hunc usque diem tam Gallos quàm Italos Burgundiones & alios Wallos appellant, & res quasvis exoticas* Wellische *vocant. Jam verò quod ex Inundatis illis, alii Walli, alii Galli, alii Belgæ, nonnulli denique Celtæ ac Galatæ nuncupati fuerint, contigit illud ex pronunciationis diversitate, &*

& ob alias atque alias Teutonicæ linguæ dialectos, secundum provincias, variantes. Primum omnium enim constat, Teutonibus W. infrequenti usu loquendi exercitatissimum esse, atque subinde G. C. U. & B. confundi. Quorum voces Romani posthac imitati, in molliendis Germanorum vocibus consonantes literas expeditum vocalium cursum impedientes exterebant; quemadmodum ex Schwabo / Ehrenvesto / *Svevum, Ariovistum formatum illis videmus. Quæ, & hodie consvetudo Italis manet, qui pro Wilhelmo,* Widone / Welffone / Wartia / Werra *ꝛc. Gvilielmum, Gvidonem, Gvelphum, Gvardiam & Gverram pronunciant. Hinc nimirum factum est, ut Wallus similiter Gvallus & per Syncopen Gallus; deinde ex* Welsche *extrito Sch grasso Germanorum sibilo, Welca & pronunciatione meliore Belga emerserint. Atque postremo, mutato eodem sibilo in T. ex* Welsche *Gvelta & per Syncopen Kelta sive Celta processerint; ut nec dubium sit, originis Teutonicæ fuisse quondam cum Gallos, tum Belgas, & de quibus loquimur hic, Celtas in finibus Italiæ Norici & Pannoniarum colentes, corruptis Romana pronunciatione vocabulis. Nec diversos fuisse Gallos, Belgas, Celtas & Wallos, à primis diluvii temporibus, populos ab eodem quoque stemmate & eventu inundationis à Tuisconis posteritate appellatos. De quibus prolixè differit Johannes Albertus Widmanstadius nobilis Austriæ Cancellarius.* Laz. de migr. gent. lib. 5. de Celt. in pr. p. m. 167. & 168. Lit. B. & C.

CAPUT IV.

De Majoribus nostris sub nomine Celtarum.

PRiusquam de Celtorum vel Celtarum gestis incipiam, de eorum Etymologia & nominis significatione deliberare refert. Quamvis licet juxta Josephum gentes plerasque Græci pro lubitu, sicque Gallos postea communiter Celtas insigniverint; attamen alii alias rationes adducere non divaricantur.

1. A Phœnicibus, Hispaniam & Celtiberiam olim sæpissimè frequentantibus de Patre Noa cognomine Celo, iisdem Celto vel Celta, Gomerenses Celtas, (quæ appellatio juxta eruditos Talmudistas est Phœnicia) insimul cognominatos fuisse adserunt. Veluti etiam Berosus statim post Gallos Celtarum & Celtiberorum diffusim reminiscitur. Vid. Joh. An. Viterb. comment. in Beros. lib. 5. divers. loc.

2. Anno

2. Anno post diluvium prope 560. tempore Balæi Assyriorum & Osiridis Ægyptiorum Regum, Celtes à quo Montes illi maximi, qui dividunt Celtas & Celtiberos, ac ita consequenter universæ earum nationes nomen haberent, Gallorum sive Celtarum Rex potentissimus celebratur. Cui antiquitate etiam Plinius, quando *Nomen Celtæ & Pyrenæi multo longè ante res Trojanas, quibus Hercules, Pyrenes, Cadmus & Orpheus illi Græci extiterunt, fuisse*, profert, adstipulaturus videtur. Vid. Beros. lib. 5. sub gest. Bal. Plin. lib. 3. nat. hist.

3. Fabulis & figmentis inhærentes à Celto Polyphemi filio, juxta Appianum, deducere conantur. Appian.

4. Nomen illud alii ex prisca vernacula nostra oriri malunt, derivatione à castris Germanicè Zelten desumta. Unde Celtæ eosdem denotant ac Castrenses militantes. Eloquuntur adhuc lingva nostra, ein Zeltner. It. ein Zelt-Roß.

Vel 5. Celtarum nomen, universis Germanis, Gallis & Hispanis impositum διὰ τὴν ἐπιφάνειαν ob gentis excellentiam & claritatem. Unde & nomen à Germano verbo gelten / i. e. valere, in pretio esse, derivatum ostendunt. Vid. Matth. Martin. in Lexic. Philolog. sub nomine Celt.

Trifaria de Celtis, antiquus Herodotus commemorat.

1. Quod *Ister sive Danubius à Celtis, immò meditullio Celtarum, atque propriè ab urbe Pyrene incipiat.* Ibi Pyrene neutiquam à montibus Galliam & Hispaniam separantibus ullam cognitionem adipiscitur; Sed urbs Pyrene sive Pyrea Latinis Rufa sive Rufula, nobis haud incongruè Rotweil / propè quam Ister scaturit sive Danubius, excerpenda.

Hujus Pyrenes etiam meminit Appianus Alexandrinus ad montem, quem in Rhætiis, haud procul à Rheni fonte, Maximus Planudes rarissimus Græcus Poëta his versiculis delineat:

Οὔρεα Πυρηναῖα καὶ εὐβαθυαγγέες Ἄλπες
ἃς Ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπεται.

Hos versus Beatus Rhenanus historiæ unicum nostro seculo lumen sic transtulit:

Saxa Pyrenæi, & depressæ vallibus Alpes,
Quæ Rheni fontes haud procul adspicitis.

Conf. Appian. Alexand. in Illyr. hist. Maxim. Planud. Beat. Rhenan. omnes allegat. à Wolffg. Laz. de migr. Gent. Edit. Franf. 1600. Lib. 3. de Cimmer. cap. 1. fol. 49.

2. Celtas

2 *Celtas ultra Cippos Herculis collocat*, quod ita intelligendum: In ipso magno Oceano Aphricæ & Hispaniæ contermino, inque ipsius Oceani ostio, ubi mare nostrum Europæum generali illi ambitui immiscetur, non procul à regno Betico hodie Granaden / duæ propinquæ insulæ, Gades vel Columnæ Herculis nominatæ monstrantur. Quarum alteram in Aphrica Abylan, alteram in Europa Calpen vocant. Montes hodie sunt notissimi, in medio Ostio Oceani, ubi mare nostrum collabitur, existentes. Montes illos olim conjunctos, i. e. unum montem, sive unum obstaculum vel impedimentum fuisse, sed Herculis labore diremtos & transfossos finxerunt. Extra hos cippos, i.e. à latere (veluti alias extra viam dici solet) Celtarum terminos constituit. Atque 3. quo latus extraneum exprimatur, *Cynesios sive Cynetas omnium in Europa ad occasum habitantium ultimos*, *finitimos* adjungit. Cynesiorum autem vel Cynetarum latus Stephano Byzantino est *Canticum in Celtiberia*, ubi hodie est Arragonia. Unde Celtarum, qui etiam antiquo Herodoto non latuerunt, amplitudo abundanter dispalescit. Herod. in Euterp. siv. lib. 5. n. 45. It. in Melpom. siv. lib. 6. n. 106.

Alii iterum aliter sentiunt, attamen Gallos antiquiores & potiores, unde denominatio facienda, extitisse, plerumque verò apud Græcos peræquè generaliter Keltas sive Celtas intimatos fuisse, atque clarissimorum autorum, Appiani, Alexandrini præcipuè judicio, cum Cimmeriis vel Cimbris eosdem cluere, ad scopum nostrum collimandum, sufficere autumo. Vid. Appian. Alex. in libel. quem Illyric. inscrips. It. Wolffg. Laz. de mig. gent. lib. 2. & 5. pass.

Maximè heic conducere opinor illud Svidæ: Κελτοὶ οἱ λεγόμενοι Γερμανοὶ, οἱ ἀμφὶ τὸν Ρῦνον ποταμὸν εἰσιν, i. e. *Celtæ Germani dicuntur, qui Rhenum fluvium habitant. Qui & Senones dicti sunt. Hi olim invaserunt regionem, quin & contra Romanos processerunt.* Svid. in §. Κελτοί.

Porrò de Celtis Celtiberi in Hispania originem traxisse creduntur. Qui cum venissent ad Iberum Hispaniæ fluvium, ibidemque consedissent, assumto ad nomen fluvii nomine, juxta quem consederant, Celtiberi dicti sunt, & regio eorum Celtiberia vulgò Arragon. De quibus Lucanus:

— — Profugi à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberi &c.

Lucan. lib. 4. v. 9. & 10.

De Cimmeriis & Celtiberis (quos Plinius Germanos oretanos

cognominat) Valerius Maximus ejusmodi verba reliquit: *Alacris Cimbrorum & Celtiberorum Philosophia, qui acie exsultabant, tanquam gloriosè & feliciter vita excessuri. Lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. Celtiberi etiam nefas esse ducebant, prælio superesse, cum is occidisset, pro cujus salute spiritum devoverant. Laudanda utrorumque animi præstantia, qui & patriæ incolumitatem fortiter tueri & fidem amicitiæ constanter præstare arbitrati sunt.* Val. Max. lib. 2. c. 6. de extern. institut.

Cæterum Gallos communiter à Græcis Celtas dici, omnibus accuratis historicis notissimum est, atque unos eosdemque denotare, non solum generalia, verum & specialia exempla confirmant. Miles ille præstantissimus, qui adversus M. Valerium monomachia pugnans, corvo impeditus obiisse fertur, à Svida Κέλτος, & *Vir Celtarum eximius* ita ἀνὴρ τῶν Κελτῶν ἡγεμόνικος describitur, à Livio, Gellio & Aurelio Sexto articulatim Gallus transvertitur. Svid. cit. l. Liv. lib. 7. Dec. 3. p. m. 129. Gell. lib. 9. Sext. Aurel. Victor. de vir. Illust. sub gest. M. Val. Corvin.

Plurimos denique Europæ populos ab Oceano Septentrionali & Britannicis Insulis, item Rheni Danubiique fluminibus usque ad Alpes & Pyreneos Montes, dissitos, & abinde tam Cisalpinos quàm Transalpinos per integram Hispaniam usque ad Gades, uno olim nomine in genere Gallos sive Celtas vel Celtiberos circumscriptos, in specie verò Gomeri posteros primitivos sic intimatos fuisse, constat.

CAPUT V.

De Majoribus nostris sub nomine Galatarum.

DE nomine Galatico & ejus Etymologia perinde ac de prioribus diversa judicia suggeruntur.

1. Enim juxta quorundam traditionem anno post diluvium propè 580. Balæo undecimo Assyriorũ Rege perfuncto, *Hercules* Primus (qui Osiridis filius cognomine Lybius pervertitur) *cum in Italiam per Celticas regiones transiret, permissu parentum ex Galathea genuit illis Galathen Regem.* Diodorus alibi refert: *Celtici antiqui Regis cujusdam filiam excellentissimam omnibus procis recusatis, Herculem tandem* (qui supra Alemannicus præfiguratur) *bello adversus Geryo-*

Geryonem, per Celticas regiones advenientem admisisse, unde natum Galathen Galatiæ & Galliæ autorem. Unde nonnulli Galathas per th scribere malunt. Berof. lib. 5. sub gest. Bal. fol. 77. b. Diod. lib. 6. pass. vid. & An. Viterb. Comment. in Berof. ad h. l.

2. Anno post diluvium prope 900. ante Christum 1415. tempore Ramsæ Ægyptiorum Regis & Ehud tertii Israelitarum Judicis, juxta Manethonem Ægyptium Scriptorem, *regnavit apud Celtas Galathes junior, qui vicit Sarmatas & condidit Galatas in Asia.* De hujus victoria & fortitudine ejusdemque exercitu, quibus omnem Sarmatiam & magnam Asiæ partem ditioni suæ parere coëgit, Diodorus Siculus amplius pertractavit; atque Galatas in Asia primævis istis seculis, ante Brennum jamdum fundatos fuisse (ut etiam Solinus in collectaneis & Josephus asserturi apparent) testatus est. Manethon. in suppl. sub gest. Larth. Ægypt. p. 100. & 101. Vid. & Diodor. lib. 6. & lib. 42. pass.

3. Alii fabulatores, quemadmodum Celtam vel Celtum Regem Polyphemi Cyclopis filium finxerunt, ita etiam ab eodem Polyphemo & Galathea nympha Galatam vel Galatum detorquere conati sunt. Vid. Natal. Comit. lib. 9. Mytholog. c. 8.

4. Usitatissima & probatissima illorum sententia est, qui, veluti Aphricani vel Chusæi à Græcis ob colorem nigrum ἀπὸ τȣ͂ αἴθω, uro, ϗ ὤψ facies, Æthiopes, i. e. Nigriti, vel ἀπὸ τȣ͂ μαυρὸς obscurus, Mauri Moren vocantur: ita è diverso omnes Septentrionales Europæos albos in genere, & deinde Cimmerios vel Gallos hoc loco in specie ob candidum & album colorem ἀπὸ τȣ͂ γάλα, i. e. lac vel albedo, sive γάλακτος, candor, albedo, Galatas sive Galatos quasi Γαλακτικȣ̀ς, i. e. albos, lacteos, pulchros nitidos &c. circumscriptos fuisse adserunt. Uti hodierno die Russi albi ad differentiam Asiaticorum trans Tanaim. Item Tartari albi ad differentiam Indicorum & Sinensium, qui sub *Magno Mogul* grassantur, distingvuntur. Huc loci respectum habet illud Livii, ubi: *Gallorum sive Gallogræcorum corpora fusa & candida fuisse* annotavit. Divus quoque Hieronymus ex Lactantio: *Gallos antiquitus à candore corporis Galatas nuncupatos fuisse*, ingenuè professus est. Atque antiquarum quædam Sibyllarum eosdem ita appellavit. Quod significare voluit Poëta, cum cecinit:

Auro innectuntur tunc puro lactea colla.

Liv. lib. 38. fol. 475. Dec. Hieron. in Epist. ad Gal. Virg. lib. 8. Æneid

Hos Galatas in specie sic dictos, cum Cimmeriis, Gallis ac Cel-

tis unos eosdemque consistere, Josephus, unde processerunt, originem demonstrat, ita consignans: *Gomerenses sunt, quos Græci Galatas vocant.* Joseph. lib. 1. c. 7. vid. Diodor. lib. 9. c. 2. Hieron. Lact. & alios.

Cimmerii insuper à Livio, Justino, & Julio Cæsare, Galli ita communiter appellati; à Plutarcho, Strabone & Svida plerunque Celtæ, à Polybio & Pausania expressè Galatæ referuntur. Nullum itaque discrimen, nisi reciprocæ apud varios Scriptores designationum variationes circumversantur.

Diodorus Siculus asseruit: *Ultra hos, qui ad notum Oceanum versus, pertinentes oras & Hercinium montem, qui deinceps ad Scythiam usque habitant, dicuntur Galatæ. Quas omneis gentes, communi nomine, Romani Galatas appellant. Eorum fœminæ non tantum corporis magnitudine sunt viris similes, sed etiam robore. Pueri ut plurimum cani sunt, ætate provecti colorem paternum assumunt. Eorum qui subtus Arcton habitant, quique Scythiæ sunt propinqui, utpote cæteris agrestiores, nonnullos ajunt humanis carnibus vesci; quemadmodum & ii, qui eam Britanniæ partem, quæ Iris dicitur, habitant. Horum fortitudine feritateque divulgata, tradunt eos, qui priscis temporibus omnem ferme Asiam discurrentes, Cimmerii dicebantur, ipsos esse, qui paulo post, corrupto nomine, Cimbri sunt appellati. Jam prisco more latrociniis dant operam, rapientes aliena, cæteris omnibus contemtis. Hi sunt, qui Româ captâ, cum Delphici Apollinis templum spoliassent, magnam Europæ partem, & non parvam Asiæ tributariam fecere; agris eorum, quos subegerant, possessis. Quique in Græciam transierunt Gallogræci sunt nominati: postremo plures magnosque Romanorum exercitus attriverunt.* Diod. Sic. lib. 5. Biblioth. rer. ant. cap. 9. de Galatia, Celtiber. Iber &c. p. m. 424.

Apprimè Pausanias de Galatis digestum id scriptum reliquit: *Galatæ in Europæ extremis oris, ad vastum mare accolunt, cujus fines navibus adiri posse negavit.* Item alibi: *Galatæ (sic enim primis temporibus Galli cognominabantur) postquam Româ auspiciis Furii Camilli pulsi, Italiâ denique majore ex parte cessissent, pluribus electis Regibus sive itineris Ducibus, Brenno, Cerethrio, Acichorio, Belgio & Bathanatio &c. per Noricas Alpes, in Pannonias moverunt; relictâ post se, iis ipsis in montanis, suorum haud exigua manu (à quibus videlicet Celticæ Alpes posteriùs nominatæ fuerunt) ipsi cum majore parte populorum latius in Græciam Reges profecti sunt.*

ſunt. Pauſan. in Attic. It. in Phocid. paſſ. vid. & Laz. de migr. gent. lib. 2. de Gallogræc. fol. 41. B.

Allegatus Pauſanias, item Plutarchus ac Svidas Celtarum ſive Galatarum, prout quisquis nominare voluit, in hac noſtra patria meminerunt, eorundemque irruptiones & prælia, ubi Brenno Duce ex hisce oris, partim in Græciam, partim in Aſiam infuſi, tandemque in provinciis, ad Taurum montem juxta Halyn fluvium, inter Bithyniam & Cappadociam (de quibus infra locupletius) ſubſederunt, copiosè commemorant. Vid. ulterius Joh. Aventin. Wolffg. Lazium. Salom. Geſner. D. Joh. Micrælium, & recentiores plures.

CAPUT VI.

De Gallis Senonibus.

GAlli Senones recentiſſimi advenarum, ab Ufente flumine ad Atheſin fines habuere. Hanc gentem Cluſium, indeque Romam veniſſe comperio. Id vero parum certum eſt, ſolamne, an, ab omnibus Ciſalpinis Gallorum populis adjutam. Cluſini novo bello exterriti, cum multitudinem, tum formas hominum inuſitatas cernerent & genus armorum, audirentque, ſæpe ab iis olim cis ultraq; Padum legiones Hetruſcorum fuſas, legatos Romam, qui auxilium à Senatu peterent, miſêre. Tit. Liv. lib. 1. circ. med. fol. 98. Dec. 5.

Senones quaſi Καίνονες, i. e. novos & incognitos advenas, unica litera C. in S. mutata appellatos arbitrantur. Καινὸς enim Græcis novus, improviſus, ignotus, incognitus, peregrinus eſt. Unde & Lucanus:

Nos primi, Senonum motus, Cimbrosq; ruentes
Vidimus.

Lucan. lib. 1. vid. & Verrium de his pop.

Recentiſſimi advenarum proferuntur, reſpectu anteriorum Germanorum, Gallorum, aliorumve Italiæ advenarum.

Ufens non tam ingens quam clarus Italiæ fluvius eſt, juxta antiquam civitatem Anxur (quod alias Trachina, Taracina vel Tarracina) non procul à Cajeta & Amycla in Campania Italica, occidentem verſus incipiens ac profluens in Pontinas paludes delabitur (Pontina autem vel Pontinna Volſcorum palus juxta forum Appii 20. paſſuum ab urbe diſtat.) Italicè *Aufente Palude* vocari ſolet. Vid. Virg. lib. 7. Æneid. Plin. lib. 3. c. 5.

Athesis fluvius Galliæ Cis-Alpinæ est, qui in Tridentinis oritur Alpibus, cursu rapido Tridentum alluit, deinde Veronam dividens non longè à Brundulo in Adriaticum sive Venetum mare influit. Germanicè Etsch vocatur, Italicè *l'Adice.* Niger vult Strabonis *Atagin* esse. Virg. lib. 9. Æneid. Plin. lib. 3 c. 16.

Proinde: ab *Ufente flumine ad Athesin* tota lataque regio est, à Campania Italica, sive regno Neapolitano, usque ad Alpes Tridentinas, Umbriæ nimirum antiquæ & Hetruriæ, item Volscorum & Samnitum provinciæ, hodie Gallia Cisalpina, Lombardia, Mediolanum, Fori Julium, maximaque ex parte ditio Veneta indigitatur.

Titus Livius obscurè quodammodo exorditur: *Galli Senones recentissimi advenarum ab Ufente flumine ad Athesin fines habuere* &c. i. e. fines in potestatem redactos, non patrios vel primitivos nativos, ut subsequens explicatio clarius dilucidabit, habuêre.

Ab Ufente flumine incipit, non quod ex Hispania Tarraconensi (quod trans mare internum fieri oportuisset) in Campaniam vel regnum Neapolitanum prius, deinde in mediterranea usque, demum ad Athesin irrupissent, vel primum impetum fecissent; Sed quia celebratus Livius natione Patavinus, *ab Ufente flumine ad Athesin*, ad suam sc. usque patriam lateralem numerare & demetiri voluit.

Senones ab Ufente flumine ad Athesin fines occupatos *habuêre.* Quas occupationes haud parvi æstimandas citatus autor sine ullis circumstantiis, sicco pede transgressus, rationibus forsan ita subortis.

1. Vel ad anteriora nimirum: *Nec tunc primum, sed multo ante cum iis, qui inter Apenninum Alpesq; incolebant, sæpè exercitus Gallici pugnavere*, respectum habuit. Unde forsan prædictæ regiones sub ditione & potestate Gallorum adhuc permansêre, quod ex hisce: *Id verò parum certum est, solamne, an ab omnibus Cisalpinis Gallorum populis adjutam*, magis confirmatur.

2. Vel ab Hetruscis & Samnitibus (ut Joh. Aventinus & multi alii peritissimi viri statuerunt) ad ulciscendas injurias sæpissimè à Romanis acceptas *Galli isti Senones* tanquam ferocissimi & incogniti populi accersiti & invocati, istos *ab Ufente flumine ad Athesin fines* concessos habuêre; indeque Clusinis & Romanis terribiliores apparuêre. Quæ, qualitercunque etiam acciderint, ab autore nostro, studio reticita, atque τὸ *habuere* absolutè oppositum.

3. Vel, quod verisimillimum, per Anadiplosin vel anticipationem quandam historicam, quæ peculiari Parenthesi dignoscenda, sensus

sensus succisus capiendus est ita: *Galli Senones recentissimi advenarum ab Ufente flumine ad Athesin fines habuere*, (i. e. obtinuêre, quæ nunc etiam maxima ex parte Cisalpina Gallia appellatur) postea verò scilicet annô ante Christum fermè 400. *Clusium indeque Romam venisse* (autor historiam contexturus inquit) *comperio*.

CAPUT VII.

De diversis & veris Gallorum Senonum deductionibus.

SAtis jam de Gallorum Senonum antiquitate. Originem quod attinet, nonnulli ex ipsa Togata sive Cisalpina Gallia (quæ, ut jamdum pertractatum, priscæ Italiæ portio extitit.) Gallos istos Senones deflectunt; hocceque modo ex citeriori in interiorem Italiam irrupisse, contendunt. Alia ex Gallia Lugdunensi, quæ est ipsa hodierna Gallia Francica, juxta Plinii opinionem derivant, Senonesque ex vicina linea Occidentali in adjacentem Meridionalem Italiam transgressos esse tradunt. Vid. Plin. lib.4.

Critici illi, qui Senones ex Gallia Lugdunensi statuunt, etymon præcisè à flumine Sena aliàs Sequana metantur. Carol. Melchior Grotniz in Tacito suo Germanico Francof. 1657. excuso, Senones incidenter commemoratos, articulatim die am Fluß Sena wohnende Franckreicher interpretatus est. Carl. Melch. Grotniz. in Tacit. Germ. Annal. 15. cap. 41. v. 3.

Obnitentes sunt, qui propter fines ad Athesin, ex propinqua Illyride deducunt, quemadmodum Wolffgangus Lazius in prolixo tractatu suo de migrationibus gentium integrum librum 6. de Gallis Illyricis, qui heic Senones reputantur, consummavit. Johannes Aventinus & ex eo Wolffgangus Hildebrandus, Bojos in specie asserunt, ut & in suis tractatibus Germanicarum editionum haud quaquam recedunt. Joh. Aventin. pass. Wolffg. Hildebr. in vit. Alex. M.

His omnibus utcunque positis, nedum omnimodè concessis, vera tamen & genuina non est demonstrata origo. Cæterum omnes hi errant, qui Senones ex incolis Italiæ vel propinquæ Galliæ Cisalpinæ naturalibus, originaliter detorquere conantur.

1. Enim Italis Romanisque omnes vicini indigenæ innotuerunt: *Senones* verò attestante Livio, *novi* discernebantur, *advenæ* discernebantur, quin immò *advenarum recentissimi*.

2. Pergit insuper reiteratus Livius: *Hanc gentem Clusium, inde-*

indeque Romam venisse comperio. Id parum certum est, solamne, an ab omnibus Cisalpinis Gallorum populis adjutam. Clusini novo bello exterriti, cum multitudinem, tum formas hominum inusitatas cernerent & genus armorum, audirentque sæpè ab iis olim cis ultraque Padum legiones Hetruscorum fusas &c. Quibus verbis Gallorum Senonum peregrinum atque Italis incognitum fuisse genus, evidentissimè demonstravit.

3. *Qui olim in Italiam transcenderunt, neque tunc primum cum Hetruscis, sed multo ante cum iis, qui inter Apenninum Alpes incolebant, pugnavere &c.* Inquilinos ergò vel inveteratos & adversarios fuisse hostes, maturè colligendum.

4. Item: *Qui sub Ambigato, Sigoveso, Hercinios saltus & sub Belloveso Italiam NB. media vice invaserunt, Bituriges, Averni, Senones, Hedui, Ambarres, Carnuti, Aulerici &c.* fuerunt, ex advenis scilicet ut plurimum inquilini facti.

5. Ibidemque propriissimè: *Alia subinde manus Germanorum Elitovio Duce, vestigia priorum secuta.*

Item 6 *Post hos Salluvii deinde Boji Ligonesque transgressi.* Quales fuerint, ipse autor insimul ibidem patefecit. Vid. Liv. c. l. pass.

7. Permulti etiam doctissimi viri Gallos Senones Belgis olim finitimos fuisse asserunt.

8. Plurimi tandem ex Ptolemæi & Strabonis descriptionibus à Mari Svevico usque ad Albim, Longobardorum antiquissimos vicinos constituunt. Ubi hodie maxima ex parte Marchia Brandenburgensis & civitates Brandenburg, Berlin, & Spondau, it. Lusatiæ inferioris portio. Vid. Ptol. & Strab. divers. loc.

9. Tacitus ejusmodi propagationum forsan ignarus, duplices quasi & diversos Senonum populos: *Primos quos Semnones vetustissimos nobilissimosque Svevorum* dixit & apud Svevum fluvium an der Spreu reponit: Alteros *Senones* in Cis-Alpina Gallia vel Italia, ut constituti tunc temporis fuerunt, sine investigatione originis, relinquit. Tacit. Annal. 2. c. 45. v. 1. & Ann. 11. c. 24. v. 8. & Ann. 15. c. 41. v. 3. It. Germ. c. 39. v. 1.

10. Philippus Melanchthon & Casparus Peucerus: *Senones grandævos Germaniæ indigenas esse; quorum tam Gallicos Lugdunenses, quam Italicos Senones, qui in Cisalpina Gallia sive prisca Italia, Tridentum, Mediolanum, Veronam, Bergomum, Vincentiam, Brundulum, Senam & alias urbes condiderunt, progeniem esse,* firmissimè testantur. Philipp. Melanchth. part. 2. lib. 3. Chron. Carion.

rion fol. 4. a. & fol. 153. a. Casp. Peuc. part. 3. lib. 4. Chron. Carion. p. m. 32.

14. Hujus Demographiæ plenitudo, deside licet vetustate obscurata, illud tamen maximos illos exercitus ex variis nostratium nationibus collectos, à Senonibus vero ad mare tunc temporis Svevicum sitis, utpote à principalibus examinum ductoribus atque autoribus, nomen, ut fieri solet, universos participasse constat. *Galli namque Senones*, sanctè attestante Floro, *ab ultimis quondam terrarum oris & cingente omnia Oceano, ingente agmine profecti, quum jam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam vagabantur.* Flor. lib. 1. c. 13. de bell. Gall. in pr.

CAPUT VIII.

De Brenno priori.

BRennus prior vel antiquus, Gallorum (qui juxta Tit. Livium ac Florum *Galli Senones*, juxta verò Plutarchum per integra sua scripta dilucidè Galatæ audiunt) Rex potentissimus, numerosâ popularium abundantiâ examen educere motus, antequam patriam relinqueret, urbem Brandenburg Marchiæ metropolin prope Havelam fluvium ad æterni nominis memoriam instituisse celebratur, ante Christum 416. Vid. Theatr. urb. Joh. Sauers von Franckenberg von der alten Stadt Brandenburg.

Ad hujus herois res gestas redintegrandas, citati Livii sæpius pertractatum textum reassumere præstat: *Senones recentissimi advenarum ab Ufente flumine ad Athesin fines habuere. Hanc gentem Clusium indeque Romam venisse comperio. Id parum certum est, solamne, an ab omnibus Cisalpinis Gallorum populis adjutam. Clusini novo bello exterriti, cum multitudinem tum formas hominum inusitatas cernerent & genus armorum; audirentq́, sæpe ab iis olim cis ultraque Padum legiones Hetruscorum fusas, Legatos Romam, qui auxilium à Senatu peterent, misere. A Romanis iterum legati tres Fabii Ambusti filii missi, qui Senatus populique Romani nomine cum Gallis agerent, ne socios populi Romani, à quibus nullam injuriam accepissent, oppugnarent. Romanis quidem eos, si res cogat, bello tuendos esse; sed bellum ipsum removeri & Gallos novam gentem pace potius cognosci quam armis, melius visum.*

sum. Legatio per se mitis, nî perferoces legatos, Gallisq; magis, quam Romanis similes habuisset. A Gallis responsum datur: Etsi ipsi novum nomen audiant Romanorum, tamen credere viros fortes esse, quoniam auxilium à Clusinis in re trepida sit imploratum. Atque, quoniam Romani legatione adversus sè maluerint, quam armis tueri socios; se quoque pacem, quam illi offerant, non aspernari; si Gallis egentibus agro, quem Clusini latius possideant, quam colere possint, partem finium concedant. Aliter pacem impetrari non posse, de hisce responsionem à Romanis expectare. Si negetur ager, coram iisdem Romanis dimicaturos, ut nunciare domi possint, quantum Galli virtute cæteros mortales præstarent. Legatis Romanis econtra: quodnam jus esset, agrum à possessoribus petere, aut minari arma, ecquid in Hetruria rei Gallis esset quærentibus. Cum illi, se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse, ferociter dicerent; accensis utrinque, ad arma discurritur & prælium conseritur.

Ibi jam urgentibus Romanam urbem fatis, Legati contra jus gentium arma capiunt; nec id clam esse potuit, cum ante signa Hetruscorum Tres illi nobilissimi fortissimique Romanæ juventutis pugnarent. Tantum eminebat peregrina virtus. Quin etiam Q. Fabius evectus extra aciem equo Ducem Gallorum ferociter in ipsa signa Hetruscorum incursantem per latus transfixum hasta occidit; spoliaq; ejus legentem Galli agnovere, perq; totam aciem, Romanum Legatum esse, signa data sunt, omissâ deinde in Clusinos irâ, Galli receptui canunt, minantur Romanis.

Erant Gallorum juvenes, qui ex templo Romam eundum censerent, sed melius suasere seniores, ut Legati prius mitterentur, questum injurias, postulatumque, ut pro jure gentium violato, Fabii dederentur. Cumq; legati Gallorum ea, sicut erant mandata, exposuissent, senatui nec factum placebat Fabiorum, & jus postulare Barbari videbantur. Sed ne id, quod placebat, decerneret, in tantæ nobilitatis viris ambitio obstabat. Itaque ne penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptæ, cognitionem de postulatis Gallorum, ad populum rejiciunt. Ubi tanto plus gratiæ atque opes Fabiorum valuerunt, ut loco pœnæ in contrarium Fabii Tribuni militum crearentur. Quô factô, haud secus, quam dignum erat, infensi Galli, bellum propalam minantes ad suos redeunt. Interim Galli, postquam accepere, ultrà honorem habitum violatoribus juris humani, elusamque suam legationem esse, flagrantes ira, cujus impo-

impotens est gens, confertim signis convulsis iter ingrediuntur.

Rem gestam abbreviaturus præcipua tantum enumerabo: Brennus Gallorum Rex milites festinare impulit; sed appropinquantibus ad Alliam flumen cum exercitu Romano Fabius occurrit. Romani immani clade funduntur, totum sinistrum cornu, armis abjectis defugit, multis in Tiberim se præcipitantes imperitos navigandi, aut loricis aliisque tegminibus gravatos hausere gurgites; pars incerto itinere Vejos hostium urbem perfugit. Unde à sinistro isto cornu, ne nuncius quidem cladis Romam est missus. Ab dextro cornu, quod procul à flumine & magis sub monte steterat, plures Romam petiêre; sed ne clausis quidem portis urbis, in arcem confugerunt. Hæc est illa in historicis notissima clades Alliensis, qua Cremera non fœdior; itaque hunc diem fastis Roma damnavit.

Fuso Romanorum exercitu haud multo ante Solis occasum, Galli ad Romam perveniunt, apertamque urbem primò veriti, ne quis subesset dolus, mox ubi solitudinem vident, majori clamore & impetu invadunt, faces tectis injiciunt, totamque exurunt, præter Capitolium, quo nobilior juventus confugerat. Illud quoque oppugnantes, & nocte quadam clam aggredientes, nî anserum clangore proditi forent, cepissent. Tandem contractis aliquot auri talentis discesserunt, ante Christum 390 vel ut alii volunt 387. Quæ omnia ex Tit. Livio & Lucio Annæo Floro succincte, licet non semper verbotenus, extracta. Liv. lib. 5. fol. 98. usque ad fin. Plutarch. in Camil. Luc. An. Flor. lib. 1. c. 13. per tot. Justin. lib. 24. c. 4.

Gallos hosce Senones totam Romam cum Capitolio partim incendisse, partim exsuperasse, partimque in deditionem accepisse, tandem verò ingenti pecunia placatos recessisse, Statius Poëta apponit. Stat. lib. 5. Sylvar.

Brennus abinde diversus in Illyridem prope Venetiam & Pannoniam concessit. Priusquam prorsus Italiam reliquisset, urbem Brennonem, quæ postea literarum aliqua mutatione Verona dicta, struxisse fertur. Vid. Theatr. urb. de hac civit.

Justinus hic continuat: *Et portio Illyricos sinus ducibus avibus (nam augurandi studio Galli præ cæteris callent) per strages Barbarorum penetravit, & in Pannonia consedit. Gens aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem, cui ea res virtutis admirationem & immortalitatis fidem dedit, Alpium invicta juga & impenetrabilia loca transcendit. Ibi* scilicet in Pannonia *perdomitis incolis, permultos annos cum finitimis bella gesserunt.* Justin. citat. loc.

CAPUT IX.

De Sirmo Gallorum Senonum Rege.

AVentinus porro heic subinfert & prædictos autores quasi complet, posterorum & successorum numerum ac genealogiam recensendo. Quorum præcipuus Sirmus, qui ex cunctis ævi ejusdem Regibus solus Alexandro formidabilis adversarius extitit. (Sed inter hunc Gallicum, atque inter alium ferme coætaneum Geticum Regem Sirmum sanè distingvendum est.) Parato utrinque maximo exercitu amborum obitus intervenit ante Christum 322. Alii, veluti in Chronologicis vehementissimè erratur, aliter sentiunt.

Sirmus iterum reliquit Brennum posteriorem & Belgium (qui alias Bolgius vel Balgius König Balger) ambos insignes heroes, paterna conamina aliquantò pòst ad finem perducentes. Vid. Joh. Aventin. divers. loc.

CAPUT X.

De Brenno posteriori & Belgio Gallorum Regibus.

BRennus posterior post decem, defuncto Alexandro M. cœpit florere annos, Græciam invasit cum animosis suis militibus, quos Plutarchus & Polybius expresse Galatas intimarunt; dum ex Italia, quo eos Hetrurii & Samnites Romanorum perpetes perduelles antea conduxerant, reversus esset.

Livius iterum recenset, historiamque continuat: *Cæterum Senones Galli multitudine ingenti iterum ad Clusium venerunt, legiones Romanas castraque oppugnaturi. Scipio, qui castris præerat, adjuvandam paucitatem suorum militum ratus, in colle, qui inter urbem & castra erat, aciem erexit. Sed ut in re subita parum explorato itinere ad jugum perrexit: quod hostes jamdum ceperant, parte alia aggressi. Ita cæsa à tergo legio, atque ita in medio, cum hostis undique urgeret, circumventa. Deletam quoque ibi legionem, ita ut nuncius non superesset, quidam autores sunt; nec ante ad consules, qui jam haud procul à Clusio aberant, famam hujus cladis perlatam, quam in conspectum fuere Gallorum equites, pectoribus equorum suspensa gestantes capita lanceis infixa.*

Igitur

Igitur ambo Consules Q. Fabius & P. Decius profecti ad bellum cum 4. legionibus & magno equitatu Romano, Campanis quoque equitibus delectis & ad bellum missis, & sociorum nominis Latini majore exercitu, quam Romani.

Ferocior Decius & ætate & vigore animi, quantumcunque virium habuit, primo certamine effudit; & quia lentior videbatur pedestris pugna, equitatum in pugnam concitat, & fortissimæ juvenum turmæ immistus, orat proceres juventutis, ut secum in hostes impetum faciant, duplicemque eorum gloriam fore, si à lævo cornu, & ab equite victoriam incipiant. Bis avertere Gallicum certamen; interim longius evectos, & jam inter media equitum agmina, prælium cientes novum pugnæ conterruit genus: Essedis, carrisq; superstans armatus hostis ingenti sonitu equorum ac vehiculorum raptorum advenit, & insolitos ejus tumultus Romanorum conterruit equos. Ita victorem equitatum, velut lymphaticus pavor dissipat; sternit inde ruentes equos virosque improvida fuga. Turbata hinc etiam signa legionum, multique impetu equorum ac vehiculorum raptorum per agmen obtriti sunt antesignani. Et Gallica acies simul insecuta, territis hostibus nullum spacium respirandi seque recipiendi dedit Vociferari Decius, quo fugerent? quamve in fuga spem haberent? Obsistere cedentibus ac revocare fusos. Deinde ubi nulla vi perculsos sustinere poterat, P. Decium nomine compellans: quid ultra moror familiare fatum? datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis piacula simus. Jam ego mecum legiones hostium mactandas Telluri ac Diis manibus dabo. Hæc locutus M. Livium Pontificem, quem descendens in aciem digredi vetuerat à se, præire jussit verba: quibus secum legiones hostium pro exercitu populi Romani Quiritium devoverat. Devotus inde eadem precatione, eodemque habitu, quo Pater P. Decius ad Veserim bello Latino se jusserat devoveri. Cumque secundum solennes precationes adjecisset: Præ se agere formidinem & fugam, cædem & cruorem, Cœlestium & Inferorum iras; contacturum funebribus Diris, signa, tela, arma hostium, locumque eundem suæ pestis & Gallorum fore. Hæc exsecratus in se hostesq;, qua confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum, inferensque se infestis telis interfectus est. Romani Duce amisso, quæ res terrori aliàs esse solet, sistere fugam, ac novam de integro velle instaurare pugnam. Galli & maximè globus circumstans Consulis corpus velut alienata mente, vana in cassum jactare tela; quidam torpere, & nec

pugnæ meminisse nec fugæ, Anno ante Christum prope 293. Tit.Liv. lib. 10. fol. 179. usque 180.

Pugna ista edita ubi ab utraque parte mutuis cladibus ambiguoque Marte discessum; Galli suos superstites & undique collectos in Græciam ac Macedoniam duxere ferentarios.

Quam historiam Justinus ita continuavit: *Hortante deinde successu, divisis agminibus alii Græciam, alii Macedoniam omnia ferro proterentes petivere. Tantus terror Gallici nominis erat, ut etiam Reges non lacessiti ultrò pacem ingenti pecunia mercarentur. Solus Rex Macedoniæ Ptolemæus adventum Gallorum intrepidus audivit, atque cum paucis & incomtis, quasi bella non difficilius, quam scelera patrarentur, parricidiorum furiis agitatus occurrit. Dardanorum quoque legationem viginti millia armatorum in auxilium offerentem sprevit, addita insuper contumelia, actum de Macedonibus dicens, si cum totum orbem soli domuerint, nunc in vindictam finium, Dardanis egeant: Milites se habere filios eorum, qui sub Alexandro Rege, in toto terrarum orbe victores fuerint. Quæ ubi Dardanio Regi nunciata sunt, inclutum illud Macedoniæ regnum brevi immaturi juvenis temeritate casurum dixit.* Justin. lib 24. c. 5.

Interim Galli Duce Belgio ad tentandos Macedonum animos, legatos ad Ptolemæum mittunt, offerentes pacem, si emere velit. Sed Ptolemæus inter suos, belli metu pacem Gallos petere gloriatus est, nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos jactavit, aliter se pacem daturum negando, nisi Principes suos obsides dederint, & arma tradiderint; non enim fidem nisi inermibus habiturum. Renunciante hæc legatione, risere Galli, undique acclamantes, brevi sensurum, num sibi an illi consulentes pacem obtulissent. Interjectis diebus prælium conferitur, victique Macedones cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus saucius capitur, caput ejus amputatum lancea fixum, tota acie, ad terrorem hostium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga servavit, cæteri aut capti aut occisi. Hæc cum nunciata per omnem Macedoniam essent, portæ urbium clauduntur, luctu omnia replentur, nunc orbitatem amissorum liberorum dolebant, nunc excidia urbium metuebant: Nunc Alexandri, Philippiq; Regum suorum nomina sicut Numina in auxilium vocabant. Sub illis se non solùm tutos, verum etiam victores orbis terrarum extitisse: nunc tuerentur patriam suam, quam gloria rerum gestarum cœlo proximam reddidissent, ut opem afflictis

ctis ferrent, quos furor & temeritas Ptolemæi Regis perdidisset, orabant. Desperantibus omnibus, non verbis agendum, Sosthenes unus de Macedonum Principibus ratus, contracta juventute, & Gallos victoria exultantes compescuit, & Macedoniam ab hostili populatione defendit. Justin. lib. 24. c. 6.

Cæterum Brennus posterior, quo Duce portio Gallorum in Græciam se effuderat, audita victoria suorum, qui Belgio Duce Macedones vicerunt. Indignatus, partâ victoriâ, opimam prædam & Orientis spoliis onustam tam breviter amissam fuisse. Ipse adunatis 150. Millibus peditum & 15. Millibus equitum in Macedoniam erupit. Cumq; agros villasque popularentur, occurrit ei, cum instructo exercitu Sosthenes; Sed pauci à pluribus, trepidi à valentibus facilè vincuntur. Itaque cum victi Macedones intra muros urbium se condidissent, victor Brennus nemine prohibente, totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde quasi terrena jam spolia sorderent, animum ad Deorum immortalium templa convertit, scurriliter jocans: Locupletes Deos largiri hominibus oportere. Statim igitur Delphos iter convertit, prædam religioni, aurum offensæ Deorum immortalium præferens, quos nullis opibus egere, aut qui eas largiri hominibus soleant, affirmat.

Justinus Brennum Apollinis Delphici templum ingressum esse, negat, & absurdas Græcorum Sacerdotum fabulas recenset: ac si Apollinis apparentia & visibilis repræsentatio, Gallos per terræmotum, grandinem & frigus absumsisset. Dux ipse Brennus cum dolorem vulnerum diutius ferre non potuisset, pugione vitam finisset. Reliquos fugientes, assidui imbres, gelu, nix concreta, fames, lassitudo & alia incommoda obtrivissent, ut nemo de tanto exercitu, qui paulo ante, fiducia virium etiam adversus Deos tendebant, vel ad memoriam tantæ cladis remansisset.

Sed Aventinus, Brennum non duntaxat templum Apollinis spoliâsse, verum etiam maximam quædam reportâsse affirmat, obtinens autoritatem Valerii Maximi, qui Brennum Apollinis templum spoliâsse, expresśè demonstrat. V.M. lib. 1. c. 2. de neglect. relig.

Ex Polybio quoque & Diodoro Siculo fabula eorum, qui Brennum cum suis in spoliatione templi Delphici fulminibus & terræmotu extinctum tradidere redarguitur. Nam id confictum esse à Græcis dictus Polybius candidè aperuit, ac Galatas (sic enim eosdem nuncupat) numerosa manu in Thracia aliquandiu sese retinuisse ibique regnum celebre condidisse, ostendit. Ejusque Reges ordinatim recensét.

censet. Polyb. lib. 4. c. 46. Diod. Sic. lib. 6. c. 9. de Galat. Vid. porrò Avent. & alios ad h. l.

Galli insuper sive Galatæ, sive Celtæ, prout nominare velis, longè postea sub Rege Brenno egregia facta transegere plura. Antigonum ad petendam perdomuere pacem; inque Asiam Minorem concedentes, ubique se dispersere locorum.

Ipse Justinus vicissim retulit: *Gallorum tantæ fœcunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque Reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt. Tantus terror Gallici nominis, & armorum invicta felicitas, ut aliter neque majestatem suam tutam neque amissam recuperare se posse, sine Gallorum virtute, arbitrarentur.* Justin. lib. 25. c. 2.

Atque antiquus Livius iterum connotavit: *Galli magna hominum vis seu inopia agri, seu prædæ spe Brenno Duce in Dardanos pervenerunt, nullam gentem, per quam ituri essent, parem armis rati. Ibi seditio orta & ad 20000. hominum Lomnorio & Luthario Regulis, secessione facta à Brenno se segregarunt. Cupido inde eos in Asiam transeundi, audientes ex propinquo, quanta ubertas terræ ejus esset, invasit. Macedonibus aliquando ad speculandum emissis, Lutharius naves adimit; his alios atque alios, dies noctesque, transvehendo, inter paucos dies omnes copias in Asiam trajecit. Haud ita multa post etiam Lomnorius adjuvante Nicomede Bithyniæ rege, milites suos à Byzantio transmisit. Coëunt deinde in unum rursus Galli & auxilia Nicomedi dant adversus Zybæam partem tenentem Bithyniæ gerenti bellum; atque maximè Gallorum opera devictus Zybæa est, Bithyniaque omnis in ditionem Nicomedis concessit.* Liv. lib. 38. fol. 473. & seq.

Justinus iterum resarsit; ita in auxilium à Rege Bithyniæ vocati, regnum cum eo, parta victoria, diviserunt, eamque regionem Gallogræciam cognominarunt. Quam Plutarchus Galatiam nuncupat.

Mors autem & finis sæpè celebrati Brenni posterioris, accuratè non elucescit. Nonnulli regerunt, eum deinceps ingentibus cum manubiis in patriam, unde egressus, reversum, ibi exspirâsse. De quo Majores nostri complura, quæ nobis periere, carmina composuerunt.

Vid. Liv. Justin. Plutarch. Polyb. & Joh. Aventin. divers. loc.

Wolffg. Hildebrand. in vit. Alex. M.

CAPUT

CAPUT XI.
De Galatis in Asia.

GAllos jamdum explanatòs ſive Celtas ſive Galatas (quolibet nō-mine pronunciari æquivalet) victis aliquoties Romanis, debellata Macedonia, maximisque exercitibus ſuperatis, tandem in Bithyniam ingreſſos Galatas, quos etiam à Græcorum conſocietate Gallogræcos vel Græcogallos appellatos offendimus, in Aſia Minori & adjacentibus regionibus fundâſſe firmiſſimè ſtatuunt.

Sed ut de Galatia ipſa, Gallogræcia vel Græcogallia quaſi obiter aliquid proferam. Hodie vulgariter effertur *Pere*, cujus partes *Rony & Chiancare.* Regio clauditur 1. à Septentrione Ponto Euxino. 2. Ab Oriente Cappadocia & flumine Haly. 3. A Meridie Pamphilia. 4. Ab Occaſu, Aſia Minori & Ponto Bithyniano.

Montes ſunt: Olgaſis, Didymus & Celænorum tumulus.

Provincias in ſe comprehendit. 1. Ipſam Bithyniam. 2. Verſus Septentrionem Paphlagoniam antiquorum Riphæorum patriæ partem. 3. Verſus Meridiem Iſauriam, ubi & urbs Iſauria & Piſidiæ pars. 4. Plagas majore ex parte antiquæ Phrygiæ & caput ejus vetuſtam urbem Gordionem, ubi artificioſus olim & ingenioſus nodus Gordius extitit.

Urbes ſunt: Gordion, Sinope & incunabulis & ſepulchro Regis Mithridatis nobilitata, Amiſus, Therma, Beſſinus, quæ Dindymene & Cybele ante dicta, Theutrania Teutoſagum princeps, Ancyra &c.

Incolæ varii & multigeni referuntur, qui tamen omnes Galatæ indiſcriminatim audiverunt. Admirabilis profecto populorum mixtura in Galatia à Geographis paſſim deſcribitur. Olim Phryges tenuêre & Paphlagones. Paphlagoniæ nomen remanſit in parte Galatiæ. Veteres quoque indigenæ cenſentur Chalybes, Proterliminitæ, Byceni, Orontici &c. Galatarum nationes Teutoſages, qui & Tectoſages nuncupantur, quorum caput Ancyra urbs, Teutobodiaci, Trocmi, Toliſtobogi, Ambiani, Ambituri, Voturi &c.

Trocmi & Toliſtobogi juxta Geſnerum & Waſerum, expreſsè Germanicam proſapiam referunt. Illi à Latino trux vel potius à Germanico Trotzen vel Trutzen / quod eſt nimis inſolenter laceſſere. Hi Toliſtobogi à ferendis arcubus cognominati, à tollere verbo Latinorum & Bogen arcum notante. Et quidem hi omnes, maximi populi. Singulares tribus, præfecturæ & tetrarchiæ numero fermè

200. censentur. Vid. Plin. lib. 5. c. 2. Strab. lib. 2. Gesner. in Mithrid. it. Waser. it. Matth. Martin. Lexic. Philol. sub nom. Galat.

Hi sunt Galatæ, de quorum conversione ad fidem Christianam in actis Apostolorum agitur. Ad quos D. Paulus suas direxit singulares epistolas: quosve præcipuæ liberalitatis, integritatis atque candoris encomio condecorare voluit, ita enuncians: *Perchari Galatæ! testimonium vobis perhibeo, quod si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi.* Act. 3. v. 1. usque 18. Galat. 4. v. 15.

Efficacissimè pr inde præsagium illud: *Dilatet Deus Japhet, & habitare faciat (gloriam ejus) in Tabernaculis Semi* in Gomeri primogeniti posteris utroque modo impletum esse, obtinet. Copiosa enim hujus generis examina & emigrationes, legentes intricatos quasi reddere atque obstupefactos, apparet. Translocatio in Tabernaculis Semi non tantum olim apud Galatas, verum etiam (Divino super omnia misericordi Numini grates perennes oblatæ sint) in patria hac nostra sincerum Dei verbum largè adeptâ, redundavit.

Galatas tandem nostrati prosapia gavisos, excellentissimus Doctor Philippus Melanchthon studii historici & antiquitatis strenuus indagator ex certissimis & firmissimis autorum locis: *Germanicam lingvam diu in Galatarum regione floruisse*, validissimè demonstrat. Divus quoque Hieronymus expressè revelat: *Galatas excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquebatur, propriam lingvam, eandem fermè habuisse, quam Treviros.* Similiter Casparus Peucerus refert: *Nec apud Galatas & in Armeniæ parte desiisse usum Germanici sermonis, ex historia Friderici Barbarossæ notum est.* Compluribus, si requireretur, probationibus demonstrari posset, verum prolixitatis vitandæ gratia hisce tam paucis in re tam manifesta, lector satiabitur. Vid. Philip. Melanchth. D. Hieron. Com. Epist. ad Gal. Casp. Peuc. lib. 4. Chron. Vid. & Matth. Martin. Lex. Philol. sub nom. Galat.

CAPUT XII.

De Buccellariis.

Galatæ postea bellicosum ac Castrense nomen Buccellarium ob philopolemiam & promptitudinem ad bellum sortiti sunt.

Buccellarius derivatur à buccellato h. e. frusto panis vel cibi milita-

militaris. Inventur etiam cum simplice c. præsertim apud Græcos Βυκελλάριος.

Est autem buccellatum panis castrensis, ad usus diuturnitatem confectum; quod vulgò panem nauticum vel bis coctum appellant. Dictum est ex eo, quod in buccellas & quasi tessellata frusta divisum sit. Unde Buccellarii in communi omnes milites stipendiarii & alienis buccellis conducti dici possunt. Constantino βυκελλάριος & φύλαξ ἄρτου, custos panis, i. e. cunctæ necessitatis. Juxta Basilicum Buccellarii dicuntur stationarii milites; ex nomine autem bucca sic nominantur: panem alicujus edentes eo fine, ut morerentur ac moriantur apud eum. Constant. Them. Orient. 6. Basilic. lib. 60. tit. 18.

Hac ratione etiam Galatæ nomen Buccellariorum promeriti. Suidas Buccellarios Galatas fuisse scribit, atque Galatiam Buccellariorum regionem appellavit. Turnebus Buccellarios equites Galatas prædictos fuisse ex hoc Svidæ collegit: Τῶν Βυκκελλαρίων χώρα Γαλλογαικία. Svid. Turneb. lib. 24. c. 16. Vid. & & Alciat. lib. 2. dispunct. & Donat. Marcell. in Lamprid.

Postmodum honestum cognomen illud in abusum prolapsum ambiguæque significationi obnoxium factum, ut tam proba quàm sinistra parte acciperetur. Quod nomen retinuerunt etiam, qui in militiis sub stipendiis legitimis esse definentes, prædones agebant, & milites se non latrones haberi volebant, quemadmodum juxta Tacitum *omnia flagitia sub honestis nominibus latere gaudent.* In exercitu Romano Buccellarios equites fuisse, quibus magister equitum in Oriente præfuerat; missione verò accepta latrocinari & raptu vivere cœpisse, dictus Alciatus refert.

Hinc Buccellarius vel Bucellarius i. e. parasitaster ardelio, qui alienas buccas consectatur, accipitur. Vid. Isid. gl. de hoc nom. It. Matth. Mart. Lex. Phil. sub nom. Buccel.

CAPUT XIII. Extraordinarium.

De variis nostratium specialibus nationibus.

COmpendium de multifariis & innumerabilibus fermè Nostratium specialibus nationibus annectere placuit. Inveniuntur autem Majores nostri apud Cajum Cornelium Tacitum in tres præcipuè capitales divisiones distincti, atque *Ingevones*, *Herminones* & *Istevones* appellati. Quæ eleganter distincta nomina nunc, sive à

vetuſtate extincta, aut ob ſolitas peregrinationes obſoleta & mutata. Tacit. in Germ. c. 2. v. 4.

Plinius V. Germanorum genera recenſet: *Vandalos*, *Ingevones*, *Iſtevones*, *Herminones*, *Peucinos*, *quibus adjungit Baſtarnas.* Sub his veluti generibus multæ ſpeciales continebantur tribus & provinciales: *Vandalis interjecti erant Burgundiones, Carini, Guttones. Ingevonum nomine comprehendebantur Chauci, Saxones, Pharedones, Friſii, Battavi, Mattiaci, Chamavi &c. Inter Iſtevones cenſuit Sicambros, Tencteros, Ubios, Uſipios, Bructeros, Quados, Angrivarios, Tubantes, Buſactores, Vangiones, Nemedes &c.* Sub Herminionibus intellexit *Marcomannos, Ligios, Arios, Eliſios, Cheruſcos, Cattos, Hermunduros &c.* Plin. lib. 4. c. 14. p. m. 6. Dec. 3.

Strabo quoque enumerat Germaniæ incolas, non tamen ſervato eodem ordine & diſcretione, ſed plures & diverſas appellationes recenſet, ut ſunt: *Bructeri, Svevi, Chaldui, Marcomanni, Luji, Zumi, Buttones Mugilones, Sabini, Senones, Sicambri, Catti, Gambrivii, Cattuarii, Caubi, Cimbri, Caulci, Campſiani, Biſurges, Cheruſci, Cariſci, Amphiani, Cheinſi, Landi, Sabatii, Hermunduri, Boji &c.* Hæc Strabo.

Multo aliter C. Cornelius Tacitus: *Uſipedes, Tencteri, Friſii, Angrivarii, Dulgibini, Taſauri, Chauci, Longobardi, Reudingi, Angli, Aviarii, Varini, Eudoſi, Svarmi, Nuithones, Hermunduri, Nariſci, Marcomanni, Quadi, Narſingi, Gothini, Oſi, Buri, Ligii, Arii, Helvetii, Manumi, Eliſii, Naharvali, Rugii, Semnones, Suiones, Veneti, Fenni, Vandali &c.* Tacit. in Germ. paſſ.

Ptolemæus multos alios adjecit & veteres appellationes corrupit, extant & complura, quæ transmitto ferè innumerabilia peculiaria nomina.

Noſtratium hodiernorum nomina pleraque hæc ſunt: Brabandi, Seelandi, Hollandi, Friſii, Ditmarſi, Weſtvali, Brunſvicenſes, Luneburgenſes, Megalopolitani, Holſati, Pruſſii, Pomerani, Marchici, Saxones, Haſſi, Miſnici, Thuringi, Voitlandi, Franci, Norici, Palatini, Svevi, Bavari, Salisburgenſes, Tyrolenſes, Luſatii, Sileſii, Auſtriaci, Alſati, Svitenſes &c.

Unde autem vehementiſſimæ hæ mutationes pervenerint, validiſſimum argumentum eſt, quod apud Majores noſtros, uſitatiſſimo more conſvetum fuerit, exercitibus ſuis ſingularia nomina & honoris inſignia attribuere; ut ex obſcuro illo nondumque ſatis dilucidato

cidato Taciti dicto colligere est: *Definitur & numerus, Centeni ex singulis pagis sunt: id ipsum* (numerale vel paganum) *inter suos vocantur. Et quod primo numerus fuit, jam nomen & honor est.* Proinde factum, ut sæpissimè acquisita ista virtuosa nomina, præ Patronymicis vel Gentiliciis emicuerint, ac notiora evaserint. Tacit. in Germ. c. 6. v. 7.

Talia autem & ejusmodi, si modo antiqua cum hodiernis conferantur, facilius apparebunt: Nullum bellum ab unica solaque natione geritur, sed ex pluribus copulatur; ab autore verò & belli Duce nomen desumitur.

Quoniam igitur ubique historicorum tam ingens nominum populorum mixtura, & de gente præsertim nostra reperitur moles. Quæ nomina unà cum populis omnia periisse non verisimile; ab autoribus verò falsata vel ficta arguere nefas. Origo ergo ex multiplicibus coacervatis & reformatis coloniis, vel mutatis sedibus, vel ex variis populorum se invicem expulsionibus haud ineptè, desumenda est.

Ad præfixum iterum collimabo scopum, materiæ equidem excellentia mereretur, principales radicitus nationes collustrare, sed eorum cognitio nondum satis exquisita. Attamen in immensis modicè me gerere & stemmatis nostri vagabundum Vandalorum genus digerere lubet. Interea autem præprimis novisse conducit: Vandalos i. e. Wandeler omnes plerunque peregrinantes Majoribus nostris resonuisse.

Casparus Peucerus, in Plinii & Taciti scripta quasi commentaturus, hæcce verba adstruit: *Vandalorum & Ingevonum nomina, non petitis procul derivationibus, nec assumto etymo alieno, contraria sunt. Ingevones sono significatoque suffragante significant indigenas* αὐτόχθονας *quasi inhabitatores*, Jnwohner / *Vandali autem advenas vel peregrinos & novos homines.* Wandeln *enim Germanica lingva usitatissima & notissima idem est ac peregrinari. Nec repugno, si quis Vandalos ideò denominatos esse existimet, qui vulgata istis temporibus consvetudine & significato usu trito, negotiorum & commerciorum invehendorum ac commutandorum causa, longa susceperint itinera, & diversas obierint terras. Et Ingevones fuerint coloni & agricolæ, qui colenda terra domi: Vandali verò negotiatores, qui evehendis invehendisque mercimoniis, alibi victum quæsiverunt.* Caspar. Peucer. lib. 4. Chron. p. m. 14. in pr.

An Vandali & Wenden / i. e. hinc & inde vertentes cum Henetis, Venetis, ac Winulis uni iidemque ſint habendi, haud certo ſcio. Si ſint, hodie vocabulum de gente Sclavonica & de iis, qui in Luſatia & ad fluvium Sprevum habitant, ſeorſim & abuſivè intelligendum.

Ad Vandalos revertor annecturus, quomodo nonnullis Vindelici Vandaliſci ſunt, quia idem nomen apud diverſas nationes, mutatis vocalibus, variari ſolet.

Vetuſtiſſimæ autem ex Scythia ab Herodoto, aliisque, deſumtæ denominationes, ut Dacorum, Sacarum, Chatorum, Svevorum ſive Syeborum, Getarum, Tyrigetatum, Myſorum &c. maximè arrident; atque ut recta veraque nomina Patronymica vel Gentilicia apparent.

Potuiſſent præ aliis C. Jul. Cæſaris, Ptolemæi, Pomponii, Melæ, aliorumve Germaniæ ſcriptorum deſignationes haud incommodè explanari & conferri, quomodo inter ſe conveniant discrepentque. Dum verò tantis difficultatum ponderibus ſuperfluant, ac alioquin hinc & inde Commentarios acquiſivere, meum ulterius dilucidare haud opus reor.

CAPUT XIV. Extraordinarium.

De Fideli Eckardo ſive Treu Eckard.

TO Nomen Eckardus (nonnullis Hegardus, Hechardus, Eggenhardus, Echicardus) variis etymologiis & derivationibus obnoxium eſt.

1. Eckhardus quibusdam quaſi Eth-artus eſt Vatters-Art / quia Etha, Hetto, Hatto, Otto, Ot ac At priſcâ Saxonicâ lingvâ Pater, cuſtos, Hütter / ſervans, tuens eſſet. Atque ille Odoacer ab Italis ita dictus, foret Hett-hoger Pater conſervans. Eoque reſpexit circumforaneum illud, B. Luthero vulgò adſcriptum opus, alioquin non inelegans, cujus titulus; *Aliquot nomina Germanica ad priſcam etymologiam reſtituta.*

2. Eodem in opuſculo Eckardus etiam expoſitus legitur quaſi Hegardus vel Hegrathus Hegerath / ab Hegen cuſtodire, ſervare & Rath conſilium. Conf. Chriſtian. Becman. Bornenſ. manuduct. ad Latin. ling. ſub nom. Cunrad. p. m. 301.

3. Eckardus nomen puræ Germanicæ originis eſſe, magis evincunt vocabula Eck angulus & Hard ſive Hart durus conſtans. Unde Eckardus robori ſeu conſtantiæ lapidis angularis reſpondet; nominique Petri Felſen-Hart fermè conſentaneus. Quoad poſteriorem ſyllabam

labam id quoque agnoscit Bodinus scribens: *Hard quoque Celticum est, quod Germanis robustum significat, nobis audacem.* Bodin. in method. hist. Vid. & Avent. in nomenclat. quorund. German. prop. prior. Annalib. Bojor. præfixa.

Quod fabulas attinet, antiquarii critici vel mythologi curiosi, ex Johanne Aventino, vetustatem singularem cum traditionibus admirabilibus desumere, quin & conjecturas altiores inde colligere possunt multifarias.

1. Fidelem Eckardum (qui & Hegsar vel Hegcar nominatur:) antiquissimo de stemmate Rege Bojorum derivatum communiter percipimus, tempore Trojani belli vixisse, defunctum verò, ut prisci compegerunt, ad Orci faucem non infaustè diversum, ad Dæmonum astuta consilia auscultandum. Quibus exhaustis transvolare hominesve de substructis insidiis imminentibusque periculis dehortari, ne in Lernam malorum vel Orcum inciderent. Proinde, qui belli Trojani tempore circumscribitur (non quod ipsemet Trojanus fuerit vel adversus Trojam militaverit) consimul Tros Hekkard vel Trojæ Hekkard, sive potius Hector tandemque Treu - Eckard agnominatus putatur. Vid. Joh. Avent. lib. 1. Annal. Bojor. German. fol. 38. inde Martin. Zeiler. centur. 2. Epist. 96.

2. Alius Eckardus redhibetur Zenonis & Augustuli Christianorum Imperatorum coætaneus, Dux Brisgoviæ & Dominus Elsatiæ, qui in curatela consangvineorum suorum minorennium Harlungorum admirandam, extremo vitæ discrimine, contulit fidelitatem; unde & Fidelis Eckardi agnomen dignissime adeptus. Fabulosæ vero recordationis ergo tale commentum, ac si post mortem in conficto illo Monte Veneris vel Melibocco præsidens, frivolos advenientes de damnoso accessu & frequentatione dissvaderet, conglutinatum. Conf. Expositio illa Germanicor. proverb. edit. Francof. ap. Christian. Egenolph. hæred. 1582. p. m. 357.

De Fideli Eckhardo sive Treu Eckard / quisquis etiam fuerit, diversæ traditiones supersunt; unde & Furiarum exercitui, Germanicè Wütendem Heer præficitur. Quem exercitum olim, Eislebii passimque alibi ditionis Mannsfeldensis anniversariè die Jovis post Festum Hilariorum Fastnacht / indigenæ gregatim concurrentes, ac si Imperator vel Rex potentissimus accelerasset, circumspicuè penetrarunt. Coram exercitu Vir admodum senex albo cum scipione præcessit, qui se ipsum Treu - Eckardum proclamavit. Vir ille senex homines via discedere, nonnullosque domum reverti jussit.

ſit. Hunc Virum copiæ equeſtres & pedeſtres ſubſecuti. E quibus aliquot conſpecti fuerunt nuper demortuorum & adhuc viventium percognitorum, apparuerunt quoque Hippanthropi equis Centaurinis inſidentes; apparuerunt Siſyphi, & geraniis ſive tympanis incluſi ſuapte volubilibus, alii monopedes alterum pedem humero geſtantes curſitarunt, quin & acephali viſi fuerunt, & id genus alia ſpectra. Vid. Sebaſtian. Franck. in Grimer Ausleg. Teutſch. Sprichw. in prov. Treu Eckard warnet jederman. fol. 258. Exinde Joh. Jac. Speidel in ſpecul. variar. obſerv. & notab. Lit. W. tit. 154. vom wütenden Heer. p.m. 1372.

Porrò in pago quodam Thuringiæ Schwarza dicto, Furiarum illa Domina Holla vel Hulda, ut fabula ſpargit, Feſto Nativitatis olim exercitum vicatim perduxit; cujus aciem Treu-Eckardus dirigens obvios quoscunque hortatus, quo viâ relictâ periculis obverſantibus evaderent. Incidenti caſu pueri duo, ex proximo vico cereviſiam allaturi, appropinquantibus umbris, in angulum anfractus cujusdam ſeceſſerunt; Sed Furiarum quædam cantharis arreptis biberunt: quibus timidi pueri nihil recuſantes, ſecum ſolicitarunt interim, exhauſtis cantharis, quid domi prætendendum. Hoc perſentiens Treu-Eckardus effatus: Deus vobis indidit compeſcuiſſe, alioquin colla veſtra obtorta forent; recipite nunc cantharos veſtros, & domum maturate, reticitis ſpectaculis; durante namque taciturnitate, canthari ſemper impleti perdurabant, cereviſiâque nunquam deficient. Silentio tres dies ſervato, accidit ut viduæ illi Sarebdanæ cum lecytho ſua in Sacris. Deinde rupto ſilentio, dum prævaricantes pueri rem omnem parentibus indicaſſent, cornu copiæ defecit & ſcaturigo exſiccavit. Alii à Feſto Nativitatis declinantes, alio tempore contigiſſe referunt. M. Joh. Prætor. Poët. Cæſar. Laureat. in Saturnal. poſition. 55. p.m. 403.

Alibi Domina Holla vel Hulda (quòd nonnulli TreuEckardo obtrudunt) trahæ inſidens cum exercitu circumvecta, ut fabulantur, ruſticum quendam cum ſecuri obvium compellavit, paxillum excuſſum & obtuſum reficere. Ruſticus circumciſo paxillo & infixo, petitis gratificatus iterum à Domina Holla mercedis loco juſſus, curva reciſamenta aſſervare. Ruſticus ſubſtrata iſta primùm neglexit; rurſus admonitus perpauca reſumſit; quæ domum reverſus, tot curvos aureos nummos vel Ducatos reperiens, jacturam relictorum, ſerò nimis condoluit; licet enim ad conquirendum recurreret, nihil tamen ſuperſtes offendit, ſed omnia, unà cum pulvisculo disparuerunt. Idem ibid. vid. & ejusd. Blocksberg/ ubi locupletius.

Hodi-

Hodierno quoque die superstitiosi nonnulli, vocem improvisam quasi susurrantem audientes, imaginantur, TreuEckardi spiritum eos revocare.

3. Reperitur alioquin alius verus, accuratus, non fabulosus Fidelis Eckardus. De quo Wolffgangus Lazius ita: Hermannus posterior filius Eberhardi, Marchio Bojaricus habuit in matrimonio Adelratham Comitissam de Banz, fundatricem cœnobii ejusdem nominis. Ambo præclarum ex filia reliquerunt nepotem Eckardum mit dem Bundschuch/ à genere calceamenti ita cognominatum, cujus sublevatione in Asia exercitum Christianorum ab instanti periculo liberavit, circa annum Christi 1200. Plura sed confusa (quæ breviter & succinctè hîc appositurus eram:) videbis ibid. Wolffg. Laz. de migration. gent. lib. 7. de Boj. p. m. 359.

4. De Eckardo splendidissimo illo Duce Saxonico, deque aliis diversis Eckardis, pro lubitu revolve Ditmari, & Ernesti Brotufii Chronica p. 67. & 82. usque 200.

5. Percognitus est Bartholomæus Ringwald sacerdos quondam Langenfeldensis Harcyniæ, haud procul ab Osterwick, sub Comitibus ab Hohenstain, qui libellum de præparatione ad mortem conscripsit, qui aliquot sacra cantica Ecclesiæ nostræ adhuc consveta composuit, qui in tractatu illo die lautere Warheit / diem novissimum hisce rhythmis obiter hariolatus:

Wann man wird zehlen diese Summ }
VenI VeLoX JVDICIVM } 1684.

aLsDann Deß Waren Vatters Sohn }
aVszlehen WIrD In seIner Cron } 1684.

Iste Ringwaldus in peculiari quodam parvulo libello, parabolicè ad Treu-Eckardum allusit, ut in præfatione hisce contentis, Latinè translatio præoccupavit, ita: Pro pondere concesso, contritis pœnitentibus ad solatium, pertinacibus verò peccatoribus ad dehortationem & terrorem, parabolam sacram de Treu-Eckardo concepi; qui in ecstasi (Entzückung oder Hinnbrüten ut nominat) ab Angelo quodam in Cœlum & Infernum, quò amborum adventitiorum choros & ærumnas, hominibus denunciaret, subreptus introducitur. Qui libellus singulos status, satyræ sacræ ad instar, coarguens antiquis Germanicis rhythmis concinnatus est, cujus titulus: Treu Eckard gestellet vom Barthol Ringwald. Pfarrer zu Langenfeld / gedruckt zu Magdeburg bey Johann Francken 1603.

Insuperque diversi Theologi, in concionibus pro re natâ ita alludunt: Christus est verus Treu-Eckardus &c. Conf. Joh. Moller. geistl. Deutung part. 2. cap. 20. §. 694. p. m. 427. Joh. Jac. Ott. in concion. Fest. Matth.

CAPUT XV.

De epilogo & compendio antecedentium quorundam.

EPilogi loco, hoc de Majoribus nostris elogium, antecedentium quorundam compendii instar, denuo perlegatur, obsecro.

Primævi Patres! Divi propago Noachi
Obsequiose Japhet, Tuque Gomere pie
Ascenam generans. Ascenas ipse Te, Ascon
Sive Tuiscon eras Manni iterumque parens.
Vos fundatores gentis clarescite nostræ,
Illustres Reges! percelebresque Viri!
Cimmerii chari divâ requiescite palmâ!
Militiâ clari, dotibus eximii.
Obscurô quondam Scytharum nomine tecti;
Magnanimi fulgent, agmina vestra, Getæ.
Nunc! quid Amazonibus Scythicis mulieribus addam?
Sangvine Teutonico prosiluisse, ferunt.
Ac animosorum Majorum gloria subter
Celtarum valida gente perinde latet.
Sic quoque perveterum Gallorum nomine dictos
Germanos Galatas ritè fuisse patet.
Nec minus amplexi Majores affabre palmam
Palmam virtutis, pectoris ingenui.
Insuper urgentes apprensos quoslibet hostes
Vicerunt forti, vel pepulere manu.
Denique doctrinam simul agnovêre salutis,
Ut DEUS asseruit. Arripuêre simul
Humanos mores, quos semper continuârunt
Tempus ad hoc firmè. Laudis amœna cohors.
Qui qui sunt igitur præclaro stemmate creti
Germani reputent, quomodo confideant
Non miratores nudi nec laudis avitæ
Hæredes tantum; sed quoque solliciti
Famæ imitatores, virtutis & æquiparantes
Contentique sient hocce labore meo.

LIBER

LIBER XII.

De GENERALI NOMINE FRANCICO.

FRancorum insignium licet non antiquissimum, virtuosissimum tamen, atque amplissimum. Parvum quidem à præcipua gentis nostræ natione initium capiens, mox universale cunctorum Europæorum Christianorum consurrexit epitheton.

Cæterum omnia ac singula Francorum gesta & subdivisiones diversas decantare non est scopus neque intentio. Quemadmodum toto in opusculo quoad investiganda populorum primordia, quæ alioquin incerta ac fallibilia esse solent, allaborasse; progressuum vero reliquorum cupidum, alios ad plenarios completosque ablegasse autores, proposito meo satisfecisse ratus. Ad unius namque præcipueque Francicæ gentis integram historiam absolvendam, volumen requireretur amplissimum. Prolixis igitur diffusisque genealogiis provinciarumque distributionibus sepositis vel obiter attactis, prosapiam tantum nationis nostræ specialem percurrere placet; quæ ob generis atque originis excellentiam, in aliquot capita, ut dividatur, impetrat atque meretur.

CAPUT I.

De vetustis & partim obsoletis Francorum derivationibus.

PEr Phracas vel Fracas ab Ebræis descriptas, insinuari divisiones illas terrarum post diluvium, mediante Mari Mediterraneo; primitus ostensum est. De his Francorum nomen formare, nonnulli conantur. Wolffgangus Lazius inquit : *Illud autem silentio involvendum non erit : FRANCORUM antiquitatem summam contendere,*

dere, qui à FRACIS illis quæ (alias Gades vel Columnæ Herculis) *post diluvium filiis Noæ in tellure apparuerunt, petunt. Istarum una, quæ ad dextram in Europa distincta fuit, FRACOS Europæos, i. e. FRANCOS Ebræis dedit. Uti altera ad sinistram AFRICOS, quasi lit. A. præposita, discriminis causa designavit.* Sicque hac ratione (quæ tamen haud admodum probabilis, cum succedentes evidentiores succedant) FRANCI totidem ac universi Europæi significarent. Laz. de migr. gent. lib. 3. de Cimmer. in pr. fol. 53.

Multi contra inveniuntur contendentes: Phryges, dum perinde ac Tuiscones & Sarmatæ à Gomero progressi habeantur, illos eosdemque primum inter se appellatos fuisse, die Freyen / oder Francken. Hinc prædictus Lazius ex Aventino: *Ipsos Tuiscones Asiaticos propria lingva & à libertate sic nominatos fuisse Phryges*, die Freyen oder Fryen. *Qui postea ab eadem libertate, depravata pronunciatione in fine*, die freyen Ahnen / *& addita adspiratione in fine* die Francken / *h. e. Franci vel Francones appellati sunt. Unde & Frisios descendisse ab eadem libertate cognominatos, mutata secundum locorum diversitatem pronunciatione*, existimant. Joh. Avent. Laz. de migr. gent. lib. 3. de Cimmer. fol. 63. lit. A.

Alii FRANCUM Hectoris filium fuisse adstruunt. Quem apud antiquos nullibi, præter in supplemento Manethonis reperire potui, ubi hæc verba leguntur: *annô 7. Amenephi Ægyptiorum Regis* (post diluvium 1132. circa excidium Trojæ ante Christum 1183.) *Ascanius Latinis imperabat, anno vero sequente Tenteus Assyriis, & post FRANCUS Celtis ex Hectoris filiis. Et eodem anno Lydi mare obtinuerunt.* Ad quod Johannes Annius Viterbiensis: *Quis Francus iste Hectoreus, aut quo pacto Rex à Celtis susceptus fuerit, neminem legi. Vincentius tamen diligentissimus historiarum scriptor: eversa Troja illum in Franconiam migrasse asserit, & ob ingentem animi virtutem, percharum Celtis & Regi fuisse; eumq; postea regnum in Gallia suscepisse. Par Æneæ suo concivi fuit, qui pari modo Regi Latino, & affinitate & successione junctus fuit. Asseruntq; eum esse, à quo primo Francorum nomen.* Maneth. suppl. sub gest. Ameneph. Ægypt. Reg. Ann. Viterb. Com. ibid. p. 108. It. Vincent. Vid. & Isidor. lib. 9. c. 2. Joh. Avent. Laz. de migr. Gent. lib. 3. de Cimmer. fol. 82. lit. C.

Sed positô, circa Trojæ excidium Regem vel Ducem quendam nomine Francum extitisse; fundatorem tamen gentilemque Patriarcham extitisse, non sequitur. Aurea secula enim vel paterna ubi familia-

miliarum ſeniſſimi, & poſteris benigne moderati, & appellationes ſortiti, jamdiu tunc deſierunt; confuſiones verò tyrannorum occœperunt atrociſſimæ.

Porrò, dum nomina propria vel ſunt Patronymica ſolisque à grandævis Patriarchis petenda; vel acquiſita & omnibus ſeculis admittenda: priori modo, nullus penes Trojana compoſita acceſſurus: poſteriori ob autorum contraria judicia valdè dubioſus; oppugnante imprimis D. Philippo Melanchthone: *Laudanda eſt diligentia eorum, qui Franciçæ gentis originem quæſiverunt; ſed juſtè reprehenduntur ſcriptores, qui fabulas ex ſeſe finxerunt de filiis Hectoris & ex Troja Francos educunt.* Philip. Melancht. in Chron. Carion. part. 2. lib. 3. p. m. 49. b.

Plures adhuc ſed annotatione indignæ Francici nominis conjecturæ ſuperſunt. Perquam vulgatum inſuper quondam tam in appellativis quam propriis ſingulorum virorum nominibus, tale Synonymon: Francus, Branchus, Brancus. Veluti Branchus Apollinis filius fingitur, à quo Branchiades & Branchiadæ Apollinis Didymæi ſacerdotes & Branchidarum oracula. Strabo lib. 14. Plin. lib. 5. cap. 2. 9. Stat. lib. 3. Thebaid.

Item Hannibalis tempore Alpes transgreſſi ante Chriſtum 220. Allobrogum Rex quidam conſtituitur nomine Brancus, Tit. Livio annotante: *Inter Ararim Rhodanumque accolunt Allobroges. Regni certamine ambigebant fratres: Major & qui prius imperitarat Brancus nomine à minore fratre & cœtu juniorum, qui jure minus, vi plus poterat, pellebatur. Hujus ſeditionis peroportuna disceptatio cum ad Hannibalem rejecta eſſet, arbiter regni factus, imperium majori reſtituit. Ob id meritum commeatu copiaq; rerum & veſtimentis eſt adjutus.* Liv. lib. 21. ab urb. cond. fol. 298. Dec. 3.

Talia Synonyma vel etiam aliter variata in appellationibus virorum reperiuntur; ſed quis ſanæ mentis populorum Francorum originem inde formabit.

Qui à Cimmeriis tanquam communibus fundatoribus Francos ſano ſenſu deducunt, in genere rectiſſimè faciunt; in ſpecie vero, quod maximopere requiritur, ſubſequentia dilucidabunt. De Cimmeriis tanquam Francis, vide Hunnibald. Franciſc. Irenic. in exeg. Germ. Joh. Aventin. & alios compl. paſſ.

CAPUT II.

De alia Francorum derivatione ambigua.

SUbſequens derivatio tam urbi antiquæ Trojæ propter ſcelestum Paridis facinus,quam origini Francorum ob proditionem Antenoris cum Ænea accumulatum, ignominioſa ita ſe habet.

Priamo Trojanorum Rege potentiſſimo in minori Aſia gubernante Paris filius illicitis facibus Menelai Lacedæmoniorum Regis conjugem Helenam allectam, colluſis utrinque technis, navi quadam Trojam advexit. Quod grande nefas Græci ſeveriſſimè percenſentes, conjunctis viribus, immenſisque ſociorum copiis Trojam 10. annos. 6. menſes & 12. dies obſederunt, donec per ambos hosce proditores Antenorem & Æneam anno mundi 2789. ante Christum natum 1243. urbe expugnatâ Regem cum integrâ familiâ trucidarunt: Helenam in inſula Rhodo de arbore ſuspenderunt. Ambo proditores ſalvum conductum vel aſſecuratam veniam impetrantes, diverſis copiis mari ſe commiſerunt & aliorſum ſedes incolendas quæſiverunt. Æneas 22. navibus Italiam appulit, ibidemque Regis Latini filiam Laviniam conjugem adeptus, potentia & autoritate præcellenter invaluit; ita ut Roma tandem cum ſummo imperio, ſtirpi ejus accreverit.

Antenor claſſibus ſuis ad oſtia Danubii trajectus, coloniam inquilinam fundere cœpit; quod ſupra 300. annos & tamdiu viguit, donec vicini indigenæ Getæ vel Gothi novos colonos iterum expulerunt, atque regnantem tunc temporis Regem perinde Antenorem juniorem dictum in acie, ante Christum prope 440. occiderunt, ut ex Halicarnaſſæo, Homero, Herodoto, Tritthemio, Grille, aliisque prolixè præſumendum.

Hâc periodo præterlapſa, (inibi circa antecedentia & conſequentia error Chronologicus enormis irrepſit) Annales Francorum Hunibaldus & alii ſcriptores ab Antenore iſto poſteriore occiſo incipientes propagationem ita formant, uti ſequitur:

Marcomir filius Antenoris ſedes circa Danubium amiſſas nec recuperare, nec infenſos indigenas reconciliare compos, ſtrage cædeque patris inultâ, ſine ullo redhoſtimento regionem relinquere coactus, ſive mari ſive terra transgreſſus, ad confluentia Rheni penetravit; illicque, ubi hodie Geldria, Friſlandia & Hollandia concernuntur, redintegrum regnum inſtaurare cœpit, tantâ prudentiâ & inſinua-

insinuatione erga vicinos, ut Saxones & Thuringi societate mutuaque amicitiâ confœderati, eorum limites præmuniverint. Marcomirus autem demortuus ante Christum 412. redintegrati regni 28.

Hujus descendentes successivè defuncti traduntur annis ante Christum natum, ut subsignabuntur: Antenor Tertius 382. Helenus 337. Diocles 298. Helenus 284. Basan. 248. Clodomir 230. Nicanor 196. Clodio 157. Antenor 141. Clodomir 121. Merodach. 93. Cassander 72. Anthar 37. Francus 28.

Francus iste tam fortis tamque strenuus Rex præcelluit, ut populus de nomine suo, Franci insignirentur; atque in Romanis aliisque historiis primitus ita denominati describerentur. Insuperque Rex ille potentissimus Francus Regis Thuringiæ filiam Lothildam maritam duxit, quo matrimonio, in tractus hosce superiores, Menosgoviæ & Thuringiæ, jus acquisitum adeptus, ut à Tritthemio & Becherero locupletius amplificatum.

Franco successit Clogio, cujus tempore anno mundi 3963. 25. Decembris Salvator noster Jesus Christus Dei & Mariæ filius natus; inidemque Romæ Octavianus Augustus Imperator Quintilium Varum ad Germanos devincendos exarmavit. Clogio vero decessit anno post Christum natum 20.

Herimen 32. Marcomir 50. Clodomir 62. Antenor 68. Rather 89. Richimer 113. Odemar 127. Marcomir 148. Clodomir 165. Fababert 188. Sunno 213. Hilderich 253. Barther 271. Clodius 298. Walther 306. Dagobertus 317. Clogio 319. & sic deinceps. Hæc omnia ex Frideric. Faust. de Aschaffenburg in descript. Urb. Francof. edit. ibid. 1660. cap. 31. & 32. p.m. 39. usque 44. desumt. & Latin. versa.

CAPUT III.

De antiquitate Francorum ex M. Tull. Cicerone.

ANno Mundi 3928. post diluvium 2272. ante Christum 43. die 15. Martii Brutus Cassius & Trebonius cum aliis conjuratis C. Julium Cæsarem 23. vulneribus interfecerunt. Sed maceratum corpus amplissimè ab universo Senatu & magistratu, cum comitatu civium, militum & armatorum ad custodiam constitutorum funeratum.

Cicero post perpetratam cædem ἀμνηστίαν inducendam atque omnium odiorum & discordiarum memoriam oblivione sempiterna sepe-

sepeliendam (Atheniensium exemplo, qui autore Thrasybulo ante annos ferme tunc temporis 360. idem sanxerunt) censuit; sed frustra intendit.

Unde citatus Cicero vindictam incumbentem vehementer veritus, inter alia intimo suo Attico aperuit: *Balbus, qui meliora de Gallia sperabat 21. die literas habuit: Germanos illasque nationes re audita de Cæsare, legatos misisse ad Aurelium, qui est præpositus ab Hircio, se quod imperatum esset, esse facturos.* Cic. ep. ad Attic. lib. 14. ep. 9. in fin.

In subsequenti epistola Cicero de Bruti imprudentia, iterum intimo suo Attico vehementius conquestus hisce verbis: *Itane mi Attice! hoc meus & tuus Brutus egit, ut Lanuvii esset & Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam?* (Itane Brutus ejusmodi inconsideratam separationem causatus?) *Itane Brutus egit, ut omnia facta, scripta, dicta promissa, cogitata Cæsaris plus valerent, ac si ipse viveret? Meministine mi Attice! me clamare illo primo Capitolino die: Senatum in Capitolium à Prætoribus vocari: Quæ tum opera, lætantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus? Dii immortales! effici potuerunt? Liberalia tu accusas. Jampridem perieramus. Meministine, te ipsum clamare, causam periisse, si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus est, laudatusque miserabiliter. Servi & egentes in tecta nostra cum facibus immissi. Quæ deinde? ut audeant dicere: Tune contra Cæsaris nutum? Hæc & alia ferre non possum, itaque* γῆν πρὸ γῆς (terram pro terra) *cogito. Tua autem* ὑπηνέμιον (subventanea) *nausea jamne planè abiit? mihi quidem ex tuis literis tam lætanti ita videbatur. Redeo ad Betasios, Svevos FRANCONES. Hosne tu existimas, illa bona nova habitaturos, stantibus nobis (in quibus putarunt plus virtutis quam experti sunt) se confidere? Pacis isti scilicet amatores, & non latrocinii autores existimas? At ego cum tibi de Curtilio scripsi Sestilianoque fundo, scripsi de Censorino, de Messalia, de Blanco, de Posthumio, de genere toto* Cæsarem defendente. *Melius fuisset, illo interfecto (quod utinam nunquam accidisset) periisse, quam hæc videre.* Vid. opera M. Tull. Cic. in fol. ex recognit. Joachimi Camerar. Basil. ap. Hervagium A. C. 1540. impress. Epistolar. ad Attic. lib. 14. Epist. 10. fol. 306.

Nonnulli, Svevorum & Francorum mentionem refragantur, atque ex aliis corruptis ac distortis exemplaribus loco Svevorum

Atuos:

Atuos: Francorum vero *Fangones* vel *Vangiones* per V. (variant enim exemplaria) injiciunt.

Sed ex ambabus epistolis, Germanos illorumque nationes præposuisse atque pertimuisse Ciceronem, apparet. Eo magis igitur antesignatos *Svevos & Francones*, præ illis obscuris & ignotis Atuis & *Vangionibus*, significatos esse consentaneum.

Maxima quoque probatio inde petenda est; quod non solum clarissimorum Doctorum Joachimi Camerarii & Aldi atque Pauli Manutiorum commentaria & revisiones supersunt; sed etiam, quod inclutissimi Lexicographi, Ambrosius nimirum Calepinus, qui floruit A. C. 1490. Basilius Faber 1560. vel 70. item Carolus Stephanus recentior & alii in suis Lexicis Ciceronem lib. 14. Epistolar. ad Atticum *Svevorum & Franconum* meminisse, unanimiter attestantur atque allegant. Quos ejusmodi nomina Ciceroni affinxisse non præsumendum. Vid. citat. autores sub nom. Franc.

CAPUT IV.

De antiquitate Francorum ex Strabone, Plinio, Ptolemæo & Claudiano præsumta, ac aliis miscellaneis.

STrabo Tiberii tempore vivens, cui & libros suos dedicavit βρέγκυς Brencos videtur gentem illam appellasse. Quos Noricis atque Vindelicis prope Illyridem adjunxit; *atque Montana exteriora cum Tenavis his jam Illyricis tenuisse* scripsit.

Plinius historias suas A. C. fermè 78. consignans in descriptione Pannnoniæ & veteris Norici *Savum per Colapos & BRENCOS in Istrum fluere* tradidit. Quamvis in aliquibus vulgaribus exemplaribus BREVCOS per V. legatur, ex errore tamen, quia maxima inter literas N. & U. affinitas, irrepsit.

Ptolemæus agens post Christum circa initium seculi secundi, similiter in descriptione Pannoniæ βρέγκυς *inter Savum Dravumque collocasse* hisce verbis colligitur: *Tenent autem ipsam provinciam in partibus Occidentalibus Amantini magis Septentrionales. Sub quibus Hercuniates, postea Andiantes, postea* βρέγκοι. Strab. lib. 4. Geogr. Plin. lib. 3. c. 25. & lib. 4. c. 35. Ptol. lib. 2. Geogr. Tab. 5. Europ. c. 16. de Pannon. Inferior. p. m. 54. b.

Leguntur etiam inter nomina propria BRIONES, quorum Otto Frisingensis reminiscitur, inquiens: *Aëtius Romanorum pa-*

tricius A.C. 450. adſcitis Francis, Sarmatis, Armenianis, Burgundionibus, Saxonibus, Ripariolis, BRIONIBUS, multisque Celticis & Germanicis nationibus contra Attilam Gothis ſuccurrit. Unde Wolffgangus Lazius: *Cimmerii nomine mutato partim Briones in Alpibus, partim βρέγκοι in campeſtribus Pannoniæ nominati ſunt.* Et paulo poſt: *De Brencis hactenus, unde nimirum Francorum poſterius nomenclatura exorta fuit. Fuiſſe autem Brencos Cimbrorum reliquias, qui & Sicambri & Briones labentibus ſeculis vocabantur, in eadem mecum eſt Doctiſſimus Philippus Melanchthon opinione.* Otto Friſing. lib. 4. Chron. c. 26. Laz. de migr. gent. lib. 3. de Cimmer. fol. 58. lit. C. & fol. 66. D.

Quid de diverſa hujus nominis πολυγραφίᾳ ſentiendum, doctioribus committo. Hoc autem certiſſimum eſt Græcos lit. F. deſtitutos vel βράγκους vel Φράγκους deſcripſiſſe, quod & ex Græco adagio illo apparet:

Τὸν Φράγκον φίλον ἔχε, γείτονα δὲ οὔ,
Francum amicum habeas, at non vicinum.

Strabo, ut ſupra annotatum, *Francos inter Noricos & Vindelicos repoſuit.* Johannes Carion & Philippus Melanchthon cum aliis, inter hos nunc quoque recenſent, ita addentes: *Nomen Francum eſt à* Frey / *quod liberum ſignificat. Et Principum nomina, ſunt noſtræ linguæ voces:* Warmund / Ludwig / Helffrich *& alia multa.* Strab. allegat. in Chron. Carion. Part. 2. expoſit. & auct. à Philipp. Melanchth. edit. Witeberg. 1562. p. ibid. 50.

Conſtantini tempore, Franci in Friſiam, Sicambrorum regionem & Bataviam i. e. Hollandiam irruperunt; ut Claudianus teſtatur:

Ut jam trans Albim, non indignante Cayco,
Paſcat Belga pecus; mediumque ingreſſa per Albim
Gallica, Francorum montes armenta pererrent.

Claudian. ad Stilicon. allegat. ibid. cit. loc.

(Caycus vel Caïcus Phrygiæ & Myſiæ fluvius præcelluit. Unde nonnulli Phrygiam originem, nimis ſerotinus diſtorſerunt. Aſt Claudianus tanquam Criticus ſagaciſſimus ad primordium reſpexit antiquiſſimum.)

Strabonis alioquin & Hieronymi dicta magis oſtendunt: Francos ex Germania Superiori deſcendiſſe ad Rhenum; quam in littore Friſiaco natos eſſe. Chron. Carion. cit. loc. p. 50.

CAPUT

CAPUT V.

De Francorum memoria ab A. C. 250.

CIrca Decii imperium, cui nonnulli biennium, alii annum & menses aliquot tribuunt, FRANCORUM, quos una cum Gothis, Posthumius contra ipsum Imperatorem Decium armavit, expressa fit mentio A. C. 250.

Francos inter Alemannos & Saxones, inter saltum Thuringicum & Rhenum, ad Salam & Mœnum flumina habitâsse, inde paulatim secundum Rheni ripas ad ejusdem ostia usque in Sicambrorum, Batavorumque regiones descendisse, quibus in locis Constantinus eos reperit, tandemque Rheno transgressos in Galliam penetrasse ex historiarum notatis non est obscurum. Marcellinus, Francos, Salios nominat à Sala amne; unde legis Salicæ nomen profectum est. Vid. Marcell. & Casp. Peuc. part. 3. lib. 4. Chron. Carion. p. m. 52. & 53.

Deinde A. C. 256. Licinio Gallieno gubernante, Francorum scilicet Germanorum sic resonantium Gentes *direpta Gallia, Hispaniam occuparunt, vastato ac penè direpto Tarraconensium oppido, nactisq; in tempore navigiis, pars in usque Aphricam permearunt. Contra verò à Romanis, amissa trans Istrum, quæ Trajanus quæsierat,* Sext. Aurel. Victor. part. 2. de Cæsarib. sub gest. Licin. Gallien.

Hinc Philippus Melanchthon, Peucerus & alii, salva tamen antiquiore memoria, tradiderunt: *Posthumius Galliæ Rector cum septem annos teneret Imperatorium nomen, similiter contra Gallienum sibi adversantem Francos adjunxit, qui tunc ad Rhenum accesserant. Heic Francorum in bellis Romanis prima fit mentio.* Philip. Melancht. part. 2. lib. 3. Chron. Carion. p. 49.

Allegatum jam: ac si virtuosum nomen Francicum antea in rerum natura incognitum fuisset; non restringendum; sed quod tunc primum in bellis Romanis primaria eorum fama percrebuerit, vel quod explanatius, virtuosum illud insignium antea particulare & tantum singulari nationi inserviens, indidem multorum Germaniæ populorum generale immò generalissimum evaserit, se dilataverit, ampliaverit, maximeque extenderit, cum lata sua extensione, Patronymico ac Gentilicio Alemannico nomini æquivalens.

Agathias & Procopius Græci hiſtoriographi non ſolum Germanos eſſe Francos, verum etiam antequam adhuc Francorum accepiſſent nomenclaturam, in genere Germanos fuiſſe appellatos, apertè ac evidenter demonſtrant. Agath. paſſ. Procop. lib. 1. Goth. bell. ſub Juſtin. it. lib. 2. & 3. paſſ. Vid. & Laz. de migr. gent. lib. 3. de Cimmer. fol. 71. lit. a.

Alioquin non poſſum ſatis demirari, tam multas tamque diverſas nationes, Francorum laudes, nomen & originem, ſingulas ad ſe ſolas trahere conari. Cum tamen omni accurato hiſtorico prædicta univerſalitas clariſſimè ante oculos luceat. Exactiſſimè conſentit Georgius Hornius: *Hiſtoria Germanica nova, eſt vel Gothica, vel Francica, vel Anglo Saxonica. Franci Germaniam & Galliam occuparunt; nam quicunque populi per Germaniam & Galliam à Romanis deficientes, jugum excuſſerunt, FRANCI, i. e. liberi homines dicebantur.* Georg. Horn. in introduct. ad hiſt. univerſ. ſub tit. Franc.

Primos inſuper Germanorum, Francos dogma Chriſtianum amplexos eſſe conſtat. Unde ab Orientalibus omnes Chriſtiani & Europæi, Franci exprimuntur, ut ſubſequenter evidentius patebit.

Inclutiſſimè Thomas Lanſius, Francos celebravit: *Gentem eſſe, inquiens: omnium quotquot magna illa atque vaſta Germania tulit, generoſiſſimam & florentiſſimam, haud dubium Romani imperii excidium. Qui cum ex pluribus Germaniæ populis pro Reſpub. & patriæ gloria in unum Francorum corpus, quo univerſim in poſterum appellarentur, coiſſent fideliter, & jam inclaruiſſent, Valeriano à Perſis capto & Gallieno imperium per ignaviam & luxum fœdante, imperantibus A. C. prope 256. audacter & magna ſpe in Galliam primo ac deinde in Hiſpaniam irruperunt. Vaſtato dirutoque Tarraconenſium oppido, pars eorum navigia nacti in Aphricam penetrarunt. Inde illi perpetua belli materia Romanis, victores ſæpiſſimè, ſuperati quidem nonnunquam, ſed victi nunquam. Imprimis Imperatoris Probi ævo paucorum ex illis captivorum memoranda eluxit audacia, qui poſt acceptas à Victore Principe ſedes, defectione facta magnam navium Gallicarum copiam usque à Ponti faucibus corripuerunt. Quibus Græciæ, Aſiæque oram univerſam depopulati, Syracuſas navalibus victoriis inclutas, magna clade edita ceperunt; poſteaque Libyæ littoribus non impune adpulſi, tandemque rejecti à copiis, quæ Carthagine veniebant,*

bant, Gaditani freti angustias perruperunt, ac sine ullo suorum detrimento in patriam reversi sunt. Nihil intentatum reliquere Franci, in Gallia novam Franciæ Occidentalis Monarchiam condiderunt, & Gallos novo adoptandi modo nomini potestati & imperio Francorum intulerunt, perpetuoque manciparunt, sine ulla spe emancipationis. Simul omnibus ejus Principibus reverentia Francicæ virtutis injecta. Nam ut flumen, quod fluviorum largitate intumuit, ruit & sternit aquarum voluminibus, quicquid obstaculum obvenit: ita Franci victoriarum cursu, omnes antiquos limites transgressi; tanto pavore induere Europam, ut etiam Valentinianus Augustus commune periculum testatus fuerit, vulgato proverbio isto: Francum amicum habeas, at non vicinum. Quapropter indignabatur Rex Francorum Theudobertus arrogantiam Justiniani, passim se Germanicum & Francicum in titulo jactantis; cum is tamen nec subegisset Franciam nec Francos domuisset. Qui mos Romanæ superbiæ alumnus ut evanuit; sic gloria Francorum ut flamma in altum super omnia laudum, famæ alis evolavit, hoc consecuta, ut etiam Caroli Magni ævo, universa Gallia, omnisque Germania Francia dicta fuerit; quin & Asiatici Europæos hodie universos, & Turcæ universos Christianos vocent FRANCOS. Abyssini autem Aphricani nos ALFRANGUES, Christianorumque regionem nuncupent FRANKIAM. Thomas Lans Orat. pro Germ. fol. 93. usque 96. Vid. & Salom. Schweig. itin circ. med.

CAPUT VI.

De Etymologia & significatione nominis Francici.

QUæ in antecedentibus nomenclaturis semper prælata atque prælocata Etymologia, varias heic ob causas transposita. Cæterum antiquitate de PHRACIS vel FRACIS Ebraicis, deque primordiis Phrygiis, suo in valore relicta. Unicè seculis nostris approbata & celebrata analogia subsequatur.

Nomen Franck antiquissimum hodieque haud infrequens Germanicum eloquium est, denotans liberum, solutum, expeditum. Unde & epistolæ omniaque transmissa liberè accipienda cum Franco signari solent. Quin immò ad exoticos etiam penetravit: Gallis est *Frenchre*, Italis & Hispanis *Franco*, Anglis Francke / in communi

& recentiori ſermone uſitatius eſt frey. Matth. Mart. Lex. Philol. ſub nomine Franc.

Quidam compoſitum voluntex Fray & Ancke; unde die Francken/i. e. frayen Ancken/liberi adjutores, vel qui libera officia agunt. Ancken vel Encken enim adhuc in patria noſtra miniſtri, ſtipendiarii audiunt. Atque nepotes Anenckel tanquam familiares & ingenitos miniſtros inde denominatos eſſe, reputantur.

Alii contractum autumant à fray an & kühn vel keck/contractè franck/h. e. liber & audax. Nonnulli à liberis Majoribus von frayen Ahnen oder Anherren Frayanchos & per Syncopen adſpiratione interjecta Francos proveniſſe, ex antiquis carminibus colligunt. Laz. de migr. gent. lib. 2. de Gall. græc. fol. 47. lit. A. In lib. 3. de Cimmer. paſſ. Vid. & Hunibald. in Franc. Hiſt.

His omnibus accuratè conſideratis, nomen Franck liberum Fray ſignificat, quocunque etiam circumſpexeris, atque eò tantum omnes autores conveniunt.

De Etymologia & Synonymia, quoad ſignificationem ſoni, jam ut ſufficiat, tractatum; nunc autem qualem Germaniæ nationem originalem concernat, ut dilucidetur reſtat.

CAPUT VII.

De Francorum initio, ex Norica gente præſumto.

FRancos Cimmeriorum poſteros qui aſſerunt, in genere ut ante relatum rectiſſimè ſentiunt ſtatuuntque: in ſpecie qui rapiunt evagantur. Quamvis enim Francorum nomen diffuſiſſimè aliquando accreverit; inter antiquiſſima tamen Originalia Patronymica ſimulque Gentilieia; & inter ampliſſima virtuoſa & acquiſita populorum inſignia diſtingvi opus eſt.

Poſito deinde ſed non conceſſo: Francorum nomen Patronymicum haberi poſſe: Genearcha tamen ille Francus, ſub Manni Herculis & Norici genealogia contineri evincitur. Juxta Patriarchæ Judæ exemplum, cujus progenies primum domeſtica familia, poſt tribus, deinde præcipuum regnum, tandemque commune Iſraelitarum nuncupativum evaſit.

Magis vero virtuoſum nomen Francicum ſpeciali olim Cimmeriorum vel Germanorum nationi adoptatum generale deinde ſive uni-

univerſale factum reputandum. Inſtar Tartarorum in Scythia; ubi primum ſpecialis cohors, mox univerſi ita ingrandeſcebant. Vid. Georg. Horn. in introduct. ad hiſt. univerſ. circ. med.

Cæteris deductionibus omnibus ſuo in valore relictis, ſi proventum Francorum vel nomen ipſum reſpicies, ad antiquos Noricos, ut ex Strabonis, Plinii & Ptolemæi Noricorum τῶν βρεγκῶν deſcriptionibus liquet, reclinent.

Noricos autem de Herculis filio Norice vel Norico progreſſos eſſe, & Cimmeriorum primos in patriam hanc noſtram adveniſſe tradunt. Quos primitus longè ante Ciceronis tempora virtuoſum illud prærogativæ & libertatis epitheton ſibi appropriaſſe, optumè veriſimile eſt.

Vel Franci primi dicebantur Noricorum milites, ut apud Latinos ipſæ legiones, quæ ex delectis Romanorum civibus conſtabant. Qui primitus inter ſe mox ulterius nomen propagarunt. Deinde A. C. 250. & 256. Decio & Gallieno imperantibus plerisque Germanorum populis accommodarunt; tandemque univerſis apud Exteros ita reſonantibus Europæis commune fecerunt.

Porrò ipſum nomen ſi conſideras, ratione pronunciationis & compoſitionis tale vendicat. Fraye Noricos enim contractè Francos conſonare valere & ſignificare, haud difficulter argumentandum eſt.

Ejusmodi autem formationes per abbreviaturam, συγκοπὴν vel potius Græcis βραχυρριζίαν, radicum quaſi omiſſionem vel corruptionem introduci olim ſolebant, in nominibus propriis: e. g. Angrivarii contracte Engere / Fabiramenſes, contracte Bremer / Trevirenſes Trierer / Aquisgranum, contracte Aach / Agendicum Acken / Longobardia Lombarden/Pedemontana regio Pemont/ Vindibona Wien/ Marcomanni Mähren/Foro Julienſes Friuli / Mediomatrices Metzer / Moguntiaci Maintzer ꝛc.

Si quando opus eſſet, multa alia innumerabilia produci poſſent. His conſideratis per Fraye Noricos contracta Syncope Francos inſinuari, ſi ſtatueretur, quid impediet?

Prætereaque ipſa antiquiſſima Saliorum gens, unde plurimi primum Francorum augurium & leges Salicas ſpecialiſſimè deducunt, ſi vel à Sala flumine in patria noſtra ſcaturiente vel ab Alpinis Saliis ſive Salaſſis derivetur; utraque tamen derivatio Noricam vel Noriſcam originem importat. Vid. porrò Ammian. Marcel. lib. 17. per tot. Altham. in Tacit. de ll. Sal.

Ipſa

Ipſa tandem hodierna Franconia ſive Francia Orientalis das rechte Oſt-Franckenland cum montanis; item Auſtria vel Auſtraſia (Carolus M. Francorum regna in Auſtriam & Weſtriam diviſit) cum veteri Norico & Norgovia, diverſo tamen temporum autorumve reſpectu, pro unis iisdemque habentur.

Quin & antiquum Segodunum hodie Noriberga tam Noricorum palæopolis, quam hodiernæ Franconiæ ocellus atque metropolis quædam non immeritò celebratur.

Inque demum Montanis Nariſcis, rectius Noriſcis, ſive promontorio veteris Norgoviæ, & circumjacentibus plagis etiamnum antiquorum Francorum, qui primum libertatis nomen promeriti, poſteros eſſe, ſecunda fama profertur.

Francorum geſta pariter & laudes in genere decantant: Ammianus Marcellinus florens circa A.C. 350. Gregorius Turonenſis Epiſcopus, qui claruit A.C. 630. ſcripſit hiſtoriæ Francorum libros 10. ab eorum origine usque ad ſuum ſeculum. Antonius vel Aimonius Monachus ab A.C. 420. usque ad annum 826. Johannes Trithemius Germanus ſcripſit de geſtis Francorum ab anno 433. ante Chriſtum usque ad annum Chriſti 1500.

Item Sigebertus, Paulus Æmilius Veronenſis & alii. Pleniorem catalogum Francorum Hiſtoricorum vid. apud Bodin. & Theodor. Zwinger. Medic. Baſilienſ. de Hiſt. & invention. Hiſt. ſub tit. Gall. & Franc.

CAPUT VIII.

De Noricorum Etymologia & origine.

OMnibus in rebus ſignificatio idiomatis præcipuè arridet. De entis enim cujusdam eſſentia, absque qualitate, quid ſit, aut unde ſit, aut quid ſignificet, tractare haud jucundum.

NORICUM, ut ſeſe offert, primo intuitu quaſi *Norticum*, i. e. boreale, Septentrionale, & incolæ Norici quaſi *Nortici* (veluti Normanni & Nortmanni efferuntur) apparent; ſed infirmiter.

Regiones equidem Noricæ ilicet Polum Arcticum reſpectu noſtrûm haudquaquam, atque reſpectu Latinorum & Græcorum, à quibus id nomen primum annotatum, non adeo proximè accedant, nonnullibi tamen horridæ & naturâ immites ſunt. Quum autem (ſimilitudine à minore ſumta) prædia & territoria ubicunque etiam ſita,

sita, salebrosa & frigida, item loca aspera & sylvestria, in communi hiemalia, winterische/ nordische Gefülde nuncupentur; quidni prædicta regio, quatenus præsertim per Alpes extenditur, hiemalis efferenda.

Huc pertinet, quod L. Julio Annæo sive Floro sive Senecæ adscribitur: *Ad Septentrionem conversa fermè plaga ferocius agebat! inprimis NORICI, quibus animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non posset adscendere.* L. Ann. Flor. lib. 4. c. 12. de bell. adverſ. gent. exter.

Attamen hæc ratio non procedit, cum multæ aliæ frigidiores regiones in Germania, quæ Polum Arcticum propius attingunt, superstites, atque ejusmodi titulum nunquam sortitæ.

Præterea antiquissimis Græcis & Latinis scriptoribus, qui Noricum primitus insignivere vocabulum, Nort & ejusdem significatio haud cognitum, eoque minus in usu regionum nomenclaturarum extitit. Noricum ergo hujus loci insignium altioris indaginis viget.

Johannes Carion sive potius Philippus Melanchthon, Noricum perinde à Nord vel Nort compegerunt referentes: *Nec dubium est, Noricos tenuisse eas regiones, quæ nunc sunt Bavaria Inferior & Austria. Est autem etymologia Norici à* Nort *id est Septentrione,* am Nort oder Nach-*Arcto. Eamque appellationem veteribus Græcis notam fuisse, existimo; & quidem sic interpretantur apud Homerum* Νωροπα (rectius Νωρικα) χάλκον, *de Noricis ferramentis.* Chron. Carion. Part. 1. Latin. exposit. & auct. à Philipp. Melanchth. edit. Witeb. 1562. p. 174. b. Conf. apprimè Wolffg. Laz. de migr. gent. edit. secund. Francof. 1600. lib. 7. de Boj. cap. 1. per tot. fol. 229. & seq.

Noricos proinde primitus ex Oriente & Armenia erumpentes, per Arcticum latus Cimmericum, in Germaniam hanc nostram progressos, nomen ab appulsis sedibus iterumque relictis accepisse; haudquaquam vero ab Illyrico modernis vel hodiernis mutatis locis, denuo acquisivisse, apparet.

Irrepsere & aliæ opiniones, ex meris conjecturis conflatæ atque ex vano haustæ. Quæ nonnunquam illustrissimas historias pessime confuderunt; ante tamen Patrum memoriam, qui res conscripserunt, earum fuere studiosissimi. Sed ejusmodi figmenta annotare non operæ precium, immo nec in fabulis, nedum seriis historiis referenda.

renda. Ex Patriarcharum memoria antiquitas potius, juxta illud Claudiani haurienda: *Dat cuncta vetustas.* Claudian. in Eutrop. lib. 2.

CAPUT IX.

De Norice Herculis Manni vel Alemanni filio, & de Noricorum origine.

S*Aturni dicuntur familiarum nobilium, Regum, qui urbes condiderunt, senissimi. Primogeniti eorum, Joves & Junones: Hercules verò, Nepotes eorum fortissimi. Patres Saturnorum, Cœli; Uxores Rheæ & Cœlorum Vestæ. Quot ergò Saturni, tot Cœli, Vestæ, Rheæ, Junones, Hercules. Idem quoque, qui unis populis est Hercules, alteris est Jupiter.* Xenoph. de Æquiv. in pr. conf. Matth. Martin. Lexic. Philolog. sub nom. Herc.

Germanici hinc generis Saturnus, hoc respectu, extitit Gomer; Jupiter, Ascenas: Hercules, Mannus.

Hercules proinde quam plures circumstrepuerunt; quorum facta plerunque adscribuntur uni. Cicero *sex hoc nomine commemorat: Quorum primus cum Apolline de tripode contendit: alter Nilo natus, Ægyptiis appropriatus, quem ajunt, Phrygias literas invenisse: tertius ex Idæis Dactylis, cui inferias offerunt: quartus Jovis filius, ex Asteria Latonæ sorore, qui Tyri colitur, filiamque habuit Carthaginem: quintus in India, qui & Belus dicitur: Sextus Thebanus, ex Alcmena & Jove* (rectius Amphitryone) *genitus. Quum tot fuerint Hercules, omnium reliquorum res gestæ, uni Alcmenæ filio tribuuntur. Et paulo post: Fuerunt, qui dicunt: Hercules ad triginta fuisse.* Cic. lib. 3. de Nat. Deor. Vid. & Pausan. de tripod. Apoll. & in Phocicis. Conf. Natal Com. Mythol. lib. 7. c. 1. p. m. 702.

Servius, citat. Varrone, *44. hoc nomine alios recensuisse, testatur. Et quoniam mos Herculis fuit, ut etiam non rogatus laborantibus subveniret, hinc factum, ut omnes, qui aliquid fortiter fecerunt, Hercules vocarentur. Hinc est, quod legimus Herculem Tirynthium, Argivum, Thebanum, Libyum.* Serv in Virg. Æneid. lib. 8. p. m. 686.

Juxta Macrobium, *Amphitryonides postremus Hercules habendus.* Juxta Catonem & Diodorum Siculum, *Græci ubicunque nomen Hercu-*

Herculis audiunt, putant esse suum. Juxta Herodotum, *Græci hoc nomen filio Amphitryonis imposuerunt; atque templum Herculis Thasii, quinque virorum ætatibus, prius fuit, quam Hercules Amphitryonis in Græcia existeret.* Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 20. Cato de Aborig. Diodor. Sicul. lib. 1. Herod. in Euterp. siv. lib. 2. num. marg. 46. & 47. Vid. & Pom. Mel.

Cæterum ab Herculeis filiis, tanquam antiquis Patriarchis sic insignitis, totas gentes & nationes devolvi, antiquitus receptum est. Scythæ & Aphri ab Herculeis filiis sic decantantur. Galatæ vel Galathæ, ab Herculis & Galatheæ filio Galatha celebrantur. Lydi ab Herculis cujusdam filio Lydo nuncupantur. Sic Thusci vel Tusci, à Thusco. Quin & urbs Lyciæ Acela, ab Herculis, ex Malidi servâ Omphalæ genito, filio Acelo nominata reperitur. Urbs Bentesium postea Brundusium, à Bento nomen accepisse, fertur, ut scribit Diocles de mutatis urbium nominibus. Sic urbs Rhodos prius Camirus, à Camiro. Et (ut quidam voluerunt) Lamius ex Omphale & Hylus vel Hyllus ex Melita, Herculis filii, insulæ & oppido in insula, simulque Illyrico, nomina dederunt. Omnes Herculis hic recensere filios, esset supervacaneum, quum multos enumeraverit Apollodorus Atheniensis. Apollodor. Atheniens. lib. 2. Bibliothec. allegat. à Natal. Com. edid. Hanov. 1619. lib. 7. Mytholog. c. 1. de Herc. p. 701. Vid. & Lil. Gregor. Gyrald. peculiar. Syntagm. de Herc.

His omnibus sepositis, Mannum vel Alemannum, Herculem primum extitisse, inter alia argumenta, quæ studio prætermitto, accuratissimè Tacitus insinuavit: *Fuisse apud Germanos & Herculem, memorant, Primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Antea de Manno egerat. Tacit. in Germ. c. 2. v. 8.

Eo respicíciunt Divus Hieronymus & Eusebius: Alemannum primum Herculem fuisse, autumantes, Hieron. & Euseb. allegat. à Sched. de Diis Germ. p. 473. & seq.

Quibus assensi aliquot scriptores nostrates, ut Franciscus Irenæus, Joh. Aventinus, Wolffgangus Hildebrandus, Petrus Albinus, Joh. Micrælius, qui nomen Hercules Germanicum statuit, quasi Herr deß Keuls / & alii suis locis.

Cæterum Hercules, procul dubio Mannus vel Alemannus, olim ex Armenia vel Germania magna, in Hispaniam, contra Geryonem tyrannum profectus. Poëtæ aliique Græci & Latini scriptores, Alciden Amphitryonis filium, plus centum Lustris vel Olympiadibus

 poste-

posteriorem, perversè obtrudere conantur. Hoc errore intricatus scripsit etiam Ammianus Marcellinus: *Regionum incolæ id magis omnibus adseverant, quod etiam nos legimus in monumentis eorum incisum: Amphitryonis filium Herculem ad Geryonis & Taurisci, sævorum tyrannorum, perniciem festinasse; quorum alter Hispanias, alter Gallias infestabat. Superatis ambobus, coiisse cum generosis fœminis, suscepisse liberos plures: Et eas partes, quibus imperitabat, suis nominibus appellasse.* Ammian. Marcellin. cum notis Lindenbrog. edit. 1609. lib. 18. fol. 55. sic etiam editio Boxhornian. castigatiss. edit. 1632. fol. 64.

Ex omnibus autem circumstantiis, Herculem Mannum vel Alemannum, seculo Bebrycis (unde Bebryces vel Bryges postea Phryges antiquissimi populi dicti præsumuntur) Geryonis & Taurisci, quarto nimirum vel exorso quinto post diluvium vixisse, satiscunque apparet.

Hercules proinde Mannus vel Alemannus in Hispaniam contra Geryonem proficiscens, Alpibus superatis (Poetæ Alciden refingunt) Bebrycis Regis filiam, elegantissimam Pyrenen, sponsalibus nuptiisque, pro more polygamiæ tunc consvetæ, institutis, maritam duxit, ut testatur Sil. Ital. de bell. Punic. lib. 3. v. 430. & seq. p. m. 53. Conf. Natal. Com. lib. 7. Mythol. cap. 1. p. 701. Item Ambros. Calep. & Carol. Steph. in Lex. sub nom. Pyren.

Eundem Herculem etiam Celtarum cujusdam Reguli filiam Galatheam duxisse, tradit Diod. Sicul. lib. 4. & 6. pass.

Itaque porro Mannus vel Alemannus, cognomine Hercules Primus, (qui, ut supra lib. 9. cap. 11. annotatum, liberos quam plurimos reliquit) filiorum quendam suorum Noricem vel Noricum intimare gestiit. Nomen quod concernit: si ob memoriam & recordationem ipsius Noæ tritavi applicatum, idem est, ac Noæ similis, nobis Tranquillus vel Fridericus: si ex prisca Aramæa lingva (ubi juxta Johannem Annium Viterbiensem, *Nω* celebris est) insignis heros repræsentatur. Quæ, ut ambigua & parum cognita, in suo valore relinquuntur. Vid. alib. Joh. Annium Viterb. in Caton. fragm. de Aborig.

De historia Noricis, quanta adhuc superstes, Wolffgangus Lazius ejusmodi verba adornavit: *Terram hanc Norix Herculis filius occupans, Noricum de suo nomine vocavit. In qua & civitatem Tiburtinam, quæ nunc Ratisbona dicitur, ædificavit. Ripensis autem Ducatus, qui nunc Orientalis,* Oesterreich *dicitur, ideo tunc tempo-*

temporis vocabatur, quia ſubductis montibus, ripa Danubii undique vineis & arvis fœcundabatur. Et iterum: *Ego vero* (inquit Wolffgang. Lazius) *in alio pervetuſto Annalium codice, quem antiquiſſimum Auſtriæ cœnobium Melicum reconditum habebat, hæc nominatim adſcripta verba me legiſſe, memini: Norici à Norice Herculis filio dicti, è partibus circa Armeniam olim huc migrantes. A quibus nos Auſtrales & Bojoarii habemus ſermonem & nationem.* Laz. de migrat. Gent. lib. 2. de Gallogræc. f. 38. lit. D. ex vetuſt. Annal. Cod. It. lib. 7. de Boj. ex alio vetuſt. Annal. Cod. fol. 282. It. fol. 303.

Noricem & Bojum, quorum populi nonnunquam confunduntur, confratres, ambosque Herculis Manni vel Alemanni filios fuiſſe, quodammodo apparet; ſimulque illud, Herculem iſtum, uxores & liberos in Armeniam ſecum duxiſſe, donec poſteri ſuccedente tempore abinde transmigraverint.

Plura de hoc heroe referenda forent, ſed omnia ſub ignota vetuſtate recondita. Veniunt mihi hæc conſideranti in mentem verſus illius Lyrici.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illachrymabiles
urgentur, ignotique longa
nocte, carent quia vate ſacro.

De Norice Herculis filio, unde Noricorum gens proveniſſe conſtat, Andreas Althamerus & Johannes Stumpffius, fide antiqua & virtute ſcriptores conſulantur. Andr. Altham. Schol. in Tacit. de Germ. Tom. I. Op. Hiſt. collect. à Simon Schard. p. ibid. 13. Johan. Stumpff. Chron. Helvet. German. edit. Tugurin. 1548. lib. 2. de Germ. cap. 2. de Reg. Germ. fol. 19. a.

Quin & Sebaſtianus Munſterus ita adſtipulari voluit: *Ab antiquiſſimis usque ſeculis, regio illa prolixa Noricum vel Norgavia appellatur; de antiquo Duce Norice. Qui ab Oriente huc transgreſſus, Reginopolin ædificare cœpit, ut nonnulli ſcribunt.* Sebaſt. Munſter. lib. 3. Coſm. cap. 354.

Norici à Norice Herculis filio dicti, è partibusque circa Armeniam olim huc transgreſſi, ſecundum Cimmeriorum vel Germanorum examen, in patriam hanc noſtram adventitium, quinto poſt diluvium ſeculo, intelligi præſumuntur. Octavo vel nono poſt diluvium ſeculo, univerſos Cimmerios ex Scythia & Armenia egreſſos eſſe, conjecturis ſatis propinquis colligitur. Vid. ſupr. lib. 7. cap. 7.

Singulariter quoque notandum, quod ab hoc Norice, Alpes sinum Adriaticum obumbrantes, cum plagis adjacentibus longinquis, nomen & appellationem acceperint; & quod limites isti veteris Germaniæ, tam antiquum honoris & memoriæ insignium, inter tot mutationes turbulentissimas retinuerint. Nam in hunc usque diem, apud scriptores, Noricæ Alpes, & regio dependens, Noricum Priscum, appellantur.

Alpium maxima juga, cum adjacentibus plagis, mediante Norice vel Norico, Norica intimata fuisse, non est absurdum; quum ab aliis externis exemplis peræque probandum: Patriarchas olim & gentium fundatores, regiones & flumina, suis de nominibus nuncupasse.

Prope sinum Adriaticum & Mare Liguricum, Herculis quoque templum & monumentum, nomine Μόνοικος, vel præcipuè juxta Stephanum Byzantinum Μένοικος, i. e. Meni vel Manni ædes, olim extitit. Vid. Tit. Liv. Valer. Max. & Steph. Byzant. suis loc.


Per Alpes adjacentes superatas, in Galliam, in Germaniam, in Illyrium, in vetus Noricum, in Pannoniam & reliquas provincias, proficiscentes penetrare possunt. Veluti ab altera parte, Herculem Noricis Patrem primitus id suscepisse, atque longè post Brennum priorem cum Gallis, & deinde Hannibalem cum Pœnis, callidè observasse, collucescit.

Sinui Adriatico propiores olim Noricos Carnosque accoluisse, atque Noricos usque ad Alpium summa porrexisse, Strabo testatur. Strab. lib. 4. Geogr. Laz. de Migr. Gent. lib. 6. f. 188.

Unde etiam Poëtarum Latinorum Princeps, sæpè notatas Alpes, haud antiquiore & meliore eloquio, ac: Castella Norica, periphrasticè honorare potuit. Virg. lib. 3. Georg.

Noricum igitur modernum similiter à Norice isto denominandum. Germanicè plerunque das Norgau quasi deß Noricis Gau/ & incolæ die Norgauer nuncupantur.

Norix porrò tam Nariscos (rectius Noriscos) quàm Noricos ipsos, cognatos populos, congenerasse, utcunque apparet. De quibus postea evidentius.



CAPUT

CAPUT X.

De Noricorum vetusta memoria, Græcis Latinisque scriptoribus nota.

AD Noricos, quatenus Græci Latinique scriptores, eorum expressam & articulatam mentionem fecerunt, revertar.

Primitus ærarios & metallicos, instar Chalybum in Ponto, qui effodiendis fabricandisque metallicis artificiis affabrè excelluerunt, (uti & nunc artificiosissimi sunt) extitisse, antiqui Homeri carmen Νώρακα χάλκα, aliquoties extollens præ aliis testatur. Homer. Iliad. η. ν. & π. h. e. lib. 7. 13. & 21, Iliad.

Anno post diluvium circiter 1110. ante Christum 1190. in expeditione adversus Trojam suscepta, Ajax Norico ferro armatus introducitur.

Juxta Johannem Carionem & Philippum Melanchthonem, scrutatores antiquitatis incomparabiles simulque sagacissimos & doctissimos: *Quidam sic interpretantur apud Homerum* Νώροπα χαλκὸν *de Noricis ferramentis.* Chron. Carion. Part. 1. Latin exposit. & auct. à Philip. Melanchth. edit. Witeberg. 1562. p. 174. b.

Wolffgangus Lazius contra expressè reponit Νώρακα χαλκὸν, i. e. *Noricum chalybem.* A nominativo, sed parum cognito, Νώραξ.

In hodiernis Homeri exemplaribus versus ejusmodi reperiuntur:

Τῶν ἑκατὸν νηῶν ἦρχε κρείων Ἀγαμέμνων
Ἀτρείδης. Ἅμα τῷ γε πολὺ πλεῖστοι καὶ ἄριστοι
Λαοὶ ἕποντ'. Ἐν δ' αὐτὸς ἐδύσατο νώροπα χαλκὸν
Κυδιόων, ὅτι πᾶσι μετέπρεπεν ἡρώεσσιν.

Horum centum navibus imperabat Rex Agamemnon
Atrides. Una cum hoc quam plurimæ & præstantissimæ
Copiæ sequebantur. Ipse verò induit splendidum æs,
Exultans, quia omnes inter conspicuus erat heroas.

Hom. Iliad. B. vers. 556. & seq. p. m. 70.

Juxta Wolffgangum Lazium ejusmodi texus corruptus esset, & ita resarciendus: ἐν δ' αὐτὸς ἐδύσατο Νώρακα χαλκὸν. Ipse verò induit Noricum chalybem.

Et sic deinceps in aliis Homeri versibus, penes tale vocabulum, ut, pro

ὣς ἄρ ἔφαν. Αἴας δὲ κορύσσετο νώροπι χαλκῷ

resti-

reſtituendum Νώρακι χαλκῷ. i. e. Sic dixerunt. Ajax autem armabatur ſplendido ferro; rectius: Norico chalybe. Hom. Iliad. H. ſiv. 7. circ. med. p. m. 240. De νώροπι καλκῷ rectius Νώρακι χαλκῷ vid. alib. Hom. Iliad. N. p. 460. & Iliad. Π. p. 564.

Proh dolor humanarum rerum varietatem! nulla monumenta, temporum hominumque corruptelis immunia permanſerunt, ut & Homero obtigit.

Verum, antiquis commentariis non omnis deroganda fides eſt, cum & inſigne illud commentarium Homericum excellenter ſic dictum, ſive illius ſcholiaſtes *Noracum vel Noricum Pannoniæ oppidum* (veluti regnum Noricum tantoperè fuit extenſum) interpretatur. Comment. ille Magn. ſive Scholiaſt. Hom. ad h. l.

Unde & Dionyſius Geographus (qui natione Corinthius aliis Apher geographiam florente Auguſto, Græcis hexametris adhuc extantibus ſcripſit) Noricos prope Pannoniam in genere commendat.

Ἴϛρȣ μὲν τόσσοιδε βορειότεροι γεγάασι
Πρὸς δὲ νότον Γέῤῥαι, καὶ Νωρίκι ἄϛε' ἐρυμνὰ,
Παννόνιοι, Μυσοίτε Βορειότεροι Θρηΐκων.

Hos Latinè reddidit ita Priſcianus:

Hujus ad Auſtrales partes, Gerræque feroces
Noriciique colunt bellaces, Pannoniique
Et Myſi Thracum Boræis finibus orti.

Dionyſ. in Geogr. & Priſcian. ibid. allegat. à Wolffg. Laz. de migr. gent. lib. de Tauriſc. f. 154.

Polybius inſuper hiſtoricus & Philoſophus perinſignis Megapolitanus (qui teſte Bodino 200. annis ante Chriſtum, juxta alios 750. claruit, de cujus 45. libris quinque priores tantum & epitome usque ad XV. ſequentes, ſolummodo extant) Norica metalla & aurifodinas inſigniter celebravit, & ſcriptum: *Suis temporibus aurifodinas in Tauriſcis Noricis, maximè penes Aquilejam reperiri: adeo natura optumas, ut, cum à ſuperficie terræ ad duos pedes ſolum detraxeris, foſſile confeſtim aurum invenies &c.* reliquit. Porrò chalybis ferrique Norici Strabo, Stephanus Byzantinus & Homeri commentatores meminere. Polyb. lib. 2. Strab. lib. 4. Steph. Byzant. in periphraſ. urb. Laz. de migr. gent. lib. 6. de Tauriſc. & Carn. fol. 187. lit. A.

In notiſſimo præterea Græco Lexico magno ex ſeptem autoribus collecto, Pannoniæ oppidum, à quo Νώρακα χάλκα Homero celebra-

celebrata, Epaphroditum descripsisse legitur. Græc. Lex. magn. sub nom. Νώρακος.

Quo factum est, ut Græci autores, urbem Noricum propter Norici usque ad Pannonias extensionem, eidem Pannoniæ adscripserint. Unde Stephanus Byzantinus reiteravit: Νωράκος πόλις παννονίας, ὁ πολίτης Νωράκιος. ὡς Ἐπαφρόδιτος ἐν τοῖς ὑμηρικοῖς φησιν. ὅτι γίγνεται ἐν παννονίᾳ σίδηρος ὃς ἀκονηθεὶς λαμπρότατός ἐστιν. Ἀφ᾽ οὗ καὶ τὸν νώροπα χαλκὸν, h. e. *Noricus, urbs Pannoniæ, cujus civis vocatur Noracius. Quemadmodum Epaphroditus in Homericis ait: nasci in Pannonia ferrum, quod si acuatur, splendidissimum evadit; ex quo etiam æs Νωropon appellatur.* Steph. Byzant. in Homer.

Huc pertinet etiam illud Svidæ: Νῶροψ ὁ λαμπρὸς οἱ μὲν ἐτυμολόγοι παρὰ τὴν στέρησιν τοῦ ὁρᾶν. Ἀμαυροῖ γάρ φασι τὴν ὄψιν πάνυ λαμπρὰ καὶ διαχεῖ. ὥστε Νῶροψ χαλκὸς, ὁ μὴ ἐῶν ὁρᾶν εἰς αὐτόν. Ἐπαφρόδιτος δὲ ἑωρακὼς Νώρακον πόλιν παννονίας, ἧς ὁ πολίτης Νωράκιος, γίνεσθαι ἱστορεῖ ἐν παννονίᾳ σίδηρον, ὃς ἀκονηθεὶς λαμπρότατός ἐστιν. Ὅθεν καὶ Νώροπα φασιν εἰρῆσθαι χαλκὸν, ὡς εἴτις εἴποι Νωράκιον, i. e. *Νωrops quoad vocabuli vim idem est, quod splendidus, à visus privatione nomen habens. Obscurant enim & confundunt visum ea, quæ nimis splendent. Unde æs hoc nomine Νωrops dicitur, quod non sinit sese adspici. Epaphroditus vero Noracum urbem Pannoniæ vidit, cujus civis Noracius dicitur. Narratque ferrum in Pannonia esse, quod si acuas, splendidissimum fit; ex quo ipsum æs* Νωράκιον *dici ajunt.* Svid. vid. & Wolffg. Laz. comment. Reipub. Roman. lib. 12. cap. 8. fol. 1047. It. de migr. gent. lib. 7. de Boj. in pr. fol. 228. Dec. 4.

De Noricorum usque in Pannoniam extensione, discreta verba Plinius adornat: *Ad Septentriones Pannonia vergit, finitur Danubio, in ea Coloniæ: Æmona & Siscia. Amnes clari & navigabiles in Danubium defluunt: Draus è Noricis violentior, Saus ex Alpibus Carnicis placidior.* Plin. lib. 3. cap. 25. de Pannon. fol. 48. Dec. 1.

Ex superioribus Νώρακα χάλκα propter elegantem Paronomasian & aliam convenientiam κατ᾽ ἐξοχὴν, Νώροπα, quia ejusmodi splendidissima Periphrasticè circumscripta fuisse, manifestum; unde & sphalma in Homeri carmen irrepsit. Laz. de migrat. gent. lib. 7. fol. 287. lit. A.

Inde adagium: *Noirco ferro durior:* desumtum, quod Ovidius Homeri æmulus ad exaggerandam alicujus duritiem adhibuit.

Durior est ferro, quod Noricus excoquit ignis.

Ovid. lib. 14. Metam. fab. 16.

Sic etiam Horatius accinuit:

Tristes ut iræ, quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum
Nec sævus ignis.

Et iterum Horatius:

Voles modo altis desilire turribus
Modo ense pectus Norico recludere.

Horat. lib. 1. Od. 16. & Od. 18. Epodon.

Sic etiam Martialis Noricum ferrum commendavit. Martial.

CAPUT XI.

De memorabilibus Noricorum descriptionibus & aliis miscellaneis.

MAjorum nostrorum Cimmeriorum, Cimbrorum vel Gallorum vel Tuisconum (prout autores nominare voluerunt) examina & heroica facta, quæ nota adhuc vigent, pleraque aut ex Noricis aut per Norica suscepta & peracta ex verissimorum & gravissimorum autorum scriptis leguntur. Quam latissimum porro antiquum Noricum regnum fuerit, Polybius: *Veterum Celtarum sive Gallorum admirabiles exercitus ex Alpibus Noricis progressos fuisse:* tradens expressit. Quin etiam Plutarchus commemorat: *Cimbros per Noricum contra Catulum Lutatium fuisse profectos*, Κιμβροὶ (ait) μὲν ἔλαχον διὰ Νωρικῶν, ἄνωθεν ἀντὶ Κάτλον χωρεῖν καὶ τὴν πάροδον ἐκείνην βιάζεσθαι. Τεύτονες δὲ καὶ Ἄμβρονες λιγγύων ἀντὶ Μάριον παρὰ θάλατταν. i. e. *partitis copiis Cimbri per Noricos contra Catulum, ut itinera illa per vim apparent, proficisci statuerunt. Teutones vero & Ambrones per Lingones contra Marium contendebant.* Alpes proinde, celeberrima illa notissimaque à principio rerum existentia montana, antiquitus Norica promontoria appellata fuisse, inter alios testatur Wolffgangus Lazius ita ex Polybio concinnans: *Galatæ (sic enim Galli primis temporibus nominabantur) postquam ex Italia, majore ex parte cessissent, pluribus electis Regibus, sive itineris Ducibus: Brenno, Cerethrio, Aeichorio, Belgio & Bathanatio, per Noricas Alpes in Pannonias moverunt. A quibus videlicet etiam*

etiam Celticæ Alpes posterius nominatæ fuerunt. Ipsi cum majore populorum parte latius in Græciam profectionem continuarunt. Polyb. lib. 2. pass. Plutarch. in Mar. Vid. & Pausan. Vellej. Paterc. & alios. Plin. lib. 3. c. 17. p. m. 45. Dec. 2. It. Laz. de migr. gent. lib. 2. de Gallogræc. fol. 41. lit. B. It. lib. 3. de Cimmer. f. 65. A. It. lib. 5. de Celt. siv. Gall. pass. It. lib. 6. de Taurisc. & Carn. fol. 191. A. &c.

De Alpibus Noricis Rhæticisque & earum antiquitate apprimè Plinium revolve. Celticarum Alpium in Noricis & Rhætiis descriptio & fœcunditatis exaggeratio apud Polybium extat. Plin. lib. 3. c. 20. usque 25. Polyb. lib. 2. pass. Laz. lib. 5. de Celt. in pr.

Noricorum ulterius aliquoties meminere C. Julius Cæsar lib. 1. com. bell. Gall. Julius Capitolinus. Appianus Alexandrinus in lib. Illyric. Plin. dict. lib. 3. & 4. c. 24. Ubi in Noricorum descriptione Celejæ vel Celiæ oppidi meminit. Strabo, Ptolemæi & alii.

Probè heic incidenter observandum occurrit: quod nonnulli Illyridem (quæ regio propriè est pars antiquæ Germaniæ Meridiem & Orientem versus propè Mare Adriaticum Italiæ opposita hodie Istria) supra modum extendentes atque integram vel universalem terræ plagam exinde reformantes, eatenus Noricum tanquam partem provinciarum à Romanis olim ita redactarum subdivisam immiscent. Veluti juxta Sextum Ruffum Festum: *Illyris habet XVII. provincias, Noricorum duas, Valeriam, Svaviam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas atque Macedoniam. In Macedonia provinciæ sunt VII. Macedonia, Thessalia, Achaja, Epiri duæ, Prævalis, Creta.* Sext. Aurel. Ruff. in breviar. ad Imperat. Valent. circ. med.

Ab aliis etiam autoribus, apprimè Julio Cæsare, Plinio & Strabone, Norici inter Illyricos sed saniori sensu, scilicet Magnæ Germaniæ cognatos, minimè verò alienato Patronymico, referuntur. Sed rectissimè Tranquillus Illyridem inter Danubium, Noricum & Thraciam includit. Et Jornandes de Noricis tractans tanto extollit ac fermè Illyricis æquiparat. *Atque Pannoniam tanquam Norici partem, Augusti temporibus Romano nomine accessisse, inquit.* Tranquill. in histor. Tiber. Jornand. in libel. de success. regn. & temp. Laz. de migr. gent. lib. 4. de Pannon. f. 146. lit. D.

De extensionibus tractuum Noricorum nunc agendum restat; quorum ob multas causas, diversos aliquot fuisse oportet; Sed Ro-

manos Imperatores licet totum subegisse Noricum, gloriati sient, nullatenus tamen prorsus expugnâsse constat. Tacitus ipse Romanus hoc passu à parte nostrûm stare animadvertitur, dum *Germanos magis triumphatos, quam victos fuisse affirmat.* Tacit. in Germ. c. 27. vers. 9.

Juxta veteres Jul. Cæsarem & alios: Norici incolæ vel accolæ inter alios extitere *Docleatæ, Carni Interfrurini, Narisii, Glintidiones atque Taurisci.* Sic quoque Appianus Alexandrinus inter Noricas gentes *Cynambreos, Merromenos, Bathiatas, Byrisseos Nariscos, Glintidiones, Interfrurinos, Docleatas, Orixæos, Tauriscos & Carnos* recensuit. *Luetios* etiam *Scordiscos* nomine tales in Noricis Alpibus partim ad Herciniam sylvam & non procul à Pannoniis habitasse ex Strabone animadvertitur. Denique ne quis dubitet Tauriscos Norici colonos in Alpibus Italiam versus coluisse, Plinius, dum in Tauriscis Noræam (ubi hodie Goritia) deletam fuisse tradit. Tauriscos porrò ad Istrum sive in Pannonia sive Norico proximè Dacis & Getis sedes habuisse ex Ptolemæo, Plinio & Strabone luculenter patet. *Leponticos, Camulos, Vindelicos & Noricos populos* inter se vicinos Strabo collocat, atque *una cum Brencis vel Tenavis his jam Illyricis montana exteriora majore ex parte tenuisse*, infit. Jul. Cæs. Appian. Alexandr. in libell. de Illyr. Plin. lib. 3. c. 12. & 20. Strab. lib. 4. 5. & 7. Geogr. pass. Ptol. lib. 3. c. 8. tab. Europ. 9.

Hæc vel extincta vel vetustate collapsa vocabula stirpitus & radicitus explicare haud possibile, neque huc congruum, dum de Noricis ipsis ejusdemque nominis cognatis & descendentibus propriis manifestisque agendum est.



CAPUT

CAPUT XII.

De veteris & recentioris Norici extensionibus.

INtegrum Noricum longissimum regnum à Montanis Francicis, fontibusque Mœni, Egræ, Nabi Salæque, & à parte diametrali Danubii inter Bohemiam & Bavariam ad Alpes usque extenditur, comprehendens 1. hodiernæ Franconiæ non exiguam partem, Palatinatum superiorem, Norgoviam vel Norisciam, intra Noribergam & Ratisbonam. 2. Noricum Mediterraneum, nunc Bavaricas, Salisburgenses & Ratisbonenses ditiones. 3. Noricum Ripense & magnam Austriæ partem. 4. Noricum Alpinum, Tyrolim, Carinthiam, Stiriam, Carniam prope sinum Adriaticum & Illyridem. Sinus Adriaticus autem antiquissimorum Noricorum ad Germaniam appellentium primus portus perhibetur. Ibi etiam dicuntur Alpes Noricæ, quæ Noricum in circumferentia ab Italia, Illyride, & Pannonia disterminant.

Norici à Plinio ita describuntur: *à tergo Carnorum & Japedum, qua fert se magnus Ister, Rhætiis junguntur Norici. Oppida eorum Virunum, Caleja, Teurnia, Aguntum, Viana, Æmonia, Claudia, Flavium, Solvense &c. Noricis junguntur lacus Peiso & deserta Bojorum.* Plin. lib. 3. histor. nat. c. 24. de Noric. p. m. 48. dec. 1.

Danubii fontes idem Plinius *in Germaniæ jugis Noricis Occidentalibus cis montem Arnobam* (Ptol. & Tacito Abnobam) *oriri* scribit. Cujus verba ita resonant: *In his viciniis sunt fontes Istri, (qui oritur in Germaniæ jugis, Noriæ vel Noricæ, ex adverso oppidi Gallorum Scanri) qui & Danubius dicitur, & quam primum in Illyricum venit, Ister dicitur, ac per innumeras lapsus gentes, sex ostiis in Pontum defluit*, collimasse hodierna montana censentur: Ubi Danubius de monte quodam prope Rotwilam vel Don-Eschingen, delabitur. Plin. lib. 4. hist. nat. c. 12. & 13 Vid. & Joh. An. Viterb. com. in Beros. lib. 4. p. 31. b.

Wolffgangus Lazius inquit: *Quemadmodum Noricorum latè quondam ditio patebat, ab Italiæ videlicet finibus, Dravoque fluvio usque ad Istrum, & ab Oeno flumine rursus in Pannonias: Ita posterius Boii tantum, aut eo etiam majorem agrum possederunt.* Et paulò post: *Præterea ultra Danubium, qui Boiis imperant, adhuc per Nariscos ditionem tenent, quos hodie Nordgovios vocant;*

& quorum est Norimberga, tanquam diceres mons Norici metropolis. Ut credibile sit, Noricos, qui incipiente imperio intra Danubium & Italiam, Carnosque & Tauriscos colebant, labente illo, vel pulsos à Romanis: vel quod libentius crediderim, immixtos Bojis, agros quoque ulteriores quam latissimè occupasse &c. Laz. de migr. gent. lib.7. de Boj. p.288. lit. C.

Paulus Diaconus: *Noricorum provincia, quam Bojariorum populus partim inhabitat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Sveviam, à Meridie Italiam, ab Aquilonis verò parte; Danubii fluenta. Quæ ostendunt, non solùm Austriam supra Anysum, sed Carinthiam insuper Stiriam, Garitiam, magnam Tyrolis partem eò pertinere.* De Bojis verò in agrum Noricum ingressis vide Jul. Cæsarem. Paul. Diac. lib.3. rer. Longobard. c.29. Laz. de migr. gent. l.7. de Boj. f.285, lit. b. Jul. Cæs. lib.1. com. Bell. Gall. in pr. Vid. & Polyb. lib.1. Plin. lib.3. c.17. Tit. Liv. lib.5. ab urb. cond. it. Flor. & al.

Casparus Peucerus: *Norico comprehendebatur Bavaria Inferior & Diœcesis Salisburgensis, cum parte Austriæ, Stiriæ, Carinthia, Carnia. Erat duplex: Ripense Danubio imminebat: Mediterraneum aberat longius. Appellationis vetustæ vestigia retinuerunt urbes Noriberga &* Nörlingen/ *atque is tractus, qui Norgoviæ nomine notus, Noribergæ & Ratisbonæ interjacet.* Casp. Peuc. in part.3. lib.4. Chron. Carion. p. m.42.

Unice tandem vetustis ex scriptis haustum referam: Noricos primâ statim post diluvium dispersione ex Armenia in hanc patriam progredientes, vetus condidisse Noricum, inter fontes Rheni & littora Danubii, prope Pannoniam & mare Jonicum.

Concernit itaque vetus istud Noricum Alpium partes, extendens à Fori Juli regione 1. Occasum tenus ad limites Vindelicorum & Rhætorum. 2. A Septentrione adspiciens profluentem à latere Danubium & ulteriores montes. 3. Ab Ortu Solis montem Cethium, qui Pannoniam Superiorem disterminat à Norico. 4. A meridie montem Curvancum, qui est supra Istriam Dalmatiæ conterminus & mari Jonico, ubi hodie Tyrolis, Carinthia, Styria, Crainum &c. Carol. Steph. Lexic. hist. & recentiores pler.

Ea loca, Italiam versus, Norici olim longè ante Christi tempora reliquerunt. Relicta vicini de nostra quoque gente Bojorum & Helvetiorum è vestigio occuparunt, donec tandem maxima ex parte *gens Heneta insecuta* usque nunc consederit.

Quando

Quando autem Boji & Helvetii in vetus Noricum ſucceſſerint, multi Doctores diſſentiunt. Ante Chriſtum prope 100. *Meſſalâ & L. Piſone Coſſ. Helvetii Bojos, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum tranſierant, Noreiamque oppugnaverant, receptos adſe ſocios ſibi adſciſcunt. Orgetorix Helvetiorum Rex erat, qui conjurationem nobilitatis fecit & civitatibus perſuaſit, ut de finibus ſuis, cum omnibus copiis exirent: perfacile eſſe, cum virtute omnibus præſtarent, totius Galliæ imperio potiri.* Jul. Cæſ. lib. 1. in pr.

CAPUT XIII.

De limitatione in Plinium & Tacitum de Noricis.

OBjectum quaſi Plinius & Tacitus obſtipare videntur. Quorum Plinius *quinque Germanorum genera recenſet, non annumeratis Vindelicis, Rhætiis & Noricis ab occaſu, neque ad ortum additis Getis Dacisque.* Ac Tacitus hisce verbis ſecludere apparet: *Germaniæ terra, etſi aliquando ſpecie differt, in univerſum tamen, aut ſylvis horrida, aut paludibus fœda. Humidior, qua Gallias: ventoſior, qua Noricum adſpicit & Pannoniam.* Unde ſed pauciſſimi ſeducti Noricos à genere noſtro ſepoſuerunt. B. Rhenanus hiſtoricus alias inclutiſſimus falſo intellectu confuſus tradidit: *Rhæti, Norici & Pannonici nihil unquam cum Germanis commune habuerunt præter Danubium, qui utrisque loco limitis fuit, proprioque ſermone, cultu, inſtitutisque ſemper diſtincti fuerunt.* Plin. Tacit. in Germ. c. 5. v. 1. B. Rhenan. lib. 1. rerum Germ. p. m. 20.

Sed prædicti autores 1. hac falſa hypotheſi connisi: Romanos, qui regionibus ſubactis præſertim vicinis nova imperii inſignia introducere conſveverant, ſimiliter & Noricum Germaniæ quaſi abreptum Romano imperio accenſuerunt. Sed ipſe Plinius, *quando Danubium in Germaniæ jugis, Noriæ, ſcaturire* annotavit, ſibi contradixit. Plin. lib. 4. hiſt. nat. c. 13.

2. Noricum licet apud nonnullos Romanos ſcriptores extra quaſi Germaniam repoſitum videatur: Illud tamen, hanc Arctoam Germaniæ oram, quæ nunc inferior, Weſtvalia & magna Saxonia appellatur, propriè Germaniam eo tempore dictam, reliquas ſuperioris

ris partes vel Gallis vel Illyricis, annumeratos fuisse, evenit. Vid. Dav. Chytr. de lection. hist. part. 2. de reb. Germ. in pr.

3. Romani in suis provinciis & in divisionibus earum, nullum ordinandi modum observantes, diversas regiones complicuerunt, unde tam Noricos, quam antiquos Bojos & Vindelicos Germaniæ abstraxerunt.

4. Distingvendum est inter incolas naturales & novos inquilinos. Nam veluti Heneti & Zechi in Bojorum & Marcomannorum, ita etiam partim in Noricorum, ubi nunc consident, sedes introgressi sunt. Hac ratione multæ veteres regiones, licet nomina retinuerint, peregrinos hospites acceperunt. De quo ulterius diligens lector consulat. Joh. Avent. Nicol. Cisner. Wolffgang. Laz. de migr. gent. pass. & recentiores alios.

Quales vel pejores mutationes, aliis etiam maximis regnis, utpote Græciæ, Galatiæ & compluribus contigisse in propatulo. Ubi congrua B. Lutheri verba de gente Riphæorum montibusque Riphæis applicanda sunt: *Montes appellationem retinuere, naturalibus verò incolis egressis meri Barbari & Tartari vestigia legere.* Luth. Comm. in Gen. 10. v. 3.

Denique (refert Wolffgangus Lazius) *ut appareat illa ineffabilis Numinis Divini potentia Atque ut eos esse rerum humanarum casus perpendamus, qui nihil perpetuum sinunt. Ut quæ olim amplissimæ erant, atque orbi penè universo tremendæ gentes, nunc vel in orbe non extent, vel in angustias redactæ, alicubi alio sub nomine lateant. Id quod de Gothis, Herulis, Gepidis, Longobardis, Vandalis, Marcomannis, Quadis &c. prolixè possemus confirmare. Heic de industria transeo Monarchias, imperiorum successiones ac regnorum permutationes.* Laz. de migr. gent. in præfat. fol. 5. lit. B.

Mutationes equidem de Noricis sed (Deo sit gratia) non tam enormes & vehementes, aliqua tamen ex parte, simulque describendi errores contigerunt.

Multa fabulosa de transmigrationibus Noricorum circumforanea transmitto. Fatales equidem periodos, uti in omnibus aliis populis ex abstrusa DEI voluntate ingruerunt, ita & penes hunc non defuisse perfacilè ratiocinandum, sed quibus modis, accuratè haud remonstrari possunt. Quo passu vel pulsu prisci Norici anteriores nostri præculti, veteri ex patria uberiori & svaviori digressi domi-

domicilia circumegerint, in umbris versatur. Hoc quidem conjiciendum, multa dura perpessos, multasque vias fuisse emensos, priusquam mediam hanc in Germaniam circa Noribergam in hodiernam Franconiam, prope Nabum & Palatinatum superiorem, sese collocantes intermixtim Norisci appellari cœperint. Consulantur de his Johan. Avent. Laz. de migrat. gent. lib. 8. pass. Nic. Cisner. & alii.

CAPUT XIV.

De Noricorum & Francorum refulgente memoria, A.C. 507.

AMbos Patriarchas Noricum & Bojum propriè ex Manno vel Alemanno Hercule Primo, progenitos ortos, confraternos populos fundasse, & lingva & alia historica indicia indigitant. Inde fit, ut nonnunquam Norici pro Bojis & vice versa transumantur.

Cæterum tam inter Bojos & Noricos distingvendum est, quam inter Alemannos nostrates Synecdochiceque pro universis Tuisconibus congeneribus communicativè sumtos: & inter illos cum duplici ll. pro colluvie olim multifariarum nationum separativè discretos, segregatos vel abusivè sic nominatos Allemannos, Sveviam, Vindeliciam & tractum Würtenbergensem olim deprædatos.

Allemannos ita dictos cum Francis confœderatos, initio conjunctos viguisse, ex historia Valerii Probi notum est. Allemannos porro Rhætorum & Svevorum nominibus abolitis, suum in ea loca importasse, ex Casparo Peucero simul collucescit. Casp. Peuc. part. 3. lib. 4. Chron. Carion. p m. 53.

Unde: *Anno Domini 507. Clodovicus Rex Francorum Allemannos Divinum invocans auxilium vicit atque subjecit. Gens Noricorum prius expulsa revertitur ad proprias sedes, Bavariam & Austriam, cum Duce eorum Theodone* (Teudone) *Latinis & Romanis inde ejectis. Postquam Theodo primus obiit, Theodo secundus successit.* Laz. de migr. gent. lib. 2. & 7. pass.

Clodovicus vel Ludovicus Rex Francorum Christianorum, Allemannos illos fœdifragos, quicunque etiam nationum fuerint, reliquorum congentilium & popularium oppressores, vicit, subjecit & ad unam imperii formam coëgit. Vid. ult. Laz. de migrat. gent. pass. & Casp. Peuc. cit. loc.

Clodovicus Rex Francorum, Theodo Dux Noricorum declarantur. Tota historia de Noricis tractat. Noricorum proinde milites sub refulgente tunc Francorum insignio comprehensos; reliquos vero sub Theodone colonos & agricolas sub proprio & antiquo nomine Noricorum, ut priscus status tunc reposcebat, consignatos fuisse, maturè colligendum.

In substrata materia ulterius subsequitur: *Gens Noricorum prius expulsa revertitur*, sc. ex mediterraneo Germaniæ meditullio, *ad proprias sedes Bavariam & Austriam cum Duce eorum Theodone Latinis atque Romanis inde ejectis*. Isti quidem Germanicæ prosapiæ infensissimi hostes jam diu è regione expulsi erant, sed superstites relicti, instar Saracenorum ex Hispania, eradicandi videbantur.

Tempus tandem Franconicorum progressuum atque provinciarum Austriæ Bavariæque recuperatarum, item regiones & diœceses priscorum Noricorum & hodiernorum Francorum, item alia probabilia indicia coincidunt.

CAPUT XV.

De Noricis Francis Montanis & Mediterraneis.

A Manni Herculis cognomine Primi filio Norice vel Norico, maximum amplissimumque populum promanasse evincitur. Partem inde insignem, ab antiquissimis temporibus, ad Montes Sudetos, inter Mœnum, Egram, Nabum & Salam flumina, propè Bojorum Svevorumque confinia, in hoc patriæ meditullium consedisse; simulque in illo primitus tunc possesso loco, bonam ominosam palæopolin Segodunum hodie Noribergam construxisse, multis dispalescit conjecturis evidentissimis.

Unde Norgavia non solùm & Palatinatus Superior, sed etiam Montana Francica juxtimque Voitlandia, Noricam antiquissimâ censurâ sapiunt originem. Quos indigenas Tacitus, Julius Capitolinus & Theodosius è Dionis historia, corruptè annotarunt Nariscos; Ptolemæus corruptiùs Variscos. Johannes Carion verò, Philippus Melanchthon & Casparus Peucerus cum reliquis, à confinio Norico, expressè indigitarunt quasi Noriscos.

Mutilatè errant, qui Nariscorum nomine, Voitlandos tantum complectuntur. Tacitus ipse opponit: *Juxta Hermunduros Narisci, & deinde Marcomanni & Quadi agunt. Præcipua Marcomanno-*

mannorum gloria viresque ; atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Bojis, virtute parata. Nec Narisci Quadive degenerant. Eaque Germaniæ frons, quatenus Danubio pergitur. Tacit. in Germ. cap. 42. v. 1. & 2.

Nariscos igitur Marcomannis & Quadis haud inferiores, non exiguam plebeculam, quales alibi à Tacito sæpiusculè subdivisæ, sed eximiam atque amplissimam gentem extitisse, liquet.

Frons ista Germaniæ, quatenus Danubio pergitur, Norgavios prope Ratisbonam concernit, atque terminum Orientalem constituit. Latus Occidentale est ultra Montana Francica, Ala Narisca, Heroldo & Carolo Stephano testibus.

Nariscos Germanorum amplissimam gentem extitisse, etiam Julius Capitolinus suffragatus: *Conspiraverant ab Illyrico limite per integram Germaniam usque ad Galliam: Marcomanni, Narisci, Hermunduri, Quadi, Svevi. Quadi nimirum & Marcomanni à limite Illyrico; atque Hermunduri, Narisci & Svevi usque ad Galliam.* Vid. Jul. Capitol. in vit. M. Aurel. Anton.

Circa illud tempus, vel paulò post, Francorum nomen inflorescere cœpit. Hodierni quoque Palatini & Franci Montani ex Tacito, Ptolemæo, Julio Capitolino & aliis antiquariis, nullum aliud antiquius nomen, ac Nariscorum rectius Noriscorum, investigare queunt, quàm sagaciter etiam ac curiosè disquirant.

Qui populares de Noricis vel Norgaviis accuratè Norisci designandi, à Tacito verò Narisci dicti, ab antiquissimis seculis, simul Francorum nomen originaliter & principaliter assumserunt.

Fulgor iste Franconicæ originis, & amplitudo Noriscorum, antiquioribus seculis parum concinnè innotuit.

Francorum augurium alii, suis moribus, qui velint, imaginentur; à Norica tamen gente primitus incepisse, circumspicuè viget. Quin immò, si quis Fraye-Noricos addita elisioni syncope, conciliaverit, Francos inde provenire, optimè conspiciet.

Jure igitur meritoque, qui prædicta Montana & urbem toto terrarum orbe celeberrimam Segodunum hodie Noribergam, ejusdemque ditionem, item Norgaviam & priscam Nariscorum terram, cum aliis adjacentibus plagis, antquissimam & verissimam Francorum latissimè subinde famigerosorum patriam statuunt, ac tanti fulgoris splendorisque procul diradiantis auspicium & originem inde derivant, accuratissimè sentire & judicare, adjudicandum. Vid. ult. Wolffg. Laz. de migrat. gent. & al. divers. locis.

CAPUT XVI.

De Ptolemæi tabulis & de patria nostra.

PTolemæus (diſſone Ptolomæus) à Græco πτολεμίειν contractè πτολεμεῖν pugnare; inſtar Timæi à τιμάειν honorare.

Claudius Ptolemæus Peluſienſis Alexandrinus, Mathematicus, Aſtrologus, Geographus, Muſicus præſtantiſſimus, patriâ *Ægyptius*, natione Peluſienſis, Alexandriæ profeſſus eſt. Floruit Trajani & Hadriani temporibus, Antonini mortuus, poſt Chriſtum 141. In Aſtrologiæ ſcientia priorum nulli ceſſit. Primus enim apud Græcos Cœli rationem diligentius explicuit, inventaque ab Hipparcho inſtrumenta clarius demonſtravit. De Muſica & rebus aliis, tum de Geographia abſolutiſſimè ſcripſit. Reliquit Geographiæ libros 8. item magnæ conſtructionis Mathematicæ, i. e. perfectæ Cœleſtium motuum pertractationis Libros 13. quos vulgo Almageſtum vocant; in quo nobis conſervavit conſignationem annorum 887. à Nabonaſſaris principio, ante Chriſtum natum 746. usque poſt natum 141. Item de judiciis Aſtrologicis Libros 4. in quibus centum exempla ſuæ ſcientiæ, uſu & experientiâ ita ſe habere ac veritati maximè conſentire, ipſe probavit. Quæ opera jam dicta, omnia adhuc extant. Vid. Abrah. Bucholz. & Carol. Stephan. in Dictionar. hiſtor.

Maximi Vir ingenii, juxta Mylæum, *Claudius Ptolemæus, Aſtronomiam, Geographiam atque Muſicam pleniſſimè ſubtiliſſimèque tractavit, & acerrimis ſtudiis, aſtrorumque diuturna obſervatione, tam multa eſt conſecutus, ut priorum nullus hanc doctrinæ partem certius atque locupletius ſcriptis prodiderit; & admodum pauca ſummæ illius diligentiæ, conſequentes adjicere potuerint.* Chriſtoph. Myl. de ſcribend. univerſit. rer. hiſt lib. 5. de literatura. circ. fin. p. m. 367.

Ptolemæum Aſtrologorum Principem & in Mathematicis ingenii eminentiſſimi, inceſſere plerique non deſinunt, tanquam parùm Philoſophiæ peritum, & qui tot admittat errata, quot ſuperre aliqua enunciet verba; ſed nos hujus rei cenſuram, quum ipſum contrarium liqueat, rejicimus. Ludovic. Cœl. Rhodigin. Lection. antiq. lib. 1. c. 15.

A curioſis olim Geographis, qui in peregrinationibus impediti fuerunt, percontatores emiſſos fuiſſe, conſtat. Unde *Ptolemæum meliores ſecutum, & certius omnia habuiſſe cognita, probabile eſt*, inquit Wilhelm. Xilander in not. in Strab, lib. 11, in pr.

Præſtò

Præstò electus autor singulos licet cardines, populos & civitates in primis illis, propterea que obscuris, tabularum elementis, non ordinatim semper & disposité gesserit; diligenter tamen & nominetenus æternæ memoriæ reddidit. Vetustus insuper ad strictissimam hodiernam amussim, usque adeò non revocandus Geographiæ calculus. In tanta olim antiquitatis caligine, unicum Ptolemæum, vel illius similem, scintillulas quasdam alicujus indaginis reliquisse, sufficit. Si deforme quid & alienum in ejusmodi relictis apparet, non mirum; potius librariorum mendis, quam Scriptorum imputandum manuscriptis. Alia præterea terræ universæ, regionumque singularum pictura est, quam Ptolemæi & antiquorum ætate, inquit Maginus in Præf. ad. Ptol. Tab. in pr. p. 6.

Quantum in universali dimensione Orbis, ab antiquis, nostrates discesserint, ex subsequentibus Matthiæ Kirchofferi patebit: *Longitudo Geographica nihil aliud est, quam alicujus loci distantia à Primo Meridiano. Qui quidem Primus Meridianus non ita inter Geographos determinatus, quemadmodum latitudinis terminus Æquator. Primus autem Meridianus ab aliis statuitur in Insulis Hesperidum, ab aliis in Thule, ab aliis in Columnis Herculis, ab aliis in Patria vel Regni metropoli.* Paulo post: *Appellatur autem numeratio & intercepta mensura à Meridianis, Longitudo; eo, quod olim terræ portio major fuerit ab Ortu occasum versus, quam à Meridie versus Septentrionem. Quæ quidem priscis seculis Plinii & Ptolemæi tempore ultra 180. gr. non excesserat; nostris vero temporibus non pauci Naucleri integrum circumnavigarunt Orbem. Latitudo vero, quæ antiquis fuerat 80. circiter graduum, à littore sc. Oceani Æthiopici, ad extremum Boreale, ultra Tanais ostia, nobis de præsenti est ad 139. gradus.* Matth. Kirchoffer. Jesuita, D. & Math. Prof. in Acad. Græzensi. in Orb. lus. Part. 1. cap. 1. art. 9. p. m. 15.

Terminus longitudinis, à quo & ad quem, variabilis deprehenditur. Latitudo vero, à quo, nimirum ab Æquatore, constans & immutabilis habetur; licet terminus, ad quem, ob inventas novas terras, jam prolixior extendatur. Quod Horizonti nostro nihil derogat.

Juxta alios, Primus Meridianus est per Picum in Teneriffa; juxta alios, per insulas Corvoh & Flores. Juxta Ptolemæum contractus tantum fuit per unam è septem Canariis, Junω dictam. Quomodo hæc concilianda, docet Buno in Comment. ad Cluv. Instit. Geograph. lib. 1. c. 7. circ. fin.

Unus autem gradus Æquatoris vel alterius circuli maximi (circuli

culi minores huc trahendi non ſunt) reſpondet 15. Milliaribus Germanicis. Unde disparitas in demetienda terra veterum & recentiorum ſatiscunque apparet.

Ex prædictis autem Ptolemæi relictis, unicum heic Geographiæ opus conducit; cujus Græcum Originale, in antiquis bibliothecis ſanè reperiendum, mihi quidem non obtigit; accurata tamen verſio, cujus titulus: Geographiæ tum veteris, tum novæ opus abſolutiſſimum: Claudii Ptolemæi Peluſienſis Lib. 8. Geographiæ cum Comment. uberrim. Joh. Antonii Magini Patavii, Math. Prof. Bonon. Edit. Venet. 1596. ap. hæredes Simonis Galignani de Karera.

Textus requiſitè inferendus, paucis mutatis, ita ſe habet: *Montes autem, qui Germaniam cingunt, notiſſimi hi ſunt, qui jam dicti, & Sarmatici propriè appellati, & ita cum Alpibus nomen habentes.*

Qui ſupra caput Danubii, eorum extrema gradus habent Longit. 29. gr. 47. min. Latit. 33. gr. 48. min. 30. ſec.

Præterea qui vocantur Abnobæ Montes; quorum extrema gradus habent 31. 49. & 31. 52.

Ac Mons Meliboccus; cujus fines 33. 52. 30. & 37. 52. 30.

Sub iis Semana eſt ſylva & Aſciburgium; cujus fines habent 39. 54. & 44. 52. 30.

Ac Montes Sudeti appellati; quorum extrema gradus habent 34. 50. & 40. 50.

Paulo poſt: *Tencri & Criones inter Rhenum & montes Abnobios. Præterea Intuergi & Vargiones* (Vangiones) *& Carithni. Sub quibus Viſpi* (Tacito Uſipii) *& Elvetiorum eremi, Nigra ſylva & Alpium montes.*

Et paulo poſt: *Iterum ab Ortu Abnobiorum Montium habitant: ſupra Suevos, Caſuarii: poſt Nertereanæ, poſt Danduti; ſub quibus Turoni & Marvingi. Sub Camanis, Ehatæ & Tubanti.*

Et ſupra Sudetos Montes. Teuriochemæ. Sub quibus Variſci.

Poſt Gabreta ſylva.

Sub Marvingis autem Curiones; poſtea Chætuarii & usque ad Danubium fluvium, Parmæ Campi.

Sub Gabreta autem ſylva, Marcomanni. Sub quibus Sudeni; & usque ad Danubium fluvium Adrabæ Campi. Sub ſylva autem Hercynia Quadi; ſub quibus ferri minera & Luna ſylva. Sub qua gens maxima Boemi usque ad Danubium. Quibus contigui ſunt, juxta fluvium, Teracatriæ. Et penes campos, Recatæ.

Iterum cæteris prolixis omiſſis paulo poſt ſequitur: *In climate vero,*

vero, quod sub iis est, civitates hæ sunt, Alisum, Budoris, Mattiacum, Artaunum, Nuæsium, Melocabus, Gravionarium, Locoritum (alias Loconitum) *Segodunum long. 31. 30. lat. 49. - Devona 32. 30. & 48. 40. Bergium 36. - & 49. 30. Menosgada 34. - & 49. 30.* Ptol. lib. 2. Geogr. cap. 11. Tab. Europ. 4. de sit. Magn. Germ. p. m. 49. & 50.

Cæterum ex Ptolemæi contextu magis, quam ex tabulis colligendum est; quas cum hodiernis æquiparare, multi frustra conati sunt.

Modestius ac melius Casparus Peucerus antiquarius ille primarius, relata jam Ptolemæi contenta, sine parellorum censura, summatim & succinctè ita prælibavit: *Hermunduros in aditu Bohemiæ, habuisse regionem, quam Albis & Sala flumina, Montesque Sudeti trianguli formâ definiunt; ubi hodie Mysniæ & Voitlandiæ pars, Strabonis & Taciti testimonio certum est.* Paulò post: *Sudetorum Montium, qui hodie Bohemiam & Mysniam disterminant, denominatio est, ut situs Austro respondens; quem* Süd *Germani vocant, non alieno vel absurdo etymo; quum respectu saltus Hercinii, qui in Bohemia assurgit, dimittant sese in Meridiem. Supra Sudetos Ptolemæus reponit Teuriochemas; ubi Voitlandia, submittentibus sese montibus, declinat in Turingiam. Alludit appellatio ad Turingos; etsi à Tyrigetis hos ortum nomenq́ ducere opinor. Marcomannorum sedes partim in Moravia ulteriore fuit, ubi Olmuntium est & Brunna, in bona parte Austriæ ad Danubium usque, & Pisonium urbem; quæ Lunæ sylvæ præjacet, qua Bohemicus saltus humilior est & rarior: Partim in Bohemia. Pars enim Marcomannorum, Bojis expulsis, in eorum concessit locum. Nomen Marcomannorum limitaneos significat; scilicet quod limites, Pannoniam & Sarmatiam versus, clauserunt.*

His & Hermunduris interjecti fuerunt Narisci, quos Variscos Ptolemæus nominat; ubi Franconia Montana & Bavariæ Superioris pars aliqua, ad Noricum usque protenditur; complectens Egram, Coburgum, Bambergam, Neagoram, Ambergam &c. (Neagora alibi Neumarck prope Noribergam) *Ptolemæus Variscos disjungit à Marcomannis interjectu sylvæ Gabretæ, cui contermina fuit Luna sylva. Gabreta* der Böhmerwald gegen Bayern; *Luna sylva* gegen Oesterreich. *Nariscorum nomen est à confinio Norici. Gabreta quasi* Höhe / Breite / *i. e. edita montana planicies, qualis est in Norico.* (prope Ratisbonam) Caspar. Peucer. in Chron. Carion. lib. 4. edit. Lugdun. 1564. p. m. 38. & edit. Witeberg. 1569. p. 25.

Justè satis & consentaneè Ptolemæus Montana Germanica ita

prius

prius descripsit: *Montes autem, qui Germaniam cingunt, notissimi hi sunt, qui jam dicti & Sarmatici propriè appellati, & ita cum Alpibus nomen habentes.* Quibus præmonstratur quasi, quod respectu horum Sarmaticorum Montium, ratione Aquilonis & Euri, reliqua intrinseca montana, quam vastissima etiam, Sudeti & Abnobii, Südische und Abendberge/ utplurimum appellentur.

Sudeti (sic habent omnia exemplaria Latina, quum tamen in Græcis Σούδηται sint) h. e. Südische Berge/ sive Australes, ex oppositione Sarmaticorum montium, item Borealis Melibocci & Semanæ sylvæ in specie ita resonantes, tractus amplissimi habentur. Pyramius in sua Germaniæ tabula, indigitat Fichtelberg / qui est in meditullio ferè regionis, unde quatuor flumina originem trahunt. Curæus vocat Riesenberg partem eorum montium, qui Bohemiam à parte Boreali claudunt. Vid. Carol. Steph. Dictionar. Histor. & ibi allegat. Autor.

Johannes Carion, Casparus Peucerus, Georgius Fabricius, & Basilius Faber, ad Saxonicos montes, Bohemiæ limites, hodie das Ertzgebürg/ ubi civitates Montanæ sitæ, reflectunt. Conf. allegat. Autor. pass.

Montem Piniferum Casparus Bruschius partem Sudetorum præcipuam existimat; cujus vertices Austrum versus diriguntur. Casp. Brusch. in desc. Fichtelb. p. 70.

Et supra Sudetos Montes Teuriochema habitant &c. scilicet diametraliter & distanter, respectu Poli Arctici, ad altitudinem Septentrionis (non Montium) supra dictos montes omninò habitant, qui hodie Turingi die Türinger vocantur.

Sub & coram montibus Sudetis Varisci, Tacito Narisci, rectius Norisci usque ad antiqua Suevorum confinia, ut ex Ptolemæo, Tacito, Julio Capitolino & aliis colligi extat.

Gabreta sylva die Gähe oder jehe Breite/ der ausgebreitete Böhmerwald/ à repetitis perinde montibus dependet, originemque sortitur. *Sub Gabreta autem sylva Marcomanni, sub quibus Sudeni. Sub quibus ferri minera & Luna sylva. Sub qua gens maxima Boemi usque ad Danubium.*

Abnobæ, Abnobæi vel Abnobii respectu Euri & Sarmaticarum Alpium Germaniam unà cingentium (ut Ptolemæus prænotavit) Abendberge/ Occidentales montes denotantur.

Abnobii, montes Germaniæ dissipati & obliqui, pro diversitate locorum varia sortiuntur hodie nomina: in Franconia namquè Steigerwald vocantur; eorum pars circa Mœnum fluvium appellatur

Otten-

Ottenwald. Inter Hassiam & Franconiam dicuntur Spessart Pirckheimero autore. Item circa Wirtenbergensem Ducatum, ubi Danubius oritur die Baar / Willichio & Tschudo testibus. Sed sciendum, quod hi montes, Ptolemæo Ἀβνοβαι vel Ἀβνόβαιοι vel Ἀβνόβιοι; Tacito Arnobæ, rectius Abnobæ sint. Ex quorum etymo haud ineptè quidam conjecerunt: ipsis Germanis montis vocabulum fuisse Albentau/Albenaue; à quo Græcis Latinisque facta vocabula Abnobæ, Abnobæi vel Abnobii. Rauraci montes Ammiano sunt. Cluverio horum montium jugum est, quod à Rheni Atolæque confluentibus, in Septentriones, ad oppidum usque Pfortzheim / inter Rheni & Danubii fontem, Nicrumque sternitur. Vid. Carol. Steph. Dictionar. Hist. & Philip. Cluver. German. antiq. Lib. 3. cap. 48.

Abnobii montes etiam à Nabo flumine, die Berge Ab-oder Ob der Nab efferri queunt. Qui ratione elevationis supra Nabum fluvium incipientes, partim ad oppidula Culmain, Kemat, Neustatt ad asperum culmen, Pegnizium, Osternoviam, & arcem Rotenbergam supereminent; partim ad Mœnum fluvium, per Montana Francica ad Staigerwald & Spessart protendunt.

Textus continuat: *Eorum extrema, gradus habent long. 31 49. & lat. 31. 52.* Et iterum cæteris prolixis omissis: *in climate verò, quod sub iis est, civitates hæ sunt, Alisum, Budoris, Mattiacum, Artaunum, Nuæsium, Segodunum long. 31. 20. lat. 49. -- Devona 32. 30 & 48. 40. Bergium 36. -- & 49. 30. Menosgada 34. -- & 49. 30.* Ptolem. lib. 2. Geogr. cap. 11. Tabul. Europ. 4. de sit. Germ. p. m. 49. & 50.

Ptolemæus totum illud clima longissimum, ab Occidente Rheni circulo, ad Orientalia usque & Septentrionalia latera, confusè implicuit. Nuæsium Nieß / Coloniensis ditionis urbs habetur. Alisum in tractu Rhenensi Partheu Michaeli Villanovano videtur. Budoris juxta B. Rhenanum Durlach est sub ditione Marchionum Badensium. Mattiacum, Tacito Mattium, nonnullis Marburg valet. Artaunum vulgò Herbipolis Würtzburg censetur. Melocabus Villanovano Koburg est. Gravionarium Bamberg Locoritum vel Loconitum à Petro Appiano Forchheim enodatur. Segodunum à plerisque Noriberga statuitur. Devona Petro Appiano Neumarck. Bergrum an hodie Amberg sit, non admodum certò constat. Menosgada à Nicolao Cisnero urbs ad Mœnum fluvium (fortassis Culmbach) sed sine denotatione traditur. Vid. cit. Autor. pass.

De his omnibus, ascetice lector! confer Pyramium, Michaelem

Villanovanum, Petrum Appianum. Imprimis verò Petrum Bertium, qui lib. 1. rer. Germ. cap. 21. Ptolemæi tabulas in ſpecie enucleavit. Quos conferre, tam librorum penuria, quam temporis mihi denegavit injuria.

Quibus perpenſis, facillimè eorum opinio, qui mille ante annos, montoſum hunc Germaniæ umbilicum, eremum extitiſſe deſertam contendunt, repellitur. Invicemque civitatibus repletam fuiſſe, vindicatur. Quarum præcipuæ: Segodunum, deinde Devona, Bergium, Menosgada &c. ab ipſo Joh. Anton. Magin. in Comment. ibid. in hac vicinia reperiuntur delineatæ.

Abrahamus Oertelius vel Ortelius, quem Antverpia 1526. ſuscepit, & 71. annos obtentum amiſit, anno ætatis ſuæ 30. ad ſtudia demum ſolidè converſus, brevi literas & lingvas per ſe didicit, ſtudiisque rem mirè auxit familiarem. Vixit cœlebs. Seculi noſtri Ptolemæus emerſit, ſimulque Philippi II. Hiſpaniarum Regis Mathematicus & Cosmographus. A quo opera illa immortalia condita: 1. Theſaurus Geographicus edit. Antverp. 1577. 2. Itinerarium Gallo-Brabantinum. Et 3. Theatrum Orbis terrarum, edit. Antverp. ap. Chriſtoph. Plantin. 1591. Mortuus 1598.

Hic noſter Oertelius, in primo ſuo publicato, Theſauro Geographico, Segodunum expreſsè Noribergam declaravit.

Cæterum poſt mortem ejus aliud Parergon, ſive veteris Geographiæ tabulæ, commentariis geographicis & hiſtoricis illuſtratæ, ad opus Oertelii poſtremum, Theatrum Orbis, acceſſerunt, ſtudio Balthaſari Moreti, excuſ. 1624.

Præter eximium illud & precioſum opus, Tabulæ ſive Mappæ quædam ſeparatim væneunt.

Iſte Balthaſarus Moretus, quando in tabularum illarum quadam, ſub tit. *Germaniæ Veteris typus, ex conatibus Abrahami Oertelii*, (quæ cum aliis tabulis poſtea Amſtelodami apud Wilhelm. Blaeu iterum excuſæ) Abnobiorum extrema & Segodunum, ad fontem fluvii Alemanni, hodie Altmühl / in Staigerwald repoſuit, parumper diſceſſit.

Dictam tabulam etiam Petrus Kerius, in explicatione accuratiſſimæ Orbis antiqui delineationis Georgii Hornii, edit. Amſtelodam. ſumtib. Joan. Janſon. 1654. continuando vel prorogando ſecutus.

Quæ parerga inſignium alioquin Virorum, ſive tabulæ commentariæ in prædictum Oertelium quum inter Doctorum multorum manus verſentur, limitatione indigent modeſta & verecunda.

Quod

Quod Segodunum & Noribergam attinet: Urbs ista haud dissitè à fluvio Alemanno, ad alia extrema Abnobiorum, Orientem versus consistit. Quæ ad Ptolemæi climata longitudinis implicite, prout Primus Meridianus incipitur, reflectenda. Juxta climata latitudinis præstantiora Segodunum & Noriberga omnino conveniunt. Ejusmodi igitur extensionis ad extrema tesquorum Staigerwaldensium non opus est; ubi vix unquã oppiduli, nedum Segoduni, vestigia supersunt.

Quod Abnobæorum vel Abnobiorum extrema concernit: eorum iterum alia, Meridionalia scilicet Occidenti lateralia, in Staigerwald propter vastitatem fortuito convenire possunt. Dubium interim restat, quæ extrema Ptolemæus, in tabula sua, præcisè intellexerit. Civitates vero ex dimensionibus suis arctis & restrictis dilatari vel distrahi nequeunt.

Licetque Scholiastæ illi sive Commentarii in Oertelii opus postremum, Theatrum Orbis, soli longitudini, remissa quasi latitudine præstantiore, ob confusum materiæ chaos, nimis adhæserint, (quæ latitudo in extremis illis Abnobiorum Staigerwaldensium ita reposita, 51. gr. 52. min. à Segoduni lat. 49. gr. juxta eundem Ptolemæum, diversissima) ipse tamen Oertelius in primo suo opere, Thesauro Geographico, id melius præponderavit, & Segodunum expresse Noribergam indigitavit. Ut caput subsequens evidentiùs demonstrabit.

Horum curiosus contemplator comparet sibi illud: Oertelii opus primum, omnium lexicorum historicorum, quot nostra vidit ætas, absolutissimum & perfectissimum. Rubrica est: *Abrahami Oertelii Thesaurus Geographicus continens omnium totius terræ, regionum, montium, promontoriorum, collium, portuum, populorum, urbium, oppidorum pagorumque nomina & appellationes veteres &c. in quarto editus Antverpiæ 1577.*

CAPUT XVII.

De antiquissima urbe Segoduno Norico, hodie Noriberga, Noricorum Francorum palæopoli.

Σεγόδουνον, Sĕgŏdūnum (penult. product. ut Lugdūnum, Brogodūnum, Compidūnum, Carrodūnum, Sedūnum &c.) Ptolemæo nomen duarum urbium est; de cujus etymologia, bifaria se explicatio offert.

1. Priscâ Saxonicâ lingvâ, juxta antiquitatis quendam studiosum, monitorè Schardio, item juxta Lutheri sententiam de nomini-

bus propriis Germanorum, Seegen idem esse ac Siegen / vincere, überwinden / non rafragor. Schard. Tom. 1. Hist. p.m. 821. Luth. de nom. prop. Germ. in 800. seorsim excus. p. ibid. 20.

Sicque hac deductione Segodunum tanquam Siegberg / instar præclaræ Holsatiæ urbis Segeberg/apparere, non inficior.

2. Verùm quum in sinceraGermanica lingva Segen vel Seegen expressè benedictio est; satius sine ulla mutatione Segodunum Seegendunn vel Seegendom i.e. asylum benedictum vel benedictionis repræsentatur.

Segodunum igitur, à Germanico Seegen & Dün sive Duyn / constructum esse, omnes accuratorum ingeniorum Viri, unanimi judicii lumine contuentur.

Seegen vel Segen / Latinis benedictio, ac per consequens voti petiti fortunatus successus, vocabulum simplex est, sive primitivum ac per se probè cognitum.

Dün vel Duyn in dura Germanica lingva generis masculini est, der Dom sive Dum. Nonnunquam etiam corruptè, das Dom/ prout in eadem lingva, der Ort und das Ort promiscuè pronunciatur, efferri percipitur. Montem, locum sacrum vel Templum denotat; veluti apud nostrates alibi Hayn lucum, & fanum simul importat. In Sacris etiam mons pro Templo, sæpenumero accipitur.

Die Duyne sive die Zinne in genere fœminino, ambitum altitudinis, montis vel templi cujusdam concernit.

Nonnulli Dom à Latino Dominio detorquent; quod verò planè dissonum, propter lingvæ nostræ antiquitatem & perfectionem.

Sanioribus tanquam simplex priscum eloquium Germanicum, sive, juxta Grammaticos, primitivum nomen suboritur. Veluti enim multa Germanica vocabula, ut ein Land/ein Ort/eine Stadt/ein Haus/ eine Kirch/ ein Platz / ein Berg / eine Burg / ein Schutz rc. suam secum significationem, sine ulla ratione important; ita etiam, ejusmodi considerată hypothesi, ein Dün/Duyn sive Dom/ hodie ein Schutz-Berg/ ein Stifft/ eine Kirch / asylum vel Templum explicatur.

Dünen porrò, Belgicè Duynen / in littoralibus plagis (ut in Hollandia extra Lugdunum Kattwick & Nortwick versus, die Dünen an der See; item die Dünen juxta mare, erga Flandriam) aggeres Sand-hügel colles vel monticulos designant. Verùm in controversia est, an urbs & munimentum Duynkercken de collibus Duynen; vel potius de Abbatea adjacente, expressè Dün vel Dom vocata, nominetur. Licetque nonnulli, nomen urbis Lugduni Gallici Schauberg interpretentur;

tentur; ego tamen, quantum conjectura permittit, non abſolutam ſpeculam, ſed montem ad Templum auguratus, vel locum auguralem, ſive Academiam, ubi Druidæ olim frequentarunt, undeque tota Gallia Lugdunenſis ita dicta, melius forſan transvertero.

In Germania Superiore Dom pro loco ſacro Epiſcopali, Æde vel templo, ubique acceptatur. Unde ein Dom-Stifft Epiſcopatus, Dom-capitel Areopagus Epiſcopalis, ein Dom-Herr Epiſcopalis Canonicus, Dom-Probſt Proto Canonicus, ſive Præſul Epiſcopalis, vel Decanus Epiſcopalis Canonicus.

Segodunum igitur Noricum noſtrum, in pura Germanica lingva, idem eſt, ac Norgaviæ Seegendûn vel Seegendom oder Seegenberg; quod Græco & Latino idiomate in neutrum genus evagatur, Segodunum.

Quemadmodum autem magnæ civitates Altiſſimo Divino Numini curæ cordique eſſe creduntur; propterea que *Nineve magna Dei civitas*, Jon. 3. v. 3. in ſpecie circumſcribitur; Ita Anterioribus Noſtris Segoduna audiebant. Magnarum certè civitatum elementa & principia, juſtiſſimè Dei Omnipotentis proſperrima fata, beneficia, benedictiones, loca ſacra, & Segoduna nuncupanda.

Civitates quidem in communi, aut ab Architectorum nominibus propter ambitionem denominantur: ut Hanoch à filio Kain, Nineve à Nino, Troja à Troë, Roma à Romulo; ſic etiam Philippopolis, diverſæ Alexandriæ, Auguſtæ, Conſtantinopolis, Hadrianopolis &c. Aut ratione ſitus propter qualitatem, ut Jericho, Samaria &c. aut in gloriam Dei, bono omine & inſpirato eventu, ut Bethel, Mahanaim, Salem vel Jeruſalem &c. inſignia retinuerunt. Majoris tamen æſtimationis ſunt illæ, quæ in honorem Dei inſignitæ; quàm quæ in architectorum ambitioſorum memoriam conſtructæ feruntur.

Ita prima ſtatim antiquitate, locus ille Divo Patriarchæ Jacobo in lætifera apparitione accultus בֵּית־אֵל Bethel i. e. Domus Dei initiatus, in illuſtrem mox civitatem excrevit. Gen. 28. v. 19. & ſeq.

Ejusdem qualitatis & conſiderationis complures etiam Germaniæ civitates: ut Gottorff & Glückſtadt Holſatiæ, Göttingen quaſi Göttesinnung / urbs Harcyniæ S. Gottart promontorium Alpium; ambæ Grüningen i. e. florituræ urbes Friſiæ & Harcyniæ. Quin & Bamberg urbs Epiſcopalis Franconiæ quaſi Gottesberg / à Sarmatico Bambo i. e. DEUS, & communi Berg conſtructa. Salingoſtadium Seelingſtadt non procul à Francofurto ad Mœnum. Atque ab altera parte Germaniæ Landshut quaſi erwünſchte Zuflucht / Huet und Schutz

deß Landes/palæopolis Bavariæ. Nec non diversæ Hailsbronnæ, Fridbergæ & Freibergæ diversarum provinciarum urbes, talia insignia obtinuerunt.

Duæ idcirco in universali patria nostra Europæa, Homonymæ civitates, Segoduna scilicet, à Claudio Ptolemæo in Geographicis, sine ulteriore explicatione traditæ.

I. In Celto-Galatia in provincia Lugdunensi, haud procul à Pyrenæis montibus, ita: *Sub Ausciis Velauni, quorum civitas Ruesium. Sub iis Rutani, quorum civitas Segodunum. Quibus contigui sunt ad montem Pyrenum Cumneni, quorum civitas Lugdunum &c.* Segodunum illud Celto-Galaticum, à Majoribus nostris Galliam atque Italiam olim transgressis forsan exstructum, censetur. Hodie urbs in Ruthenis, Rodis in der Provintz Lyon. Ptol. lib. 2. Geogr. Tab. Europ. 3. cap. 7. de sit. Celto-Galat. p. m. 43. a.

II. Altera similiter perantiqua ejusdem nominis, ab eodem Ptolemæo in media collocata est Germania, ut antea aliquantisper suggestum; hodie urbs Imperialis inclutissima. Cujus Segoduni longitudo 31. gr. 30. min. latitudo 49. gr. - in superstite Ptolemæi exemplari exstat. Ptol. lib. 2. Geogr. Tab. Europ. 4. cap. 11. p. m. 50.

Noribergæ, juxta hodiernorum doctissimorum Geographorum strictissimam dimensionem, longitudo disponitur 27. gr. 22. min. & latitudo 49. gr. 24. min. Longitudo autem à Primo Meridiano exorsa, inter Geographos non æqualiter determinatur; quemadmodum latitudinis terminus Æquator. Unde longitudo Ptolemæica non æquiparanda cum nostrate, sed reflectenda. Latitudo perfecta est; paucæ minutæ contra obsoletam illam calculationis methodum non censendæ.

Quin Segodunum Germanicum, propriè hodierna Noriberga sit, perpauci in dubium vocare ausi. Philippus Cluverius, Vir cætera clarissimus ita discrepuit: *Oppidum id nunc esse conjicio* Siegen. *Hoc quippe ad amnem Sigum situm est, & in edito loco, quem indicat vox* Dün/ *quasi dictum fuerit* Siegedün; *quod rectè Romani suo fecerunt ore Segodunum &c.* Philip. Cluver. German. antiq. lib. 3. cap. 8. fol. 536.

Siegen autem, oppidulum est in tractu Rhenensi ad fluvium Sigum, qui penes Bonnam sedem Electoralem Episcopi Coloniensis, Rheno allabitur. Segodunum verò, de quo instituta tractatio, mediæ Germaniæ insertum, inque sua serie haud procul à Menosgada repositum. Ac licet numeralia parallelorum longitudinum & latitudinum,

reliquo

reliquo Ptolemæi textu corruptiora offendantur; attamen etiam hac ratione Noriberga propius, quam Oppidulum Rhenense, ad scopum accedit. Segoduni quippe longitudo 31. gr. 30. min. Lat. 49. gr. ut prænotatum, invenitur. Et Norihergæ long. 27. 22. & lat. 49. 24. Siegen verò alia in regione siti oppiduli longitudo 41. 52. & lat. 50. 40. remotiorem distantiam & separationem efficiunt. In aliis censuris conf. Herman. Conring. de Urb. Germ. Th. 17. & seq. ubi taxat, quæ Cluverius fusè & narrat & pingit de habitacul. German.

Pro sententia nostra præprimis pugnant Conradus Celtes & Bilibaldus Pirckheimerus, coætanei A. C. 1480. usque 1500. & in illo seculo florentes. Qui Segodunum Germanicum κατ' ἐξοχὴν dictum, ex Ptolemæi relictis Noribergam indigitare, ductu divino & ominoso tracti, candidè & unanimiter adseverarunt. Atque, si aliis veteribus Scriptoribus rudis concedenda; instantibus classicis, si vel soli de re scripsissent aliqua, palma præferenda est. Viri namque antiqua virtute & fide extiterunt, quorum laudes & integritates Erasmus Roterodamus, B. Rhenanus & Casparus Bruschius, decantare satis, nequivere. Erasm. Roterod. in Epist. B. Rhenan. & Casp. Brusch. in descr. Fichtelberg p. m. 70.

Conradus Celtes natione Francus, Germanorum Poetarum celeberrimus, ab ipsius Imperatoris Maximiliani I. manibus coronatus, sententiam suam ita pro rato effatus: *Urbs Noriberga negociatrix tuta & quæstuaria, operosam quandam congeriem & negociationem continens; quam ex conjectura longitudinum & latitudinum Segodunum à Cl. Ptolemæo nominatam, invenio.* Conrad. Celt. in libell. de Orig. Norib. c. 3. & alibi in epist. ad Pirckheim. de orig. & sit. Noriberg. p. m. 124.

Bilibaldus Pirckheimerus Divorum Maximiliani I. & Caroli V. Imperatorum Aug. Consiliarius quondam, Eques Auratus, Senator & Patricius Noribergensis, ita coætaneo suo pollicem pressit: *Ego in plerisque dubium me esse fateor, ut ignorem, etiam, cuinam genti patriam meam Noribergam, quæ Segodunum esse censetur, adscribere debeam:* Ubi, licet in reliquis frustra dubitaverit, Noribergam tamen Segodunum censeri & esse, adstipulatus est. Bilibald. Pirckheim. in Op. Hist. f. 110. it. in Explic. loc. Germ. Tom. 1. Oper. Histor. collect. à Simon. Schard. p. m. 218. & 219. Vid. & Andr. Alth de reb. Germ. it. Petr. Appian. & alios.

Cui sententiæ etiam incomparabilis ille Mathematicus, Geographus & Historicus Abrahamus Oertelius vel Ortelius, in primo opere

opere suo, Thesauro Geographico (licet post mortem ejus, Scholiastæ vel Commentarii in ultimum opus, Theatrum Orbis, paulo à recto tramite discesserint) propria mente ac manu suffragatus: *Segodunum* Σεγόδουνον *Ptolemæo civitas Germaniæ, quam Pirckheimerus Noriberg nominat, Germaniæ umbilicum & emporium celebre.* Abraham. Oertel. in Thesaur. Geograph. edit. in quarto. Antuerp. 1577. sub nom. Segodun.

Similiter Petrus Appianus, præclarus ille Professor & Historicus Bavaricus, allegatus in Lexico sive Dictionar. Historic. Geograph. Caroli Stephani. p. m. 1807.

Item Georgius Fournier Jesuita in Geograph. hisce expressis verbis: *Ad amnem Regnesium est Ptolemæi Segodunum hodie Noriberga, lat. 49. gr. 25. minut. Quæ in confiniis Franconiæ, Sveviæ & Bavariæ, nullius soli esse optat.* Georg. Fournier. in Geogr. Orb. Not. lib. 4. cap. 26. Item Reusnerus in histor. de urb. Imp.

Nec minus percelebris ille Antiquarius & Historicus Martinus Zeilerus, de Synonymo Segoduni & Noribergæ firmissimè adstipulatus. Martin. Zeiler. in Topograph. Francon.

Segodunum porrò Germanicum Noribergam esse, expressè contestatur Joseph. Lang. in Elemental. Mathemat. sub Element. Geogr. de division. Orb. sub. nomine Noriberg. p. m. 383.

Universa deinde, quotquot etiam inveniuntur, Lexica, Segodunum Noribergæ nomine jam gaudere, unanimiter attestantia comprobant. Vid. Carol. Steph. in Dictionar. Hist.

Ex novissimis denique Nicolaus Rittershusius J. U. D. & Prof. Altorf. celeberrimus, in tabulis suis geographicis, Noribergæ ab Endteris Typographis impress. tam locum impressionis, quàm nomen typographorum, sub fine Rubric. ita definivit: *Segoduni, typis Finitorianis* A. C. 1640.

Tempus, quandò celebratum Segodunum hodie Noriberga, meditullii hujus Mater atque Fundatrix reputata antiquissima, primordia cœperit; an propter incuriam olim prætergressam in limine statim defecerit, me inscium fugit. Ptolemæus A. M. 4100. A. C. 130. cit. loc. ut existentem jam suo seculo præclaram urbem reposuit.

Intermittere heic nequeo, quin contemplativè Andream Goldmayerum, rarum singularis Mathematici exemplar, in publicato suo considerabili (quod intimavit irdisches Jerusalem) introducam; & locum applicandum, Latinum vertam. Goldmayerus iste, postquam primâ statim paginâ quærentem, cur de Jerusalem, cujus origo prorsus

ſus abſtruſa foret, ſcribat? remiſerat, ita pergit: *Huic reſpondeo, ex curſu cœleſti, præcipuèque ex Tribus hodiernos Aſtronomos & Aſtrologos latentibus Cœlis præſumi poſſe, quod non conſcriptum eſt; atque argumenti & informationis gratia, breviter demonſtrabo & adducam.* Omiſſis probationibus intricatis ſequente pagina ſequitur: *S. Imperii urbs Noriberga exſtruebatur 26. An. poſt Chriſtum natum, 3. Apr. die ♂. hora 8. minut. 57. ant. Merid. Cum perſtetiſſet 1080. annos, ab Henrico V. Imp. A.C. 1106. deſtruebatur.* Pag. 3. iterum continuat: *S. Imp. Caſtellum Noribergenſe fundabatur A. M. 3771. ante Chriſtum 14. 9. April. die ♂. hora 8. ant. meridiem. Poſteaque triangulo 1440. annorum potitum. Tunc A.C. 1427. urbi conjunctum, integram perfectionem obtinuit.* Andr. Goldmayer. Com. Pal. Cæſ. & Mathemat. in ſeinem irdiſchen Jeruſalem edit. Norib. 1662. p. 2. & 3.

Attamen antiquior ex ominoſo illo priſco nomine præſumenda prædicta civitas. Si ominationibus enim, contactu religionis aliquo innixis, tribuenda fides; non immerito ominoſum tale præſagium, antiquiſſimam civitatem, ut ex anterioribus apparet, indigitat. Conjectura itaque: Primorum Majorum noſtrorum in Meditullium illud adventantium conditum aſylum, incidenter ac ominoſè Segodunum reſonuiſſe: maximè conſentanea procedit. Benedicto quoque progreſſu usque nunc, quo Deus conſervare velit, accrevit florentiſſima.

CAPUT XVIII.

Quomodo Segodunum Noriberga dicta.

FUndatores religioſos nomen Segodunum ſanctè obſervaſſe, ſatiscunque probabile. An Segodunum conſimul Noriberga antiquitus audiverit, aut rudi vetuſto ævo periit, aut rigore Sicyoniorum conſimili (qui omni antiquitati, teſte Pauſania in Corinthiacis, refragati) deliteſcit.

Cur verò & quando poſteriores magis profani, civitatem prænotatam, abſolutè Noribergam nominaverint; ita, ut civitas iſta Norgaviæ celeberrima & urbs Imperialis inclutiſſima, repoſito quaſi Seguni nomine, tantummodò Noriberga percrebuerit, mihi eſt cum pluribus abſconditum.

De etymologia autem ipſius quoque Noribergæ, diverſa utique judicia proferuntur.

Sed I. qualis emphaſis Nürnberg quaſi nur ein Berg ſubvolven-

tibus nugatoribus, fumum fucumque vendentibus obveniat, extricari, prorsum non operæ precium video.

II. Aliis iterum Noribergam quasi Neronis-Berg / montem à Nerone olim contra Germanos fortificatum, confabulantibus, nullæ perinde probationes subveniunt. Nero cæteroquin commune Claudiæ apprimè familiæ, insignium plures ita cognominatos comprehendit. Quorum 1. Priscus Tiberius Nero, Tiberii Imperatoris Pater, Augusti Cæsaris affinis; floruit ante Christum 37. 2. Nero Germanici filius, Tiberii Imperatoris coætaneus, aliàs Drusus Nero vocatus; qui multa præclara peregit. 3. Claudius Imperator, cognomento Tiberius Nero; cui tanquam semper ebrioso & temulento asoto, illud adscitum dicterium: *Caldius Biberius Mero*. Gubernavit ab A. C. 43. usque 50. 4. Lucius Domicius, Cn. Domicii nativus, & Claudii Imperatoris adoptivus filius, Nero cognominatus, post Imperator electus, crudelis ille tyrannus evasit, qui matrem suam discindi, & præceptorem Senecam phlebotomiâ interfici jussit, sibi denique ipsi mortem gladio conscivit. Grassatus est ab A. C. 50. usque 69. 5. Otto Vitelli collega (qui ambo primo statim imperii anno, A.C. 70. cæde abrepti fuerunt) Nero cognominatus. De his omnibus vid. Tacit. lib. 1. Hist. cap. 78. v. 3. 6. Domicianus, qui A.C. 86. usque 97. efferbuit, quòd Neronem priorem sævitiâ vel exæquaret, vel superaret, Nero appellatus est; & quia calvus erat, ut à superiore distingveretur, *Nero Calvus* est vocatus. Inde Juvenalis: *ut Calvo serviret Roma Neroni*.

Horum cæterorumque aliorum Neronum curricula, inter reliquos, Tacitus & Svetonius completè commemorant; sed neuter ejusmodi à Nerone aliquo, in Germania conditi monumenti, unicâ vocula mentionem fecerunt. Immanem igitur ignominiam, vanum tale vanis imaginationibus concipientes, patriæ affingunt.

III. Quod Segodunum insimul Noriberga, Noricaberga, vel Noricaburga, prout autorum descriptiones discrepant reciprocantque, audiverit; castrum vel castellum colli superstructum, causam prætendunt. Cæterum ejusmodi quoque prætextus nullatenus, tanquam causa efficiens sufficiensque solidescit.

Castra synechdochicè pro urbibus usurpari, evidentissimè dispalescit, ut: *Castra Alata* Ptolemæo, nobis Eidenburg. *Castra Alexandri* urbs Ægypti circa Pelusium, Q. Curt. lib. 4. *Castra Cæcilia* Hispaniæ urbs, Plin. *Castra Constantia* Constance urbs Galliæ Celticæ. *Castra Flaviana* Wien im Oesterreich censetur. Sic etiam *Castra Ulpia*

Ulpia Simlerus Cleve interpretatus. Vid. Carol. Steph. in Dictionar. Hist.

Castra pro urbibus reciprocari, etiam Constantinus Imp. apprimè manifestavit, quum frequentissime κάςρον pro urbe transumserit, in libro potissimùm, quem de administrando imperio ad Romanum filium transcripsit, studio & operâ Joh. Meursii in lucem producto. Nec aliter ab eo differunt Kyllingerus, Nicolaus Losæus, permultique alii, antesignanum habentes Bartolum l. 1. §. cum urbem ff. de Off. Præfect. it. l. 9. n. 3. ff. de postul. Vide & Kylling. in Tr. de Castris disc. 3. n. 1. & seq. Nic. Los. Part. 3. de Jur. Universitat. c. 13. n. 7. Vid. & Matth. Martin. Lexic. Phil. in voc. Burg.

Ita Guntherus & Wolffg. Lazius sæpenumero *Castrum Noricum*, pro urbe Noriberga posuêre. Ita Fridericus Imperator: *in Castro nostro Norico &c.* publicavit. Gunth. p. 3. & in Ligurin. lib. 5. v. 534. Laz. de migr. gent. Lib. 7. de Boj. in pr. Constitut. Frid. Imp. de pac. tenend. ad lib. 5. feud. Vid. & Joh. Hering. Oldenburgens. Mantiss. adject. Tractatui de molendin. eorumque jur. cap. 1. de jur. Burg. v. 13. ex Gunth. Part. 3.

Acropolis proinde Norica, sive à Druso Nerone condita, quod scrupulosius, sive contra Drusum Neronem & Romanos, vel alio modo fineque reposita perhibeatur, quod verisimilius; arx tamen castris, tentoriis ædibusque, civitatis adinstar, circumsepta statuenda, si statuatur.

IV. Plurimi, aliis imaginativis opinionibus rejectis, Noribergam sine ulla mutatione, & quidem accuratissimè, Noricum Montem interpretantur.

Mons, (sine periphrasi) pro loco sacro, templo, asylo, receptaculo, insimulque pro urbe vel civitate, etiam in sacris identidem transumitur. Sic etiam in historia profana, Romam ipsam per *Montem Quirinalem* periphrasticè describi legimus. Noriberga proinde tota urbs, tanquam antiquissimum asylum & receptaculum Noricorum primùm adventantium prævalet; prout mons pro urbe reciprocatur. Et hæc denominatio proximè Segoduno accedit.

Cui denominationi præprimis adstipulatus Bilibaldus Pirckheimerus, asserens: *procul dubio Noriberga quasi Mons Noricus, à Norica regione nomen accepit. Trajectus amnis Regnicii per milliare unum à Noriberga distans, Germanica* Fürth/ *in Norico agro reputatur. A quo deinde Occasum versus ac Septentrionem Francia Orientalis seu Franconia ortum auspicatur.* Bilibald. Pirckheim. in Op-

Hiſt. f. 110. it. in explicatione locor. Germ. Tom. I. Op. Hiſt. collect. & allegat. à Simon. Schard. p.m. 219.

De Franconicâ nunc agendum indagine. Quin Noriberga, urbs Imperialis inclutiſſima, genuinæ Franconiæ, non attentata ſignificatione generali, in ſpecie addicatur, nihil impedit; quamvis in Comitiis Imperialibus (ubi univerſarum Imperialium urbium diſpoſitiones, in duo tantummodò Suevicum & Rhenenſe ſcamna diſtribuuntur) Suevicæ ſeſſioni annumeretur.

Generali & diffuſa ſignificatione, non ſolùm Suevici Rhenenſesque tractus, verùm etiam ipſa Germania ſuperior magna ex parte, virtuoſi nominis Francici participes conceduntur.

Quamvis porro alii Bavariæ, propter confuſionem Noricorum & Bojorum, obtrudant; plurimi tamen ut urbem Gentilem Noricam, ipſius genuinæ Franconiæ in ſpecie ſic dictæ palæopolin, in fronte ejus, aſſignare non dubitant. Cum præſentem monumenta illa hiſtorica literaria & authentica Atlas Major & Topographiæ Opera, Noribergam ejusdemque ditionem expreſsè Franconiæ Orientali, ut hodiè circumſcribitur, attribuant. Quorum prius quidem Franconico Ducatui, inter alias Imperiales urbes, etiam Norunbergam (ſic enim literæ ibidem) erroneè accenſet. Vid. Gerard. Mercator. & Jodoc. Hond. Atlant. Maj. in Regal. fol. ibid. 259. item Martin Zeiler. & Matth. Merian. in Topograph. Francon.

Cæterum aliud eſt, eſſe Palæopolin vel Fundatricem antiquiſſimam & liberam Franconiæ; aliud, municipium Ducatus Franconici; multò magis aliud, eſſe de Ducatu Franconico.

Similiter Johannes Antonius Maginus, Bononiæ olim Profeſſ. Math. excellentiſſimus, in propriâ quadam ſua, Ptolemæicis applicata tabula, Nurenberg Franconiæ frontiſpicio aſſignat. Edit. Venet. 1596. pag. ibid. 74. b.

Hucusque de primordiali Segoduni hodie Noribergæ, Noricorum Francorum palæopolis antiquitate. De ſucceſſu & progreſſu, in ipſius chronicis abundanter informabere.

CAPUT XIX.

De prædicato: Altvättern: *quod Magiſtratus Noribergenſis, in literis publicis, à Senatu Egrano obtinet.*

NOribergam in antiquitate & primordio Norgaviæ & Franconiæ primitus excultæ & poſſeſſæ, principem locum obtinere, haud ambi-

ambiguum; quocunque nomine censebis: sive Segoduni juxta Ptolemæum Mathematicum: sive ipsius Noribergæ, tanquam Noricorum montis vel asyli primitus conditi.

Ædificationes circa Noribergam, irruptione Hunnorum, & tempore Henrici Aucupis traditæ; fortificationes vel augmentationes potius, quam inchoationes, habendæ sunt.

Tractus Egranus ad saltum Bohemicum & montes Sudetos, ut solitudo, priore tempore delituit.

Huc referre conducit, quod Philippus Melanchthon, Casparus Peucerus, Wolffg. Lazius & Casparus Bruschius, Viri profundorum judiciorum & secretorum scrutiniorum, de Nariscis in genere observarunt: *Nariscos esse Voitlandos & proximos vicinos, facta appellatione à Norico.* Philip. Melanchth. lib. 3. Chron. Carion. p. 30. Casp. Peuc. lib. 4. ib. p. 38. Laz. de migr. gent. lib. 7. fol. 288. Casp. Brusch. in desc. Fichtelberg.

Tantis in rebus antiquis, singularia & specialia promittere, grandissimæ molis esset. Ejusmodi enim arcana, non in ferrariæ & plumbaginis copia, rapienda; sed tanquam psegmata aurea circumspicuè exquirenda & seligenda sunt, quo scoriæ à precioso metallo separentur.

Hoc saltim manifestum est, quod Magistratus Noribergensis, à Senatu Egrano in literis & missivis publicis Altvättere denominari ac insigniri obtineat. Adeòque prædicatum id dicto Senatui incumbit, ni literæ sine hoc prædicato requisito consignatæ, inter remissionem vel protestationem periclitentur & fluctuent.

Alioquin titulus iste, aut Patres honorarios (quo insignio Patres Consiliarii, sponte electi, Patroni, defensores, fautores, promotores, benefactores, Magistratus &c. comprehenduntur), aut Fundatores designat.

Quod prius attinet: Personas diversorum statuum, se invicem patres filiosque, honoris gratia salutare, haud infrequens est. Inter civitates verò id parum usitatum. Wunsidelium quidem cum aliis municipiis, perinde ac Egra, consvetudines Noribergensium participarunt; sed sola Egra Noribergenses, Majores Altvätter usque & semper denominat. Quo inde locus hic noster majoris considerationis effectus.

De consvetudinibus Noribergensibus, quas Egra & Wunsidelium cum aliis participarunt. Conf. Joh. Hieron. Wurffbain. J. U. D. Different. Jur. Civ. & Reformat. Noric. Edit. Norib. 1665. Class. 2. p. 224.

In antiquis gravaminibus Noribergensibus, publicè in folio (hac subsignatione: *Product. Spiræ die 8. Jun. 1585.*) editis, allegatur pervetustus Libellus Salicus pergamenes Saalbüchlein / tunc temporis, juxta contextum, ante trecentos annos, & ante tempora Rudolphi conscriptus. Ex quo *Libello Salico* citata extant hæc verba: Das sind die Güter zum Reich gehörend / auf die Burg zu Nürnberg / darunter das Egerland i.e. Hæ sunt ditiones, ad Imperium pertinentes, Norici Castri, inter quas ditio Egrana. Citat. Lib. part. 1. de Gravaminib. ips. fol. m. 20. Col. 1. & seq.

Item das Egerland / oder der Egrische Kreiß / welchen der König in Böheim innen hat / gehöret auch zu Nürnberg / i. e. Ditio Egrana, sive tractus Egranus, quem Rex Bohemiæ occupat, pertinet ad Noribergam. Ibid. Part. 2. von denen Beylagen / fol. 9. Col. 2.

Insuperque, conjecturâ antiquæ coloniæ reservatâ, Noribergenses olim de civibus Egranis ope & consilio, contra priscos Bohemiæ Reges, fideliter adjutis, duplicem honoris & prædicati istius palmam promeriti.

Ipsi denique Egrani, reciprocatis literis, per traducem quasi, se coloniam Noribergensium, hinc aliisque rationibus ducti, concesserunt. Documenta verò incendiis & rapinis bellicis periisse, conjecerunt.

CAPUT XX.

De Noriscis vel Norgaviis communiter Nariscis dictis.

NAriscorum etymologia eadem censetur, quæ Noriscorum, litera O. in A. mutata; ut alibi Trajani etymon haud aliud, ac Trojani habetur.

Unde Philippus Melanchthon: *In bello illo Marcomannico biennium consumtum est. Fitq; mentio inter socias gentes, Hermundurorum & Nariscorum. Certum est autem, Hermunduros esse, qui nunc superiora loca in Mysnensi regione tenent. Nariscos esse Voitlandos & proximos vicinos, facta appellatione à Norico.* Philip. Melanchth. in lib. 3. Chron. Carion. p. m. 30. Casp. Peuc. in lib. 4. ib. p. m. 38. Laz. de migr. gent. Lib. 7. fol. 288.

Veteres autores, qui eorum meminere, sunt, Jul. Cæsar, eosdem Narisios appellitans inter Noricos Alpinos, forsan ut auxiliares populares eò profectos recensuit; Quem secutus Appianus Alexandrinus.

drinus. Tacitus verò expressè Nariscos intimans in mediterranea, ubi nunc sunt, collocavit. Quin etiam Jul. Capitolinus consimili nomine in bello illo Germanico vel Alemanico hosce annotavit. Ptolemæus quoque (quamvis ex incuria imprudentium librariorum Variscos deprehendis) eosdem assignare voluit. Jul. Cap. in comm. bell. Gall. Appian. Alexandr. in lib. Illyr. Tacit. Germ. c. 42. v. 1. & 2. Jul. Capitol. in vit. Marc. Anton. Imp. Ptol. lib. 2. Geogr. c. 11. tab. Europ. 4. de sit. magn. Germ. p. m. 49.

Ast nuncce, quomodo prisci Norici insimul Narisci vel potius Norisci, speciali posito pro generali, appellati sient, agendum. Æneas Sylvius quidem obnisurus quasi apparet, quando multis autoribus irritè allegatis Nariscos tanquam primævos olim ex Asia in hasce regiones profectos præposuit: *Plinius Veronensis, Julius Solinus, Strabo Cappadox & alii complures tradiderunt, in Ostio Oceani Borealis olim visos fuisse Scythas vel Scytharum similes, quales fuere Hircani, Albani, Clusi, Narisci & Mardi.* Æneas Sylv. in hist. de prim. Asiæ part.

Dum verò talis antiquitas nullibi magis continuata reperienda; satius aliis verisimilioribus testimoniis Noricos olim ob accultum fluvium Nabum assumto quodammodo flumine nomine, Nariscos cognominatos fuisse, inhærendum. Idque hodie quoque observari distincta nomenclatura testatur. Pars enim Sudetos montes vulgò Fichtelberg & Nabum fluvium accolentes Nariscos sese intimant; Cæteri verò Noribergenses & ulteriores adhuc Noricos insigniri volunt.

Atque licet Julius Cæsar & Appianus Alexandrinus inter Noricos populos Narisios, ut procul dissitos penes Alpes descripserint, intellectus tamen de iis, tanquam de auxiliaribus copiis eò profectis vel accersitis accipiendus est.

De Nariscorum vel Noriscorum tractibus tractandum similiter restat. Veluti integrum Noricum in multas partes divisum, sic etiam Nariscia Germanicè Norgau principalis ejusdem amplissimi regni pars ac prævalens provincia, quæ nonnunquam per Synecdochen pro toto transumitur, in ditiones aliquot subdividitur.

Hos Tacitus circa Germaniæ umbilicum latissimè versantes ita annotavit: *Juxta Hermunduros Narisci & deinde Marcomanni & Quadi agunt.* Quod ita accipiendum est, hos populos in circuitu vel quasi semicirculo juxta Hermunduros coluisse ad Meridiem usque ad Danubium Nariscos: Marcomannos eis ad latus sinistrum subsedisse; deinde Quadi Orientem versus in Lusatia & Silesia. Confideretur

retur nunc, qualis ſpacioſa & ſpecioſa provincia apparet, juxta Hermunduros & à latere Marcomannorum usque ad terminos Danubii & Bavariæ, ut vult Althammerus, dilatarier. Tacit. in Germ. c. 42. v. 1. Althammerus comm. ibid.

Caſparus Peucerus ex Ptolemæo conſimilia collegit, inquiens: *Ptolemæus Variſcos* (i. e. Nariſcos, ſic enim transſcriptores perperam impegerunt) *disjungit à Marcomannis, interjectu Gabretæ ſylvæ, cui contermina Luna ſylva verſus Danubium. Gabreta* der Böhmer Wald gegen Bayrn / *Luna ſylva*, gegen Oeſterreich. *Nariſcorum nomen eſt à confinio Norici. Gabreta, i. e.* gähe breite *edita & montana regio, quæ incipit in Norico.* Caſpar. Peucerus part. 3. lib. 4 Chron. Carion. p. 38. Ptol.

Quomodo ab hodiernis conſcribitur, paucis quoque repræſentare lubet: Nariſcia vel Norgovia, ampliſſimi regni Norici primaria provincia incipit à Bavaria & extendit ſe prope Bohemiam usque ad Myſniam, Thuringiam & tractum Würzburgenſem. Comprehendens totum Palatinatum ſuperiorem cum plagis Ratisbonenſibus & Ambergenſibus, tractum Egranum, Voitlandiam, unoque verbo hodierna montana Francica. Definitur Germ. Norgau quaſi Noricorum Au. Unde Ciſnerus: Hæc provincia duas habet urbes Imperialer, Noribergam, & Weiſenburg; quæ in diplomatibus Cæſareis, Norgovienſes exprimuntur. Ciſner. com. in Avent. in pr. Vid. & Laz. de migr. gent. lib. 7. de Boj. paſſ. Philip. Melancht. part. 2. lib. 3. Chron. Carion. paſſ. Zeiler. Itin. c. 4. n. 3. Andr. Corvin. font. Latin. part. 2. in quo de nominib. propr. agit. it. recent. pl.

Loca præterea, quæ hodie in Palatinatu & Franconia celebria, olim Nariſcis annumerata fuiſſe, multis expreſſis argumentis & teſtimoniis confirmari poſſunt: *Alam Nariſcam olim vocatam urbem, quæ nunc* Aÿſtadt dicitur, Heroldus ex ejusdem urbis antiqua inſcriptione Romana collegit. Germaniæ civitas eſt, ad flumen Altmühl ſita. Herold. vid. & Lexic. Hiſtoric. Carol. Steph. ſub dict. dict nom. Ala Nariſca.

Caſparus Bruſchius, monaſterium Waldſaſſen antiquitus in Nariſcis ſitum eſſe, de exſtructione ejus tractans: *Novum Nariſcorum terræ ornamentum acceſſiſſe* &c. infit. Item Michaelis campus Germanicè Michelfeld / Cœnobium circa Pegniſum amnem prope Auerbach hodie Palatinorum oppidum, juxta eundem Nariſcis interjacet. Item Lankheimium cœnobium juxta prædictum ut & Wolffgangum Lazium ad Sudetos Terræ Nariſcorum montes reſidet.

Caſp.

Caſp. Bruſch. in Chronogr. Monaſt. Germ. pag. 68. 69. 78. 85. & ſeq. Laz. de migr. gent. libr. 7. de Boj. fol. 382. & alibi paſſ.

Quin immò crebro citatus Bruſchius nominat *Bayruthum Marchionum Brandenburgenſium oppidum in Voitlandiæ montanis ſitum.* Caſp. Bruſch. cit. loc. p. 100. b.

De laude & cognitis Nariſcorum vel Noriſcorum factis, merito quoque, quantum poterit, proferendum foret, ſed notitia maxima ex parte periit. Inſigniter C. Cornelius Tacitus eosdem de cæteris Germaniæ populis ita collaudavit commemorans: *præcipua Marcomannorum gloria viresque, nec Nariſci Quadive degenerant.* Tacit. in Germ. c. 42. v. 2.

Clarent alioquin gens libera & invicta, olim quidem à Romanis Germanicæ libertatis inſidiatoribus undique hoſtili manu cincti, circumſepti ac preſſi, nunquam verò oppreſſi, expugnati aut debellati, ſed ut alacres Francos decuerat, cum Cheruſcis, Svevis, Saxonibus & aliis libertatem ſuam acriter & alacriter defenderunt.

Illos quoque generali Germanorum pugnæ ſub Duce Arminio olim contra Quintilium Varum fortiter feliciterque commiſſæ, adfuiſſe non dubito. Item aliis, cum ſubſequente tempore Imperatorem M. Aurelium Antonium (qui ab aliis M. Aurelius Antoninus dicitur) in bello illo Marcomannico, ut aurea pocula, cryſtallina & myrrhina vaſa, veteres item ſericas & auratas cum gemmis ad emenda Germanorum contra Germanos auxilia vendiderit, coegerunt. *Conſpiraverant enim ab Illyrico limite per integram Germaniam usque ad Galliam, Marcomanni, NARISCI, Hermunduri, Quadi, Svevi &c.* Jul. Capitol. in vit. M. Aurel. Anton. Imp.

De reliquis rebus antiquis pauca extant; unde, quod encomium in genere Germanis & Francis attribuitur, illud quoque merito participant.

Druidas etiam vel Druides, (qui, ut reliqui Germani militia, Philoſophia, vaticiniis aliis rebus ſacris, quantum Gentiles penetrarunt, claruere) olim in Nariſcis ſedes fixiſſe, Vir clariſſimus Schmidius teſtatur. Schmid. in Chron. Cygnenſ. part. 1.



CAPUT XXI.

De Nariscorum definitione à Philippo Cluverio conscripta.

VIri celeberrimi Philippi Cluverii sententiam de Nariscis sine ulla & quidem non competente censura apponere allibuit: *juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt; eaque Germaniæ veluti frons est.* Tacit. in Germ. cit. loc.

Ergo Nariscorum in ripa Danubii inter Hermunduros ac Marcomannos, qui Bojohæmium incoluerunt, limites fuere, à Meridie Danubius, ab Oeni confluente ad Ingolstadium usque: ab occasu linea hinc ad Mœni fontes ducta: ab Ortu æstivo Bojohæmici montes & saltus. Atque huc rectè faciunt etiam ea, quæ à Ptolemæo & Strabone super Nariscis & Gabreta sylva, Naboque flumine adferuntur. Quorum Ptolemæus ita: ὑπὲρ τὰ Σούδετα ὄρη Τευριοχῆμαι. ὑπὸ δὲ τὰ ὄρη οὐαριστοί; εἶτα ἡ Γαβρῆτα ὕλη ὑπὸ δὲ τὴν Γαβρῆταν ὕλην Μαρκομανοὶ, *h. e. supra Sudetos montes Teuriochemæ sub montibus Varisti; deinde Gabreta sylva, sub Gabreta sylva Marcomanni.* Ptol.

Sudeti montes sunt, qui in Thuringia exsurgentes, effusi Vesurgi, Sala, Mœno, Egra & Nabo amnibus, Bojohæmici saltus latus Orientale cingunt usque ad Danubium. In quibus saltus sternuntur Thuringicus & Bojohæmicus vulgò der Thüringer und Böhmer Wald. Supra hos montes collocat Teuriochemas, qui fortè sunt Thuringi. Infra Οὐαριστοὺς, quorum vocabulum jam alii ante me correxerunt in Ναρίσκοι, Marcomanni vel Marcomani Bojohæmum tenuere. Gabrieta igitur sylva inter Nariscos & Marcomannos, i. e. in dictis montibus Sudetis à Bojohæmi ac superioris Palatinatus confinio in Thuringiam usque extensa fuit. Atque hinc rectè paulo ante flumen, quod hodie vulgo appellatur die Nabe / ex Gabreta sylva profluere tradidit.

Post pauca interjecta, de Gabreta sylva convenit ei Strabo, cujus verba sunt: ὁ δὲ Ἑρκύνιος δρυμὸς πυκνότερός τέ ἐστι μεγαλόδενδρος, ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς κύκλον περιλαμβάνων μέγαν. ἐν μέσῳ δὲ ἵδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη περὶ ἧς εἰρήκαμεν, *i. e. Hercynius saltus densior est, magnisque consitus arboribus, loci natura munitus, magnum includens circulum; in cujus medio est regio apta habitationi egregiæ, de qua diximus.* De Bojohæmico autem loqui ostenditur.

Idem paulo post: ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Γαυβρῆτα ὕλη μεγάλη ἐπειδὴ δὲ τὰ

τῶν

τῶν Σϐήϐων; ἐπειδὴ δὲ ὁ Ἑρκύνιος ἔχεται δὲ κἀκεῖνος ὑπ' αὐτῶν, *h. e. Eſt & alia ſylva magna Gaubreta, poſt quam Svevorum ſedes; mox Hercynius ſaltus, quem & ipſum Svevi tènent.* Strab. lib. 7.

Gabretam ſylvam eandem, quam Ptolemæus Bojohæmicam intelligit; ſylvæ deinde junctos intelligit Svevos Nariſcos; dehinc Hercynium ſaltum, quem Svevi tenebant Marcomanni & Quadi. Gabreta igitur ſylva eſt, quæ hodie Bojohæmicus vocatur ſaltus, in cujus jugo Pinifero oritur Nabus amnis Nariſcos inter interfluens.

Includunt nunc dicti Nariſcorum fines Palatinatum ſuperiorem, qui & Bavariæ Palatinatus dicitur, dein Landgraviatum Leuchtenburgenſem.

Ad vocabulum gentis quod attinet, legitur id, ut ante oſtenſum apud Ptolemæum οὐαριστοί, quod viri docti corrigendum putarunt in Ναρισκοί. Ipſe de ου. in N. mutando nihil ambigo. At de τ. in κ. vertendo etiamnum dubito. Quippe, quamvis Taciti exemplariorum fidem (quum præſertim apud Jul. Capitolinum legantur Nariſci) Ptolemæi exemplaribus prætulerim; è diverſo tamen pro Ptolemæo facere video, quod apud Theodoſium è Dionis hiſtoria iidem populi dicantur Ναρίσται. Jul. Capitolin. in vit. Marc. Aurel. Anton. Theodoſ. è Dion. hiſt.

Ita ut ferè credam, promiſcuè ea vocabula quondam Græcos, quemadmodum Ταυρίσκους, Ταυρίστους & Ταυρίστας Teſte Strabone uſurpaſſe. Strabo lib. 7.

Longè rectius tamen, magisque genuinum erat, Nariſcos legere ex Germanico derivativi generis vocabulo die Nabiſchen. Etenim aut flumen nomen accolis quondam dictum fuit die Nare / aut genuinum nomen die Nabiſchen / Romani vitiarunt in Nariſcos. Philip. Cluv. Germ. antiq. lib. 3. c. 29. de Nariſc. per tot. fol. 611. & 612.

CAPUT XXII.

De corrupto nomine Variſcico.

IStud quoque prætereundum non puto: Nariſcos nonnullibi perperam Variſcos dici, ſed priſca autoritate parum confirmari. In Ptolemæum natione Ægyptium aſtrologum inſignem, qui Trajani & Hadriani temporibus vixit, unicè vocabuli Variſcici patrocinium rejicitur. Ptolemæi verba hæc ſunt: *Supra Sudetos montes Teuriochemæ, ſub montibus verò Variſti, poſtea Gabreta ſylva.* Ptol. lib. 2. Geogr. tab. 4. Europ. c. 11. de ſit. magn. Germ. p. m. 50. b.

Sed

Sed Varifcum nomen ex errore primi tranfcriptoris profluxiffe, & in alia fubinde atque alia fcripta ac exemplaria inconfideratè irrepfiffe, ab eruditis cenfetur; Quemadmodum Ulyffes Germanicus ab Andrea Bingio nuper A. C. 1645. Coloniæ impreffus p. 136. indicat. Ex hoc ulterius, quod Rudolphus Diepholdus *Farifcos per F.* connotaverit, fubfecutum. Rudolph. Diephold. in manuduct. ad Geogr.

Cæterum communiter Narifci, i. e. Norifci, intimati leguntur. Non reiteratis ex proximo capitulo nominis & originis rationibus, vel fola autoritate C. Cornelii Taciti, qui nobis inftar omnis indaginis, atque inter noftrûm defcriptores optimus maximèque curiofus perfcrutator veteris Germaniæ in libello fuo, de fitu, moribus & populis Germanorum, bis Narifcos appellitat, atque expreffè Hermundurorum confines declarat. Quin & Julius Capitolinus, & alii articulatim Narifcorum; Theodofius verò è Dione Nariftarum meminerunt. Tacit. in Germ. c. 42. v. 1. & 2. Jul. Capitolin. in vit. M. Aurel. Anton. Theodof. è Dion. hift.

Ne acciam præclaros in præcentum autorem Tacitum commentarios, ut Freinsheimium, Berneggerum & alios, qui nomen illud absque ulla cenfura & reprehenfione fuper Taciti opera in indicibus fuis appofuerunt, atque ita lectionem quodammodo approbaverunt. Potius adducam nomini illi ingenuè patrocinantes, qualis præcipuè excelluit Jodocus Willichius Refellianus vir clariffimus, qui Narifcos conftanter defendit & Ptolemæi corruptionem pofthumam, quomodo lit. N. in U. mutatum, condictis infimul Narifcorum terminis monftravit. Jodoc. Willich. comment. in Corn. Tac. ad. h. l.

Similiter Andreas Althamerus aliquoties, immò usque & femper in Tacit. libel. de German. Narifcorum reminifcitur, ubi præprimis videbis etiam citari Jul. Capitolinum. Andr. Altham. Comm. in Tacit. Germ. & alib. p. 91. 101. 195. 288. 291. & feq.

Quin etiam Beatus Rhenanus lib. 1. rer. Germ. idem confirmavit, nec minus Philippus Cluverius in introduct. ad vet. & nov. Geograph. lib. 3. c. 3. Narifcos Hermunduris adjunxit.

Autor præterea compendii geographici fub nomine Matthiæ Quadi Sculptoris Coloniæ Agrippinæ A. C. 1602. impreff. Narifcorum autoritatem ad ungvem perduxit. Matth. Quad. Sculpt. lib. 4. fub tit. Svev. c. 15.

Tandem firmiffimè comprobaverunt Sebaftianus Munfterus lib. 5. Cofmogr. c. 385. Andreas Corvin. part. 2. font. Latin. ubi de nomi-

nominib. propr. agit. ſub diction. Egræ & Nariſc. Dum Nariſcos definitè poſuit & Variſcorum appellationem ut falſam oppugnavit.

Atque concluſu (plures enim reſiduos citare autores vetat prolixitatis effugium) celeberrimus autor Caſp. Bruſchius ſemper Nariſcorum meminit, Rectoribus Diœceſium Nariſciæ quibusdam recitatis, quos nobiles Regulos inſignivit. Caſp. Bruſch. in Chronolog. monaſter. Germ. p. 68. & 85.

Si opus, plures atteſtantium ſententias proferre auſim. Quapropter conſultiſſimè ſtatuendum; cujus nominis origo ex antiquitate magis apparet, & majori Doctorum conſenſu recipitur, illud præ alio aſſumendum eſſe. Quod excellenter in noſtra hac parte compleri autumo.

CAPUT XXIII.

De nomine Voit, Vogt vel Voigt abſolutè ſic dicto.

QUantopere, noſſe verborum Etymologias & ſignificationes, ad res ipſas intelligendas cooperetur, omnes norunt. Idcirco haud abſurdum recenſendum, de antiquiſſimo tam appellativo, quam proprio, ut Grammatici diſterminant, nomine Voit, Vogt vel Voigt, abſolutè & indifferenter ſic dicto, aliquid diſſerere.

Nonnulli, qui derivationibus exoticis delectantur, à Græcis mutuare avent, talem comparationem inſtituentes: ſi ἀρετὴ tanquam eine Art / βοσκὴ, Boſch vel Buſch / βρωτὸς Brod / δίσκος Tiſch / κάπηλος Kauffmann &c. ſicque multa alia innumerabilia translatitia ingererentur, ergo βοηθὸς, eines Voits oder Voigts anteſignanus apex, incerto per incertum probatô, convalere poſſet. Wolffg. Laz. de migr. gent. lib. 2. de Gallogræc. c. 1. in pr. It. lib. 7. de Boj. f 359.

Hoc equidem apud Tuiſcones olim, Grajos characteres viſos fuiſſe, non inficiandum; aſt quod vocabula ab iis mutuarint, eò, ut anceps relinquendum; Antiquiſſima enim & perfectiſſima Tuiſconica lingva, ſemper incorrupta ſine ullis mixturis permanſit; atque ex ſe ipſa locupletior & magnificentior usque accrevit. Vid. Tacit. in Germ. c. 3. & 4. paſſ.

Unde autem nomen Voit vel Voigt originem ſumſerit, indagationis non eſt adeò certæ. Ex Græco augurio id repræſentantes adducunt atque ſuperſtruunt, quod apud illos βοήθεια adminiſtratio eine Voigthey & βοηθοὶ adminiſtratores Advocati, Prætores, item Cu-

ratores Voigte consignarentur. l. Boethos. 4. C. de Tabular. lib. 10. l. per hanc. 7. C. de Advocat. divers. jud. Panciról. de notit. Imp. Orient. c. 19. Laz. de migr. gent. lib. 7. f. 284. Vid. & Joh. Avent. de hoc nom.

Verum, hæc ambo egregia insignia consonantia fermè & Synonyma, nec tamen ab alterutro mutuata, meram antiquitatem indicare, mihi redhibendum.

Atque ex indigena lingva derivare cum præstet: si König à können nominitetur; si Hertzog idem sit, der einher ziehet vel potius Dominus exercitus, ein Herr deß Zugs. Si denique Germanicum nostrum Fürst / qui fürstet oder fürstehet / vel potius qui præest der für ist. Truchses / der Essen trägt. Item Soldat / der um Sold dienet / indigitent. Joh. Born. in com. Feud. c. 5. n. 25. 26. & seq.

Quod si præcedentia à Germanicis radicibus; Nihil quo minus Vogt qui vorgehet vel Voit qui vorjot oder verspricht / i. e. Procurator, explicetur, impediet, demtâ unicâ literâ r. quod in Germanicis vocabulis usitatissimum, e. g. Juncker / i. e. junger Herr. Befödrer / i. e. Befördrer & id genus alia.

Sed ne hac quidem derivatione (quoniam omnia & singula ab aliis derivare inutile) non indiget. Uti enim Heroica insignia, ein Herr / ein Vatter / ein Heyland / ein Mann / ein Held / ein Haupt / ein Schild ꝛc. nomina primitiva ut Grammatici docent, vigent per se subsistentia, ita & Voit vel Voigt / ejusmodi æstimandum. Propterea bevogten / i. e. providere, procurare, in una eademque significatione ac bevormunden consistit; unde Vogtung / Bevogtung curatelam, eine Bevormundung vel curam absolutam, Wartung / Pflegung significantia supersunt.

Voit vel Voigt / ritè ac propriè explicatur Administrator patronus vel pater consiliarius, ut Cicero loquitur: *Natura tu illi pater es, consiliis ego.* Titulus olim amplissimus & hodie non ignotus.

1. Nomen illud etiam ad Imperatores promanavit. Nam veluti Latini bonum Imperatorem *Patrem patriæ* appellarunt, vel ut Socrates *bonum œconomum* prædicavit. Ita nostrates, einen Voigt / einen Schirm Voigt per singularem & amabilem Periphrasin annotare solent. Atque in jure Saxonico Imperator Romanus Römischer Voigt expressè nominatur. Et quidem propter jus summi patronatus Ecclesiæ Romanæ Oberster Voigt-Herr der Kirchen intimatur. Weichbild art. 8. & Com. de jur. non-provoc. Duc. Saxon. c. 5. f. 166.

2. Regibus quoque & Principibus attributum fuit. Carolus enim

nim Magnus Witekindum Secundum Magni Witekindi filium ad Landvoigtum Soraborum constituit. Fabric. de orig. Sax, lib. 5. f. 511. Spangenberg. Chronic. Quernfurt. lib. 1. c. 29. f. 78.

Atque S. Hermanni Primi filios & Ludovici S. fratres Thuringiam & Hassiam regimine tutelari administrantes Landvogtos Thuringiæ & Hassiæ, dictos fuisse demonstrat. Spangenberg. in Chron. Sangershusan.

Ipsique Principes sese eo nomine in edictis suis afficere haud gravati sunt, ut Conradus Palatinus Rheni publicè se nominari curavit: Ædium Wormacensis, Würzburgensis, Argentoratensis, Spirensis, Fuldensis & Weisenburgensis Præsul & Castenvoigt. Crusius Annal. part. 2. lib. 8. c. 4. f. 254.

3. Ac veluti in politico statu Advocati sive Patroni extiterunt, ita etiam in Ecclesiastico fuêre adjuncti. In Episcopatibus quoque & Abbatiis constituebantur Voigti Advocati & Patroni, Castenvoigte/ Schirmherren und Besorger. Stumpff. lib. 5. c. 3. f. 292. ubi eorum officium explicat. Laz. comment. Reipubl. lib. 12. c. 3. f. 1026. in fin. cum seq.

Carolus Magnus Cœnobii Campidonensis constituit & designavit Voitos, Advocatos sive Tutores: Ducem Bavariæ ad Marschallum, Saxoniæ Ducem ad Pincernam: Montis fortis Comitem ad Dapiferum: Comitem de Nellenburg ad Camerarium. Quæ officia, & munera in communi ac indifferenter in privilegiis & fundationibus Mundeburdia, Advocaturæ, Germanicè Voigtheyen dicebantur. Brusch. de Monast. German. f. 29. & 84. ubi diploma NB. Theodorici Regis Franc. adducit. Vid. & Chron. Laurisham. f. 59.

(Vocabulum Mundeburdium, i. e. Mundwürthung tutelis pupillorum propria, deinde ad omnia patrocinia & jus Advocaticum fuit expansum)

Sunt & adhuc notæ Germanicæ intimationes, ein Pflegvogt/ i. e. tutor vel curator. Ein Ehevoigt/ i. e. maritalis curator. Bevogten curatorem constituere; Voigtbar majorennis, unvogtbar minorennis.

4. Latissimum hoc vocabulum, etiam Imperatores, Reges & Principes in suis territoriis ad suos inferiores satrapas adhibuerunt, & Voitos indigitarunt; unde Saxones trans Albim Caroli Magni Landvoigtos trucidasse, tradit. Abbas Stadens. ad an. 798. f. 84.

Rursus jurisdictio distribuitur in Altam, Mediam sive Bassam & Imam Vogtheiam, in Obere/Mittlere und Niedere Voigtheiligkeit oder Verliehene Botmässigkeit. Quæ si conjunctim conceduntur, nulla

contro-

controversia; si verò separatim, non ita proclive est discernere, nisi consvetudo id edoceat. Quapropter ut dubia cessent, in constitutionibus Electoralibus & Ducalibus Saxonicis id definitum, quod in Franconia fieri nequit, concurrente territorii & jurisdictionis incertitudine. Atque hoc passu haud levis est disceptatio, ad quas Voigtheias nonnulla alicubi referenda.

Siquidem peritissimi, quæ nam proprie sint, & quæ concernant, accuratè definire erubescunt, in usu, exercitio & experimento confirmantur. Andr. Knichen. de jur. superiorit. & territorit. c. 4. p. m. 147. usque 148.

Jurisdictio Bassa Gallis est humilis: vel provenit ex obsoleto verbo *bassus* i. e. amputatus, succidus. Vid. Gloss. Isid.

Est & alia Voigtheiæ species, quæ ipso jure naturali competit Dominis & nobilibus in suos subditos & beneficiarios. Cum enim intuitu beneficii illis sint devincti ad exhibitionem servitiorum & onerum, contractus beneficiarius Dominis licito modo jurisdictionem inter Vasallos indulget, ad tutanda jura sua feudalia, sine qua tuitionis expertia essent. Ex Aret. Petr. de Greg. de dot. & panagio quæst. 37. n 4 Arg. l. 2. de jurisd. It. comment. de jur. non provocand. Duc. Sax. c. 5. f. 124.

Voigtheia tandem denotat districtum quendam cum jurisdictione, Latinè provinciam, præfecturam. Sub hoc titulo olim multæ ditiones mandatæ fuerunt. Svevorum enim Ducatus sanè amplissimi, cum prius in Gau tractus & territoria essent distributi; postea in Land-Voigtheias concessere. Laz de migr. gent. lib. 8. f. 357.

Duce namque Svevico de familia Rotephaniorum襲 ferociter & superbè resistente Duci Bavarico, Henricus Imperator in Comitiis Wormatjensibus decrevit, terram Svevicam, in præfecturam sive Landvoigtheiam redigendam. Præfectum verò regionis nominitandum, Landvoigtum Sveviæ in arce S. Voitsberg supra urbem Ravensburgensem. Thomas Lyrer. in Chron. f. 73. Laz. comment. Reip. Rom. c. 12. f 919.

Plures deinde extiterunt Præfecturæ Imperiales, ut Noriberga, Rotenburgum Tuberinum, Tigurum &c. Munster. lib. 3. c. 56. Joh. Stumpf. lib. 6. c. 15. & 27. De his omnibus prædictis vid. apprimè Andr Knichen. de sublim. & Reg. Territor. jur. c. 4. per tot.

Ein Voitland communiter & appellativè alioquin nominatur præfectura ein Verwaltungs Land. Propriè verò & κατ' ἐξοχὴν vetus Nariscia sic intimatur.

Ante

Ante patrum memoriam Sveviæ totius ditio atque imperium dividebatur in Landvogtheias. Unde Landvogtheia Burggoviæ: Landvogtheia Alpgoviæ: Landvogtheia Curienſis: Landvogtheia Ravensburgenſis: Landvogtheia Rotvveilenſis: Landvogtheia Nigræ Sylvæ: Landvogtheia Stulingenſis: Landvogtheia quatuor civitatum, ſecus ſylvam Harcyniam vulgò der vier Wald-Städte. *Landvogtheia Turgovienſis: Landvogtheia Tigurenſis: Landvogtheia Ergoviæ: Landvogtheia Nuchtilandiæ: Landvogtheia utriusque Alſatiæ.* Wolffg. Laz. de migr. gent. lib. 8. De Svevis fol. 449. B. It. fol. 46. Lit. C. It. fol. 466. Lit. D. & paſſim alib.

CAPUT XXIV.

De Voitlandis Noriſcis.

NOmen Voit vel Voigt, ut jam comprehenſum, in Germanicis appellativis honorificis usque & ſemper conſvetiſſimum extitit. Ex appellativis autem, propria plerumque formantur; unde antiquiſſimorum Noricorum Regum quidam Vogtus inſignitus, Romanis nomen corripientibus *Voccio* mutatus, Arioviſti ſynchronus percipitur. Meminit illius Julius Cæſar hisce verbis: *Eô triduô legio octava ad Arioviſtum venit, cohortesque ex novis Galliæ delectibus 22. Equitesque à Rege Norico Voccione circiter trecenti cohortes.* Et iterum: *Duæ fuerunt Arioviſti uxores, una Sveva natione, quam domo ſecum abduxerat, altera Norica Voccionis Regis ſoror, quam in Gallia duxerat à fratre miſſam &c.* Ante Chriſtum prope 60. an. Jul. Cæſ. civil. hiſt. It. lib. 1. Gall. hiſt. Laz. de migr. gent. lib. 7. de Boj. f. 302. D.

Abinde nonnulli Voitlandiæ tanquam magni Norici præcipuæ partis ætatem ducere volunt. Sunt adhuc, qui antiquius progrediuntur, atque arcem Voitsbergam regionis palæopolin 300. annis ante Chriſtum natum, conditam eſſe tradunt. Quapropter eorum opinio falſiſſima eſt, qui à Druſo vel præfectura Romana id augurium contendunt. Vid. Petr. Albin. lib. 1. Chron. tit. 15.

Quod alii à præfecturis noſtri Imperii Germanici, vel adminiſtrationibus ſingulariter conceſſis (quemadmodum nomen Voit talem dignitatem importat) κατ᾽ ἐξοχὴν illius regni partem ſic intimatam fuiſſe das Voitland quaſi terram Advocatoriam vel Prætorianam &c. deſumunt, ut pulcherrimas alluſiones vel potius applicationes,

quæ in præcipuam eorum laudem convenire queunt, in ſuo valore relinquo. Sed antiquiora indicia ſuperſunt.

Proptereaque Marchiones de Voitburg nominatos eſſe ferunt, quod eſſent Principum Bavariæ adjutores. Vernacula lingva deſignat Patronum, Defenſorem, cuſtodem; cujus fidei & adminiſtrati omni aliquid magni eſt commiſſum. Dignitas prædicta continuata fuit in Dominis de Reuſſen in Plauen. Nam Henricus quidam Illuſtris Dominus de Reuſſen totius fermè terræ poſſeſſor appellatus offenditur excellenti titulo communiter Voit de Weyda. Ita & poſteri factitarunt, quæ regio, ut ex tunc, ita ex nunc, das Oſter-Voitland oder Oſterland dicebatur. Vid. Paul. Lang. diverſ. loc. It. Chron. Citizenſ. fol. 291.

Eſt & alia pars Voitlandiæ ad Norgoviam pertinens, quæ interemto Duce à miniſtris ſuis in tres partes ceſſit: ex ſemiſſe Epiſcopis Bambergenſi & Herbipolenſi; Trientem verò priſcus Burggravius Noribergenſis ſibi vendicavit. Atque Ducatum Meraniæ ſub Friderico Secundo, cum nullus eſſet certus Imperator, à vicinis diſcerptum eſſe autumant. Vid. Franciſc. Irenic. exeg. Germ. lib. 3. c. 57. It. Joachim. Cureum Annal. Sileſ. fol. 73.

Cureus tractum illum, qui olim ad Principes Nariſcorum pertinuit, poſtea ſimiliter Voitlandiam dictum Friderici Barbaroſſæ tempore Ducatum Meraniæ nominatum fuiſſe ſubjicit. Aſt fallitur, ut ſubſequenter patebit. Cureus.

Ad incolas iterum reverſurus; qui communiter Voitlandi audiunt, ab omnibus verò Latinis ſcriptoribus generali titulo Nariſci citantur. Quos de ſtirpe Hermundurorum nonnulli latitudinem & autoritatem ex Tacito imaginantes, derivant. Vid. Philipp. Cluv. ad h. l.

Tacitus quidem de Hermunduris in Svevorum tunc poteſtatem redactis, multifaria ſcribit: Primo iſtos Romanorum amicos & confœderatos extitiſſe perhibet: Deinde refert, Hermundurorum provinciam Danubio propiorem fuiſſe; quod non eò, ac ſi ad Danubium habitaſſent, referendum eſt, ſed ſententia ejus fuit, quod propiores quam alii tunc temporis Svevorum adhærentes, Senones nimirum, Longobardi & reliqui, ad Danubium agitaſſent.

In Hermunduris porrò Albim oriri ſcribit. Hoc ſi ratione literarum intelligeretur, Hermundurorum provinciam ſupra Bohemiam ſeſe extendiſſe, neceſſe eſſet; ſiquidem liquet, quod Albis ex montibus Giganteis, Bohemiam & Sileſiam ſeparantibus ſcaturiat. Si

Si verò Taciti verba de augescenti jam Albi, ac in navigabile flumen (quod juxta Pirnam oppidum incipit) accrescente apud Hermunduros, non autem de origine & scaturigine ejus intelligantur, nulla controversia restat, nec nimia Hermundurorum extensione, Orientem versus opus est. Vid. Tacit. in Germ. c. 41. per tot.

Alii rectius generalis Francici nominis & gloriæ consortes statuunt. Veluti Johannes Carion notissimus Chronicus Voitlandiam declarans, de incolis quoque consignavit: *Gens antiqua & præpotens, sangvine quidem Francica, patria verò Bavarica i. e. Norica.* Aliquando enim Bavaria maxima ex parte sub Norico confusa comprehenditur. Johan. Carion. lib. V. Chron.

Cæterum gentis nostræ insignia situs & habitationes, item alia veritati historicæ propiora indicia certissimè Nariscos vel Noriscos, veterum Noricorum posteros cumque hodiernis Francis ac Palatinis unius stirpis, ejusdemque fermè lingvæ clarere, firmissimè testantur.

CAPUT XXV.

De reprobata Drusi memoria in arce Voitsberg.

NOnnulli Nariscis Voitlandicum nomen à præfectura Drusi, Tiberii fratris in arce Voitsberga, olim stabilitâ, obvenisse hariolati sunt. Cui falsæ opinioni in maximum Germanici nominis præjudicium referunt, scripturam quandam in jam dicta arce Voitsberga, à sciolo quodam, procul dubio, affictam parietique appictam:

Castra locans Drusus, Prætoria nomina monti
Fecit. Posteritas servat & illa sibi.
Drusus der Edle Römer Voigt
Erbaut hat diesen Berg in Noht/
Da Er Krieg wieder die Teutschen pflag/
Voitsberg heissts bis auf diesen Tag.

Non ausim rejicere tam inveteratum conceptum, nisi inclutus probatusque historicus Petrus Albinus regessisset: *vulgò conceptam opinionem de scriptura Drusi Prætorii in arce Voitsberga, tanquam fabulam jamdiu à prudentibus viris rejectam transmitto; licet in ore jam omnium vagetur & cum aliis Germanicis rhythmis credulo vulgo inseratur. Præstat potius aliud, quod secundo rumore volat: Arcem Voitsbergam 300. circiter annos ante Christum natum, & consequenter multo longè ante Drusum conditam fuisse.* Petr. Albin. lib. 1. Chron. tit. 15.

Rationes præterea firmæ, nullæ dari possunt. Non verisimile enim: Drusum ambitiosum Germanicæ libertatis hostem, memoriam suam, quam tantopere æternam sitiebat, parieti calce oblitæ impingi voluisse; magis per cippos vel statuas marmoreas erigi præcepisse, apparet. Sed quamvis etiam omnia tentasset, nihil incolume tamen fervore Germanorum mansisset. Heic apponi refert illud Taciti: *Germani trophæo Romanorum accensi, ultro pugnam iterant. Nam haud perinde vulnera, luctus, excidia, quam ea species seu statua dolore & ira adfecit.* Tacit. Annal. 2. c. 19. v. 1. & seq.

Quodque maximum, nulli historicorum bellum Drusi cum Germanis describentium, eundem unquam Nariscorum terram oppugnasse, nedum vestigia reliquisse, mentionem faciunt. Immò non modò, haud attingunt, sed illum in hanc invictam nunquamque Romanæ potestati subjectam regionem venisse, prorsus adversantur. Druso siquidem Cattorum fines vix ingresso fertur se obtulisse conspiciendam, mulier quædam supra humanam formam excelsa, vetans, ne ulterius prorogandi imperii cupiditate progrederetur; quod jam & operum & vitæ terminus instaret. Perculsum ostento Drusum ajunt, dum pararet regressum, prius extinctum fuisse inter Salam & Rhenum ob fracturam cruris. Annô urbis 645. ante Christum 8.

Autor est Strabo, cujus ipsissima verba: καὶ Σάλας ποταμὸς οὗ μεταξὺ καὶ τοῦ Ῥήνου ποταμῶν Δροῦσος ὁ Γερμανικὸς ἐτελεύτησεν. Et Sala fluvius, inter quem & Rhenum fluvios, Drusus Germanicus mortuus est. Strabo lib. 7.

Johannes Carion, ejusque Paraphrastes Philippus Melanchthon & Heinricus Meibomius inclutissimus Academiæ Juliæ Professor: *Drusum haud procul à Moguntia, cum in prælio crus fregisset, periisse* refert. Vid. Chron. Carion. Part. 2. exposit. & auct. à Philip. Melanchth. p. m. 2. Henric. Meibom. in compend. hist.

Ex quibus evidens evadit, Drusum nunquam Nariscorum terminos attigisse, eoque infirmius memoriam ibidem posuisse.

Nesciunt igitur, qui tale confingunt, in quam maximum præjudicium Germanicæ gloriæ id suscipiunt. Legitur enim antiquissimum illum Germaniæ Ducem & libertatis assertorem Arminium, libero Germanico nomine indignos judicasse, qui tributa exteris penderunt, aut aliis conditionibus, aut quocunque modô sese à patria segregarunt. Summumque nefas proclamavit, quod inter Albim & Rhenum, virgulæ, secures, & Romana illa toga, conspecta semel forent.

CAPUT

CAPUT XXVI.

De Voitlandis in ſpecie.

VOitlandia pertinens ad auguſtum regnum Noricum vel potius Norgaviam, adſpicit 1. Oriente Bohemiam. 2. Meridie Bavariam. 3. Occidente tractum Würzburgenſem & Sveviam. 4. Septentrione Myſniam & Thuringiam.

Provincia quidem per ſe eſt horrida, aſpera, rigoſa, gelida montoſa & ſylvoſa; attamen populoſa, atque induſtria mirificoque incolarum labore frugifera reddita, eleganter culta, temperato ac ſalutari aëre prædita, pecorum & ferarum abundans, metalli æriſque ditiſſima, naturaque munita.

Splendidiſſima ejus decora & ornamenta, Montes ſunt vaſtiſſimi eminentiſſimique Sudeti (vulgò promontorium Fichtelberg & per Metonymiam Mons Pinifer) milliaria aliquot in circuitu complectentes; atrocibus & niveis rupibus ſuperbientes, atque munitiſſimarum arcium, tanquam antemalorum tesqua, triſtiſſima rudera & Majorum relicta monumenta oſtendentes.

Hæcce promontoria totius fermè provinciæ ab Oriente usque ad Occaſum ſunt coronaria, propterque pretioſas auri & argenti divitias apud Exteros præſertim Italos & Venetos non ignota.

Integros montes omnibus æris matallique generibus, apprimè auro, argento, cupro & ferro refertos, tellurem verò ſulphuream & nitroſam, unde cætera metalla & puriſſimum aurum, fervore & æſtu ſolis, in imis ferveant, bulliant & tandem concoquantur latebris, perhibetur. Autorem & adſtipulatorem habeo Munſterum.

Qui inanem me commendatorem credit, ſciſcitetur ex Italis & Venetis, quibus opes noſtræ ac gazæ notiores, quam nobis ipſis conſtant. De noſtræ idcirco regionis præſtantiâ, incolis ipſis incognitâ, proverbium eluſorium promanavit:

Præſtat ſæpè lapis pecori injectus pecore ipſo.

Montes quidem jam relati Sudeti, vulgo promontorium Fichtelberg parum priſcis autoribus cogniti; ſed nihil detrimenti gloriæ ejus & excellentiæ affert. Ipſi vel ignorarunt, vel non intellexerunt vel inviderunt.

Unicus tantummodò celſiſſimus poeta Celtes geographiæ periti ſſimus, cujus B. Rhenanus mentionem fecit, quod claruiſſet imperante Maximiliano I. & epitomen ejus de ſitu Germaniæ & Noribergæ

in membranis schedulis accuratè conglutinatis, unum tantummodo pedem latis & duo viginti longis, descriptam charactere Longobardico, superstitem reliquisset. Iste Celtes sæpè citatum promontorium Hercyniæ caput denominat, ut Munsterus in descriptione Fichtelberg commemorat.

Porrò in arduo ejus jugo, quod admirabile creditu est & dictu, ingens invenitur lacus, nunquam aqua & uligine intermoriens.

Omnium memoratu dignissimum est, quod quatuor navigabilia flumina, ad quatuor mundi cardines prolabentia hisce in montibus scaturiant. *Mœnus, Egra, Nabus & Sala.*

1. Mœnus Occidentem petens, in Franconia, prope Moguntinum in Ringau, Rheno allabitur.

2. Egra profluens contra Orientem, in Bohemia, prope oppidum Leitmeriz, ab Albi excipitur.

3. Nabus (raro Naba) Meridiem tendens, tôtum Palatinatum Superiorem perlapsus, intra Bavariam & tractum Reginopolensem vel Ratisbonensem, haud procul à Monasterio Prifenning in Danubium se exonerat.

4. Sala erga Septentrionem, integram Voitlandiam & Thuringiam penetrans, aliis rivulis adauctus, in Saxonia prope monasterium Gottesgnad, tribus milliaribus à Magdeburg, Albi deinceps se immiscet. Versus illi concinnè & distinctè succingunt:

Sudeti Montes dimittunt quatuor amnes
ad mundi quatuor cardineasve plagas.
Euros Egra petit: Pluviales Nabus & Austros
Mœnus amat Zephyros: sicuti Sala Polum.
Cum Salâ Egra locis diversis incidit Albim:
Mœnum Rhenus habet: Danubiusque Nabum.

(Quatuor & Nabus ancipitia sunt: prius per se cognitum: de Nabo testatur Casp. Brusch.

— — Nobilis Egra,
Et Nabus ex uno monte lacuque cadunt.)

Celebratur apud Græcos Nilus, quod exprimat numerum dierum anni. Id multo concinnius præstat Mœnus, quod eleganter hisce versiculis Philippus Melanchthon commonuit:

Discite præcipuè solis motusque viasque
Vos! quibus est patrium, Francica terra, solum.
Namque dies totos, quot traxerit ambitus anni,
Id fluvii vestri vox bene nota sonat.

M E N O Σ.
40. 5. 50. 70. 200.
365.

Nonnulli, quoniam horum fluviorum literis initialibus *Mœnus Egra Nabus Sala* vocabulum MENS proveniat, quod præcipua mentis prudentia ad eos considerandos requiratur, existimant.

Non omnes & universas hujus promontorii proprietates, integro libro vix comprehendendas heic recensere par sum. Non innumerabiles auriferos vel aureis glareis repletos atque gemmatos fontes vervestigabo. Non omnes, quæ in hac terra maximè reperiuntur, acidularum aliarumve salutarium aquarum scaturigines singulatim enumerabo. Non universas partim corrutas, partim adhuc cultas ærarias.

Non ædificia totius provinciæ, quæ humana solertia largissimæ naturæ addidit recensebo. Provincia equidem urbibus nobilissimis & inclutissimis exculta, quin & arcibus ac monumentis celeberrimis fortificata. Oppidulis haud secus, cum vicis pagisque amœnissimis ornata. Gymnasiis item, scholis ac omnifariis ingenuarum artium officinis uberrimè condecorata. Quæ omnia nominatim exprimere, prolixius; ideòque brevitatis cupidine sicco transibo pede.

CAPUT XXVII. Præstantissimum.

De Germanorum, præcipuè Noricorum, Noriscorum, Francorum, Voitlandorum, & reliquorum conversione ad fidem Christianam.

A.M. 1658. ante Christum 2314. diluvio jamdum finito, fatum & effatum illud sacrosanctum, τὸ: *Dilatet DEUS Japhet & habitare faciat in Tabernaculis Semi:* Noæ præconi justitiæ, oraculi instar Divini, cœlitus instillatum vaticinium, post aliquot millenaria tunc demum splendidè refulgere cœpit. Gen. 9. v. 27.

Christianæ hujus conversionis & rerum Divinarum patefactæ notitiæ præstantiam satis digne attollere haud compos. Doctrinam enim Christianam omnibus aliis scientiis & doctrinis à condito usque orbe traditis, infinitè excellentiorem esse, per se constat; sive Autorem ejus contemplemur, *qui est DEUS Trin-unus, Pater scilicet & Jesus Christus filius DEI homo factus, (in quo omnes thesauri luminis,*

nis, sapientiæ & scientiæ sunt reconditi 1. Col. 2. v. 3.) *& Spiritus S.* Sive spectemus materiam, ubi de rebus Divinis supernaturalibus, quæ omnem humanæ intelligentiæ captum excedunt, de omnibus DEI legibus, donis & virtutibus, ac demum de cunctis, quæ in Veteri ac Novo Testamento continentur, tractatur: Ubi de S.S. Trinitate, de Christo salvatore promisso & incarnato, deque passionibus ejus, satisfactionibus & meritis, de sanctissimis Sacramentis: de conversione ad veram fidem & vitam æternam differitur: ubi denique de resurrectione mortuorum ac de salute æterna, cum aliis donis ineffabilibus peragitur.

Orientales quidem populi, & deinde Galatæ, Græci, Latini, Galli, Angli, Britanni &c. omnes successivè priores nostratibus mediterraneis in vineam Christi conducti, ad lumen illud accessere gloriosissimum.

A M. enim 4152. post diluvium 2496. A. C. 182. S. LUCIUS Regio sangvine Britannico ortus, Coili nimirum Regis Britannici filius, Marii vel Manni illius nepos & Arivagi pronepos, in vetus Noricum & adjacentem Vindeliciam profectus, verbum Divinum & fidem Christianam strenuè professus, multosque Christianismo admolitus, utpote primus nostratium Apostolus colligitur. Ast Augustæ Vindelicorum lapidibus depulsus & Curiæ Rhætorum indigna nece ad collegium Sanctorum Martyrum promotus traditur. Vid. Sebast. Munster. Cosm. lib. 3. cap. 361. Joh. Nauclerum, Welserum, & Henr. Murerum in Helvetia Sancta.

A. C. 425. S. Albanus Christi dogma concionatus, Moguntiæ Martyrum perinde mercedem reportavit.

A. C. 454. S. Severinus Noricorum Apostolus dictus, in Noricum & Austriam veniens religionem Christianam voce sua feliciter propagavit. Spiritu quoque Prophetico claruisse traditur. Cuspinian. de Natal. lib. 2. c. 56. Abrah. Bucholz. in Chronol. sub dict. an.

A. C. 496. vel 499. S. Remigius Rhemorum Episcopus, Clodovæum Francorum Regem baptizavit, & populum ad fidem Christianam convertit. Sigebert. Trith. Æmilius. Gregor. Episc. Turonens. Abrah. Bucholz.

A. C. 612. S. Rupertus Episcopus Vormacensis (circulus Rhenanus enim diutius reliquâ Germaniâ fidem Christianam illibatam retinuit) Teudonem, Theodonem vel Theodorum Noricorum & Bavarorum Ducem, octogenarium jam, cum populo, Ratisbonæ baptizavit, fideque Christiana imbuit. Hic Theodo statim postea Episcopatum fundavit Salzburgensem, & S. Rupertum primum ibidem Episcopum constituit. Munster. lib. 3. cap. 25. 356. & 361.

A. C.

A. C. 686. S. Kilianus à Conone LXXXI. Pontifice in Germaniam missus prope Würzburg in Franconia concionibus & miraculis permultos convertit. Gaila verò Ethnica Gosberti Francorum Ducis ex fratre filia simulq; uxor, S. Kilianum, qui consortium illud in eam animadverterat, cum Collegis suis Colomanno Sacerdote, & Totnano Diacono, noctu clam occidi jussit. Sepulchrum statim lapidibus obrutum & equile factum tradunt. Calvisius in Chronologia.

Sed Martinus Zeilerus sepulchra eorum in templo Episcopali Würzburgensi reponit. Martin. Zeiler. in Topogr. Franc. in descr. Würzb. & im Historischen Anzeiger p. m. 335.

A. C. 690. Sancto Wilibrodo/alibi Wulfrando Britannico, primo Ultrajectensi Episcopo Frisios convertente, Rapotus quoq; Frisiorum Rex accessit; sed postquam majores suos, quorum conditionem & sedem percontatus, ad Orcum detrusos fuisse percepisset, removens pedem baptismati jamdum immissum, se quoq; ad illos pervenire malle, oggannivit. Nilominus tamen magna pars Frisiæ Christianismo aggregata traditur. Chron. Utraject. p. 92. Bucholz. Chron. auct. p. 314. Münster. Cosm. libro 3. cap. 464. de Frisland. f. 1107.

A. C. 720. Bonefridus vel Wunfridus Britannus à Gregorio III. Bonifacius transnominatus, Germanos, ad quos dimissus, Nariscos, Thuringos præcipuè, Francos & Suevos intra 36. annos in Christianismo correxit. Iste Bonifacius Zachariam subsecutum Pontificem per epistolam commonefecit: gentem Germanicam ut plurimam rectâ viâ institutam, tresq; Episcopos positos esse, 1. in Castello Würzburg, 2. in urbe Parapurg, (quæ urbs Paraburg incognita, Suevíæ adscribitur) 3. in Erphesfurt. Præsul ipse & Archiepiscopus Moguntinus factus, præfuit Episcopatui annos 26. A Frisiis tandem, quos in sancta doctrina correctum invisebat, quum jussu Stephani II. Pipinum Caroli M. patrem oleo sacro perunxisset, martyr factus, reportatus in Monasterium Fuldam, quod fundaverat, ibidemque sepultus est. A. C. 755. De eodem M. Enoch Widmannus ejusmodi verba annotare voluit:

A. C. 740. Bonifacius Episcopus Moguntinus Majores nostros in Voitlandia, unà cum adjacente Thuringia (pari normâ, quâ antecedentibus & consequentibus annis, alias Germanicas nationes) ad fidem Christianam convertit. Quum antehac in Germania effrenis & idololatrix confusio palabatur; licet enim jampridem in aliquibus

locis de Christo perceperant, nihilominus tamen Ethnicis idolis, Christianas ceremonias adhibebant, multiq; Christo & Belial servientes, paganalia unà cum festis Christianis permixtim colebant, pluraq; abominosa perpetrârunt. Donec Bonifacii hujus concionibus Germania emundata redintegrè ad fidem Christianam conversa, & Ecclesiæ passim orthodoxis Episcopis, fidelibusq; Sacerdotibus provisæ erant. Propter emolumenta talia religionis, Bonifacius Germanorum Apostolus celebratus, totos 30. annos in Germania concionatus est. Conf. Münster. lib. 3. c. 25. Carol. Steph. Lexic. histor. Enoch. Widm. Chron. Curienf. oder Hofisch. Chronick. manuscr. f. 17. Gabr. Bucel. in Menolog. de 20 Martii. Valentin. Leucht. in vit. SS. de 21. Martii. It. Zeiler. im Historisch. Anzeiger.

A. C. 772. Carolus M. (qui juxta Münster. lib. 3. c. 19. in oppidulo Ingelheim propè Moguntiam, non in Bavaria natus) Saxoniam primùm bello aggressus, idolum, quod à Saxonibus vocatur Irmensul, evertit. Sed 785. demùm anno Saxones à bellis quiescentes & Apostasiæ culpam deprecantes à Carolo veniam & impunitatem impetrantes unà cum Witikindo Rege, sanctum baptismum & Christianismum susceperunt. Vid. annal. Franc. Regin. & Kranz.

A. C. 790. imperante adhuc Carolo M. fama est: Inguonem Noricorum & Carnorum Ducem provincialibus ad convivium convocatis, mirificè tractari, agrestibus ad conspectum suum intromissis, opiparèq; accommodatis, aurea & argentea pocula apparari; Generosis verò Nobilibus & Magnatibus procul à se diloca tis fictilia vasa supponi & intercalari jussisse. Interrogatum, cur ita confusè institueret? respondisse, non tam mundos esse & lautos, qui alta palatia, quàm qui humiles casas agrosq; colerent. Rusticis Christi Evangelium amplexis & baptismate purificatis candidas esse animas; Potentioribus verò ac Nobilibus, qui spurcitias idolorum sequerentur, sordidas & nigerrimas. Se autem pro qualitatibus animarum instruxisse convivium. Castigatos eâ re Magnates catervatim S. Baptisma affectantes brevi tempore sub Virgilio & Arnone Episcopis Juvaniensibus universos fidem Christianam accepisse. Æn. Sylvius Wolffg. Laz. de migr. gent. libro 6. de Taurisc. & Carn. fol. 201. lit. B.

A. C. 920. Henricus I. Auceps cognominatus, Saxonum & Germanorum Rex, postea Imperator factus, Brandenburgenses, Herulos & Obetritos domitos ad fidem Christianam commovit. Münst. lib. 3. c. 25.

A. C.

A.C. 1110. vel 1124. S. Otto, celeberrimus ille Comes ab Andechs, Episcopus Bambergensis, Vandalos præcipuèque Pomeranos cum Duce eorum Werslao, benignitate Altissimi, veros Christianos reddidit. Vid. inf. locupl.

De Idolis porrò nostratium confer C. Cornelium Tacitum in suo de Germania libello per tot. It. Seb. Münst. pass. & histor. Saxonis Grammatici.

De Majorum nostrorum conversionibus ad fidem Christianam, & de sanctis Martyribus consule porrò in specie: Historicos Ecclesiasticos S. Augustin. Euseb. Theodoret. Sozom. Georg. Turon. de glor. Martyr. It. librum illum de vit. Patr. Ex Neotericis Gabr. Bucelin. in Menolog. & Sacrario benedicto. Henric. Oræum in nomencl. præcipuorum à nato Christo Ecclesiæ Doctorum. Valentin. Leuchtium in Calend. sacr. Carol. Stengel in Annal. & Christl. Stammbuch/ it. in lib. de sacr. reliq. Henric. Murer. Wolffg. Hœgner. in auctuar. martyrol. præprimis verò Martin. Zeiler. in seinem Historischen Anzeiger vieler Heiligen / &c. qui hos omnes allegando compendiosè conciliavit.

CAPUT XXVIII. Extraordinarium.

De arcibus Andexia, Dyssen, Wolfratishusia, Hohenwart &c. prout Gentiliciis, Geschlechts-Häuser / *deq; dependentibus inde familiis.*

QUum pleræque olim familiæ, non solùm Nobiles, sed Generosæ etiam, Illustres, ac Serenissimæ, de sedibus arcibusq; hereditariis, nomina insignitiva & characteristica communiter mutuaverint atq; mutârint; arces aliquot & monumenta ad familiam propositam dilucidandam præscribere allibuit.

Andexia vel Andechsia, nonnunquam arx Damasiana dicta, celeberrima olim acropolis, ad cujus radices nunc monasterium, in Bavaria.

Dyssen perinde olim & nunc Bavariæ monumentum cum monasterio.

Wolfratzhausen ut & Hohenwart similiter arces & præfecturæ Bavariæ haud obscuræ etiamnum consistunt.

Horum Comitum antiquissimum, prout ex rudi seculo excerptum, Casparus Bruschius Hildebrandum denominat. Hujus filia

Regarda, cum Duce quodam Suevico, S. Hiligardam Caroli Magni, tertiam conjugem & fundatricem cœnobii Kemten (ubi plura de iis scripta recondita) progenuit. Casp. Brusch. in descr. Monast. Ac ex eod. Wiguleus Hundius im Bayrisch. Stammb. part. 1. c. 2. fol. 22. ubi allegati Cuspinian. in vit. Carol. M. in fin. & Joh. Aventin. lib. 4. Annal.

Wolffgangus Lazius consimiles annotavit, quos à Verlino quodam Caroli M. Cancellario deduxit, qui primus Andexensis vel Andecensis Comes à Carolo creatus sit. Wolffg. Laz. de Repub. Rom. lib. 12. f. 1213.

Attestante Casparo Bruschio reperitur alibi Episcopus Augustanus Vindelicorum S. Symperti successor An. C. 809. Hauto vel Hanto dictus Comes ab Andex, qui Episcopatum largiter locupletavit & auxit; atque imperante Ludovico Pio Caroli M. filio A. C. 840. demortuus. Hujus Hantonis frater Rathardus perinde beneficus ac religiosus Sacerdos, simulq; primus fundator monasterii S. Georgii prope Dyssen claruit. De quo in ejusdem monasterii archivis ampliora. Casp. Brusch. de monast. Hund. cit. loc. Vid. & Seb. Münst. Cosm. in descr. Augspurg.

Cæterùm cognitam illam posteriorem & continuatam genealogiam Comitum ab Andex, Ducumq; simul Meraniæ &c. plurimi ab Arnolpho Carlomanni filio, Imperatore deducunt. Quæ satis antiqua Arnolphensis familia, aliquot retrò seculis, à monumentis hereditariis Andex, Dyssen &c. promiscuè appellati fuerunt, priusquam titulum & potestatem Ducum Meraniæ & Voitlandiæ obtinuerunt. Vid. Avent. lib. 3. Joach. Curæum in annal. Siles. Udalr. Zas. de feud. de orig. Duc. March. & Com. Hund. cit. loc.

CAPUT XXIX. Extraordinarium.

De Ducatu Meraniæ.

DE situ Meraniæ Scriptores mirificè discrepuerunt: quorum nonnulli Voitlandiam separatum specialemque Ducatum pro ipsa Merania confusè tradiderunt. Nodus itaque obscurus ex re nata dissolvi adversatur. Ad quem dissolvendum aliquot doctissimorum Virorum sententias consului, multosq; autores contuli, & consentanea quæcunq; sedulò segregavi.

1. Joa-

1. Joachimus Curæus, Laurentius Peckenstain & alii per Ducatum Meraniæ, ex paronomasia forsan prævilis illius vici, inter Zwickau & Altenburg siti, Baronibusq; de Schönburg addicti, *Meran*, seducti, Voitlandiam intimare non erubuerunt. Joachim. Cur. annal. Siles. fol. 73. Laurent. Peckenst. Theatr. Sax. part. 3. cap. 19. fol. 320.

Veluti autem Kraitz oppidulum Voitlandiæ cum Marchia Kräz prope Stiriam, & id genus alia non confundere licet; ita nec ille pagus vel vicus cum Ducatu Meraniæ. Cujus opinionis refutationem apud Cyriacum Spangenbergerum, Wiguleum Hundium & Martinum Zeilerum, locupletius reperies. Cyriac. Spangenb. im Adel-Spiegel part. 1. lib. 10. f. 272. Hund. im Bayr. Stammb. edit. Ingolstad. 1598. part. 1. cap. 2. f. 22. Martin. Zeiler. itin. German. cap. 4. p. 46.

2. Johannes Aventinus, Casparus Peucerus & alii Meraniam, inter Dalmatiam & Croatiam, Ducatum maritimum prope mare Hadriaticum sive Veneticum seposuerunt. Johan. Aventin. libro 7. f. 692. Casp. Peuc. in continuat. Chron. Carion. libro 5. de Ducat. Meran.

De falsa hac hypothesi Wiguleus Hundius ejusmodi verba, Latinè heic reddita, reliquit: Ducatum Meraniæ non Dalmatiam sive Croatiam esse, inde dispalescit; quod oppidulum Merania neutrò ibidem, sed in Forojulio circa Marckgraviatum Istriæ dilocatum inveniatur. Iterumq; paulò post: Neq; Merania, quatenus Ducatus, in Forojulio sita. Licet enim oppidulum Forojulii Meraniam audivisse, & Imperatorem Maximilianum, bello illo Veneto 1509. suscepto, diversos vicos Forojulienses, posteaq; 1513. oppidulum & portum Meran (qui alibi portus Muranus dictus discernitur) superasse, & aliquot annos (donec 1543. Veneti astu & proditione ejusmodi denuò recuperaverint) possedisse, Guicciardinus, Paulus Jovius & Leander in descript. Ital. sub Forojul. prolixè tradant: Non tamen, in ora maris Veneti integrum Ducatum, Meraniam intimatum, quondam extitisse sequitur: nec ulli Itali Historici de eo mentionem faciunt. Wiguleus Hund. im Bayr. Stammb. part. 1, capite secundo, fol. 22.

3. Accuratissimè juxta Wolffgangum Lazium, eundem Hundium, Martinum Zeilerum & alios Ducatus Merania indubitatò ipsa Tirolis est, ut metropolis ibidem testatur ejusdem nominis. Martinus Zeilerus præprimis ad oculos remonstrare voluit hisce Latinè

transpositis: Meraniæ totius regionis Athesinæ sive Tirolensis, Domui Austriacæ jam addictæ, metropolis viget; ibidemq; cœnobium Ordinis S. Claræ, templumq; splendidum, conspiciendum. Principes olim Ducesq; peculiaria olim insignia & titulos inde duxerunt. Haud procul ibidem ad Athesin, Tirol Principalis acropolis distat; de qua arce Comitatus hodiè nomen mutuatus. Wolffg. Laz. in comment. Austr. geneal. lib. 1. f. 144. Hund. cit. loc. Zeil. in Fido Achat. oder Treue Reisgefert/ in der 84. Reis/ p. 373. & in Itin. Germ. c. 30. p. 913.

Gerhardus Mercator Meraniam oppidum ad ipsum castrum Tirolense Regium reponit; & in tabula applicata geographica, mediante flumine Athesi à castro Tiroli dirimit. Gerh. Merc. in Atlant. Maj. in descr. Tirol. f. 292. Vid. & Cyriac. Spangenb. im Adel-Spieg. lib. 10. c. 13. f. 272.

CAPUT XXX.

De diversis familiis Voitlandiam quondam gubernantibus.

THeuto vel Theodo, alibi etiam Theodorus dictus, primus Christianorum cognitus Norici & Bavariæ Dux (qui anno Christi 612. Octogenarius jam à S. Ruperto Ratisbonæ baptizatus, & ad fidem Christianam conversus legitur) juxta sincerum & eruditum virum M. Enoch. Widmann. Norgoviæ trans Danubium erga Septentrionem & ultra Montes Sudetos ad Voitlandiam pertingentis arbusta & aspera deserta latius coli, eradicari & exstrui procuravit atq; instituit. Widm. in Chron. Cur. oder Höf. Chronick manuscr. f. 10. Vid. & Casp. Brusch. & Mart. Zeil. suis loc.

Voitlandos insuper antiquos cum Bohemis ingentia & feralia bella gessisse, propriosq; potentes Principes ac belli Duces aluisse offendo. Quorum continuatam & ordinatam genealogiam ex umbris revocare nequeo. Hoc tantùm liquet: antiquos Norgoviæ & Voitlandiæ Principes Comites de Cambo, Neumark & Bergel Principibus Bojariæ ad defendendos limites adordinatos fuisse. Idcircò etiam sedem prope Danubium infra Ingolstatt nempe Vogburgum obtinuisse. Vid. Wolffg. Laz. de migr. gent. lib. 7.

Arnolphus deinde Carlomanni filius Voitlandiæ Dominus enituit excellentissimus, ut idem Widmannus Latinè versus testatur:

Arnol-

Arnolphus Imperator Romanus, antehac Dux Carniæ, Rex Hungariæ & Romani Imperii Vicarius &c. conſimul Dominus Voitlandiæ excelluit, qui Thuringos, Francos, Suevos, Bavaros, Saxones & Friſios in poteſtatem redegit. Vegeto ætatis flore, ob venenum magicum in Italia infuſcatum phtiriaſi periit, fruſtrà adhibitis medicamentis. Sepultus eſt Ratisbonæ ad S. Emeranum. Iſte Arnolphus, quod præprimis notandum, Ludovicum IV. legitimum & Ratholdum naturalem, filios reliquit A. C. 900.

Ludovicus IV. alibi Bavaricus dictus	Ratholdus in proxima genealogia reiteretur.


Rex & Dux Bavariæ, ſimulq; Dominus Voitlandiæ, electus Rex Romanus tandemq; Imperator, ultimus Carlomannicæ legitimæ familiæ, ſine heredibus diſceſſit A. C. 912.

Huic ſucceſſit diverſæ familiæ alius Arnolphus, ſive potiùs Arnoldus Leopoldi (alibi Luitbaldi) Ducis cujusdam incogniti in Hungaria occiſi filius, qui Dux Bavariæ & Dominus Voitlandiæ factus, Bertholdum filium, cum filia Juditha reliquit A. C. 937.

Bertholdus Dux Bavariæ & Dominus Voitlandiæ ἀπαῖς defunctus & ſepultus Nidenæ prope Straubingen 948.	Juditha (quam Saxones Juttam & rudiori ore

Geuth mutilant, ac proverbialiter decrepitæ matronæ loco, Geuth die alte Herzogin circumſcribunt) muliebri hereditate ſucceſſit. Quæ Henrico Contentioſo, Aucupis Ducis Saxoniæ filio nupſit, & Ducatum Bavaricum cum Voitlandia aliisq; diœceſibus collocavit. Obierunt ſimiliter orbi A. C. 955.

His defunctis partim alii Duces Bavarici, Ratisbonæ reſidentes; ſubinde periodicè Imperatores competentes; item alii ex Imperatoria infeudatione Voitlandiam poſſederunt. Donec Duces Meraniæ, interim alibi florentes, ob beneficia Romano Imperio præſtita, Voitlandiam in Ducatum conceſſam obtinuerunt: ut poſtea ordine conveniente denuò apparebit. Conf. Enoch. Widmann. Chron. Cur. manuſcr. f. 21. & 22.



CAPUT

CAPUT XXXI.

De Arnolphensis familiæ Comitum ab Andex, postea Meraniæ & Voitlandiæ Ducum genealogia.

ARnolphus Carlomanni filius, Imperator Romanus simulq; Voitlandiæ Dominus, juxtimque Comitum ab Andex, postea Meraniæ & Voitlandiæ Ducum fundator, ut iterum repræsentetur, requiritur.

Prædictus Widmannus Latinè translatus ita continuat: Arnolphus Carlomanni filius conditor Ducum Meraniæ & Voitlandiæ, ex concubina sua; Dominâ Holenrathâ, filium progenitum metathesi ipsius nominis analogica, Ratholdum nuncupavit, Comitemq; Andechsiæ & Dyssen constituit A. C. 900.

Ratholdus, cujus matronam conjugem pervestigare nequeunt, juxta Aventini, Hundii & Widmanni suffragia, unicum filium Rapotum reliquit.

Rapotus alibi Raubot conjecturaliter dictus, cujus conjux perinde incognita, duos filios Fridericum, & S. Rathum cum filia Hatta propagavit.

Fri- de- ri-

S. Rathus primis ludis Equestribus vel conventu Celetizontico, vel Turnier / Magdeburgæ anno 936. institutis, tanquam Amphictyon, Agonotheta, Gymnasiarcha, hodiè Judicir-Herz vel Comes Palatinus (in Germanico textu est: Mundwörtel) reperitur. Postea anno 954. in vallo Ambræ stagni prope arcem suam Rathenberg, Claustellum fundavit, atq; redditibus largis dotavit, ubi & mortuus & reconditus anno 958. Post funera canonizatus & S. Rathus celebratus. Vitus Arnpeck. in Chron. Bavar.

Hatta juxta Widmannum Katta Henrico Comiti ab Altorff in matrimonium data. Cujus filius S. Conradus Episcopus Cosnicensis sacræ dignitati 42. annis religiosè præfuit. Discessit anno 976.

cus I. hujus stirpis obiit in Palæstina, ibidemq; sepultus. Hujus Matrona Conjux non denominatur. Filius Arbo comprehenditur.

Arbo ex arce municipali sua Pürgel cœnobium effecit, & translato nomine Sayn consignavit. Cum Conjuge sua Adelheita, V. filios: Fridericum II. Rapotum, Gebhardum, Arbonem & Sigmarum congeneravit.

Fri-

Fri- Rapotus Comes præcelluit iste ab Hohenwart, qui cum marita sua Hemma Ducissa prisci illius dilapsiq; stemmatis Austriaci, adhibitoq; fratre Gebhardo Episcopo Ratisbonensi anno 1022. monasterium Thierhaupten ad Licum restauravit; ubi ipsi posterique eorum conditoria illustria occupaverunt. Prædicti conjuges duos filios reliquerunt: quorum Ortolphus in reditu peregrinationis Hierosolymitanæ mortuus, Hohenwart advectus ibidemque inhumatus. Norpertus Episcopus de- Curiensis Rhæticus, & Proto-Canonicus, sive Præsul, sive Decanus Capitularis Canonicatus Augustani Domprobst zu Augspurg factus, anno 1085. monasterium Habbach initiatus. Quin & filiam Wiltraudam, quæ prima fundatrix cœnobii Hohenwartensis, post obitum fratrum cuncta bona & hereditatem eò collocavit.

Gebhardus Episcopus Ratisbonensis unà cum fratre suo Rapoto, vicum Pryel prope Ratisbonam in monasterium Beri- nedictini Ordinis destinavit; quod postea in Carthusiorum Ordinem redactum.

Arbo Comes de Hohenwart anno 1011. Episcopus Moguntinus designatus, exspiravit eodem anno, ante Papalem confirmationem; quare Scriptores nonnulli eum Episcopis non accensuerunt.

Sigmar Comes ad Hausen prope monasterium Peyern. Cujus filius & nepos perinde ejusdem nominis.

cus II. cujus Conjux Kunigunde, Comitis ab OEningen prope Podensee filia & Ottonis Imperatoris neptis, post obitum mariti, attestante Aventino, cœnobium S. Stephani in Dyssen fundavit; ibidem viduitatem religiosam peregit. † 1020. Ambo progenuerunt filium Leupoldum.

Leupoldus vel Leopoldus & Conjux sua Kunissa, unanimes & concordes citra famæ ambages defuncti, in æde S. Blasii Hercyniæ conditi requiescunt. Filios relinquentes Arnolphum, Conradum & Fridericum.

Ar- Conradus vel Cunradus Canonicus S. Stephani in Dyssen apud Bavaros, vir religiosissimus.

Fridericus cognomento Rochus, vir austerus & impius, nol- monasterium Attelense ad extremam inopiam redegit (quod postea per Comitem Engelbrechtum de Wasserburg iterum restitutum) mortuus & sepultus in monasterio S. Blasii Hercyniæ 10. Sept 1075.

phus Imperatori Henrico IV. pergratus effulsit. Cujus Conjux prædictum cœnobium Attelense Benedictini Ordinis egregiè locupletavit; in quo etiam recondita asservatur. Ambo quatuor filios (qui unanimiter ædem S. Petro-Montanam, ad Madran exstructam largiter condonârunt) Bertholdum I. Ottonem, Popponem & Gebhardum reliquerunt, anno 1080.

Bertholdus I. Ottonis Illustris & laudabilis posteritas, propriè Comites de Wolfratishausen dicti, maturè obeuntes Comitatum cum adjacentibus transversali lineæ Andecensi reliquerunt. Vid. Avent. & Hund.

Poppo cœlebs fortissimus heros Constantinopoli sepultus.

Gebhardus, præter Illustre nomen, cæteroquin obscurus.

Bertholdus I. Comes ab Andechs & Sophia Ottonis Ducis Sueviæ in Ambran sive Ammerthal, filia, conjunctim in honorem Matris DEI, arcem Dyssensem Principalem sedem in monasterium & templum commutârunt. Item ad monasterium Stephano-Montanum Carniolæ sive Craniæ prædia aliquot destinârunt. Item, codice monasteriali Admontensi prope Anisum in Stiria attestante, ad ædem DEI ibidem, Salinam, die Saltz-Pfannen/ in villa Hall juxta Salzburg à patruele suo Conrado Clerico Dyssensi hereditatem contulit. In eodem codice Dyssensi exprimitur, quomodo Bertholdus iste I. Religiosus Dyssensis factus, monasterio immensam pecuniam attribuerit, ibidemq; decrepitâ senectute defunctus in æde capitulari funeratus fuerit, anno 1115. Duos reliquit filios Bertholdum II. & Ottonem.

Bertholdus Otto in juventute sua philosophiæ artibusq; aliis liberalibus studuit. Primùm Ludimagister in Polonia evasit; dehinc ab Henrico IV. Imperatore ad Cancellarium evocatus; statimq; post Episcopus Bambergensis repræsentatus. Durante administratione Episcopali An. C. 1110. juxta alios 1124. ad infideles Vandalos commigravit, eisdemque informatis, Pomeranos etiam ad fidem Christianam conversos baptizavit, proptereaq; Pomeranorum Apostolus celebratus cluit. Templa quoque Dyssensia lustravit, ac amplioribus prædiis illustravit. A. C. 1132. unà cum Rapoto & Cunrado Comitibus ab Abensberg confratribus, monasterium Hailsbrunnense inclutissimum Cisterciensis Ordinis, Onoltino ac Noribergæ interjacens (ubi postea permulti Burggravii, Marckgravii, & Electores Brandenburgici augusta Mausolea possederunt) fun-

fundavit. Insuperque alia cœnobia diversa ædificavit, erexit & restauravit. Episcopus viguit 37. ann. Quo curriculo, succisivis ministeriis, alternatim peregrinatus docuit, & quoscunq; infideles vel superstitiosos repertos vero Christianismo erudivit, aliaque beneficia promiscuè præstitit. A. C. 1139. 30. Jan. ætatis suæ 70. an. defunctus in monasterio Benedictino Bambergæ appropinquo, Münchsberg dicto, ab ipso restaurato, cenotaphium adeptus adhuc spectabile. Eodem anno à Pontifice Clemente III. rectius Cælestino III. singulariter atq; solenniter canonizatus.

dus II. Marchio Istriæ & Princeps Dalmatiæ (qualis à Friderico Barbarossa tunc primùm constitutus) Comes ab Andex &c. cum Agnete Eccberti II. Comitis Neoburgi ad OEnum filia, etiam Comitatum illum dotis loco accepit. Duos filios Bertholdum III. & Popponem, cum tribus filiabus, Mechtildâ, Euphemiâ & Giselâ, anno circiter 1130. reliquit.

Ber- thol- Poppo cognomine Mitis A. C. 1177. Episcopus Bambergensis ordinatus decessit admodum senex 2. Maji 1192.

Mechtilda, prædicatur illa sanctissima & religiosissima Abbatissa Edelstettensis in Suevia, haud procul ab Augusta Vindelicorum. E diverso tamen non in Edelstett, sed Dyssen ad S. Johannis Baptistæ altare (ubi miracula diversa contigisse traduntur) sepulta jacet cum epitaphio & determinatione 1160.

Euphemia Abbatissa Alten-Münsterensis in Suevia, ubi mortua & sepulta.

Gisela, aliàs Sophia nominata, uxor Theobaldi Comitis à Berg in Suevia. Cujus filius innominatus in pugna Welphonis coram Thubinga dimicavit. Plura Hundius.

dus III. Dux Meraniæ ac Voitlandiæ (ab eodem enim Friderico Barbarossâ 118. & Meraniam & Voitlandiam sub dignitate Ducatuum accepit) Marchio Istriæ, Princeps Dalmatiæ, Comes ab Andex &c. Conjux ejus Hedwig Marchionissa Saxonica. Requiescunt in monasterio Dyssensi juxta Calend. Dyssens. Reliquerunt duos filios: Bertholdum IV. & Popponem cum duabus filiabus Mechtilda & Kunigunda. † Hæc 1176. † Ille 1188.

Ber- thol- Poppo ætate proveċta, poſt degradationem Eccberti patruelis ſui (cujus abrogati vel honore officioq; antea ſuſpenſi vices ab anno 1208. jamdum ſuſceperat, de quo infra) Epiſcopus Bambergenſis plenariè deſignatus. † 1242.

Mechtilda uxor Manhardi Comitis à Görz in Tirol. † Ille 1228. † Ipſa 1245.

Kunigunda virgo Monialis in Admont.

dus IV. Dux Meraniæ & Voitlandiæ, Marchio Iſtriæ, Princeps Dalmatiæ, Comes ab Andex. Cujus prima uxor Agnes Henrici I. Ducis Auſtriæ filia, & Stephani III. Regis Hungariæ vidua, quæ † 1195. in arce Merania ſepulta. Secunda uxor iterum nomine Agnes Dedonis ſive Theodonis Marchionis Myſniæ & Luſatiæ, Comitis à Rochliz filia. Ipſe Bertholdus, ut teſtatur Widmannus, civitatem Curiam Noriſcorum, Hof im Voitland / amplificare & privilegiis condecorare cœpit. Mortuus deinde in Dyſſen, ibidemq; ad Majores ſuos ſepultus. Reliquit 4. filios: Ottonem, Eccbertum, Henricum & Bertholdum, cum 5. filiabus: Agnete, Juttha, Gertrauda, Hedwige & Mechtilda.

O Eccbertus alibi Eckabertus & Enimbertus A. C. 1202. Epiſcopus Bambergenſis conſtitutus; deinde, quum ipſius ſimulque fratris Henrici inſtinċtu, Otto Comes de Wittelsbach Imperatorem Philippum phlebotomicum, Bambergæ in arce veteri ſive ſede Epiſcopali, 2. Jun. 1208. transfodiſſet, bannitus cædisq; publicæ proſcriptus, in die Acht erkläret / denotatur; verum ut ſtatim reponitur, ſuccedenti Imperatori Friderico II. inopinatò reconciliatus, in priſtinam quidem dignitatem non rediit; attamen, quia vir ſtrenuus erat & audax, Viennæ & totius Auſtriæ Vicarius ereċtus. Mortuus ibidem & ſepultus in æde S. Scotti, bey dem Schotten / in introitu 1235.

Henricus. Cujus Conjux Sophia Duciſſa Saxonica. Obierunt improles & ſepulti in Dyſſen 1228.

Bertholdus V. conventui illi Celetizontico Turnier / zu Würtzburg 1235. inſtituto (licet codex ille Celetizonticus Bertholdum VI. repoſuerit) interfuiſſe, pro certo traditur. Poſtea in ſeneċtute Patriarcha Aquilegienſis vel Aglarenſis declaratus, † 1252.

Agnes nonnullibi Agnes Maria, quæ Philippo II. Regi Galliæ nupta, ſtimulis & inſidiis Papæ Innocentii III. in exilium relegata.

T-

Juttha

T. Juttha sive Judith uxor Alberti Comitis Tirolensis.

Gertraud Andreæ II. Regis Hungariæ Conjux, à Bancpano primario Hungaro, suspiciosè, ac si uxorem vel filiam suam in gynæcéo stuprari permisisset, occisa est 28. Septemb. 1213. Prædictam autem Gertrudam virtuosam Reginam, sicq; consequenter hac parte innocuam periisse, inde præsumitur: quia filiam suam S. Elisabetham singulari & admirabili pietate educavit. Hæc fuit S. Elisabetha Ludovico Landgravio Thuringiæ & Hassiæ elocata, præsentanea illa mater & altrix pauperum, procuratrix inopum, consolatrix desolatorum afflictorum, visitatrix ac medica ægrotorum, benefica patrona ærumnosorum. Hæc imò resplenduit virtuosarum & generosarum matronarum exemplar absolutissimum: Ipsa ad infectiosos morbidos accessit, demortuos egenos propriis sumtibus funeravit, & annonæ caritate indigis frumentum distribuit. Illam præterea quamvis Regis filiam & maritatam Landgraviam, assignatis redditibus non sufficientibus, pro mercede nere, filare & texere, quæsticulumq; inde captum pauperibus impendere non puduit. Incidente tempore, postquam maritus suus Ludovicus Landgravius, sub Imperatore Friderico II. in Palæstinam profectus, in Italia Brundusiæ obiisset, Elisabetha à leviro Henrico Raspote inculpata & tanquam prodiga, atque reditus provinciales perpetuis eleemosynis tuburcinata, expulsa, doteque illata 2000. ℔. argenti sive 32000. florenorum difficulter concessâ in exilium missa, nihilominus pecuniam ægrè impetratam Marpurgæ Hassorum ad Xenodochium contulit & stipendiis, pro rata, provisit. Ibidemq; debilibus & infirmis medicameuta & alia subsidia administravit. Quin etiam oblatam patris avocationem, ut ad se in Hungariam reverteretur, inflexo animo recusavit, expectoratâ sententiâ: se malle in Xenodochio benefica officia præstare, quàm in aula deliciosa vitam fugacem consumere & caducam. Requievit in Domino 19. Nov. 1231. atq; propter sanctitatem & liberalitatem à Pontifice Gregorio IX. 1236. canonizata. Vid. Widm. cit. loc. Abrahamus Bucholzerus ita describit: *Elisabetha filia Andreæ Regis Hungariæ, nupta Ludovico Thuringiæ & Hassiæ Comiti, Matrona & pia & calamitosa fuit; quia matrem Gertrudam amisit gladio: maritum in locis externis navigationis nauseâ: unicum filium domi veneno. Ipsa præterea ab Henrico Raspote mariti fratre expulsa est. Attamen omnia patientiâ*

& sapientiâ superavit. Fundavit hospitale Marburgense. Obiit 19. Nov. 1231. Propter pietatem & munificentiam, erga egenos, & erga Christi ministros inter Sanctos relata est à Gregorio IX. Perusii 1235. Vid. Palatin. Trith. Fabric. & Abrah. Bucholz. in Chron.

O cognomine Magnus Dux Meraniæ & Voitlandiæ, Marchio Istriæ, Princeps Dalmatiæ, Comes ab Andex & Comes Burgundiæ superioris &c. quem Comitatum à Beatrice Comitissa Burgundiaca obtinuit, ut testatur Nicolaus Vignierius in Chron. Burg. Basil. 1565. in 4to impress. sub an. 1099. & 4000. p. 138. 144. & 144.

Otto Magnus, Dux Meraniæ & Voitlandiæ, anno circiter 1230. attestante Widmanno, civitatem Curiam Noriscorum, Hof im Voitland/ circuitu extenso prolixè dilatavit.

Wiguleus Hundius ex codice quodam de monasteriis Bavaricis tractante, tunc temporis manuscripto invento, subsequentia contenta allegavit; quæ Latinè translata ita testantur: Ottonem Magnum cum fratre Henrico, & ambabus conjugibus Beatrice & Sophia, adhibitoq; filio suo Ottone juniore, aliquot prædia in Noriscis Trebegast, Harmannsdorff & alia, ut annuatim assem solidi auri, ein Marck löthiges Goldes / ad quatuor monachos cum eorum ministris sustentandos, ad monasterium Dyssense mitterent, destinâsse. Illudque stipendium integro seculo durâsse, donec Comitem quendam Orlamundanum prædia hæc subtracta ad suas provincias transtulisset; tandem verò interpositione Imperatoris Ludovici Bavari, rem eò contigisse, ut prædia ista ad monasterium Himmelcron 600. minis argenteorum liquidorum, sive 600. lb. Heller / venderentur, atque preciô istô Dyssen transmisso, aliæ usucapiones resarcirentur. Wigul. Hund. ex citat. Cod. de monast. Bavar. sub tit. de monast. Dyssen.

Porrò, continuante Hundio, Otto Magnus & Conjux Beatrix splendidum cœnobium Langheim prope Staffelstein im Voitland unanimiter fundârunt. Reiteratus præterea Otto Magnus tanquam Dominus Comitatus Tirolensis sive Meraniæ, brevi ante obitum A. C. 1234. Gebhardi Episcopi Tridentini, & Henrici Episcopi Brixensis, OEnopolin nach Insprucck conscriptorum, assensu & contestatione, Insprucck civitatem declaratam insignibus privilegiis & municipiis condecoravit, juxta versiculos illos authenticè designatos:

Otto

Otto Meraniæ Princeps cognomine Magnus
Insbruck circundat muris & mœnia fundat;
Tricesimo quarto post annos mille ducentos
A nato Christo, privilegia Dux dedit Otto.

Circa finem anni 1234. Otto iste Magnus (Conjux sua Beatrix 1232. præcessit) diem obiit. Ambo reconditi in monasterio Langheim. Unicum reliquerunt filium Ottonem juniorem dictum cum 4. filiabus: Agnete, Elisabetha, Beatrice, & Margaretha.

O Agnes infelicissima matrona primùm Friderico II. Imperatori nupta, à quo propter sterilitatem repudiata. Deinde Friderico Bellicoso & ultimo Duci Austriæ adsociata, iterum sterilis maritum cum orbata familia amisit 16. Jan. 1246. Tandem Udalrico III. & ultimo Duci Carinthiæ connupta, ibidemq; improlis, extinctum maritum cum extincta familia condoluit 1268. Ipsius Agnetis obitus non reperitur. Vid. Aventin. in Chron. f. 667. & 692. Joh. Cuspin. in Aust. de vit. Cæs.

T Elisabetha perinde infelicissima, nupta Friderico illi Burggravio Noribergensi & dotis loco maximam partem Voitlandiæ, Baruthum, Cadelsburgum, ditionesq; alias appropriavit. Tres cum eo progenuit filios Sigismundum, Johannem & Albertum, proh fatalem Andecensem periodum! omnes infelices.

T Beatrix quoque non adeò fausta extitit, uxor Ottonis, potentis illius Comitis Orlamundani in Thuringia, qui perinde, dotis loco, aliam Voitlandiæ partem obtinuit. Illustris illa Principissa Beatrix civitatem quoque Curiam Noriscorum inter alia hæredia in peculium acceptam, unà cum marito Comite Orlamundano, præ omnibus excellenter, usque ad imam portam amplificare, totamq; plateiam (quum urbs nondum mœnibus cincta foret) quam adhuc Orlam appellant, de novo ædibus construere, templumq; S. Michaelis elegantissimum ædificare cœpit. Ambæ tamen stirpes Meranica & Orlamundana successivè interierunt, ut postea subsequetur. Vid. Widm. cit. loc. sub tit. de ædific. civit. Hof.

Margaretha virgo decessit.

O Junior Dux Meraniæ & Voitlandiæ, Marchio Istriæ, Princeps Dalmatiæ, Comes Burgundiæ Superioris, Comes ab Andex, juxta Wolffgangum Lazium, Nicolaum Viegnierium, Hundium, & alios, Blancam Theobaldi Comitis Campaniæ filiam in matrimonio habuit, filiam

filiam Alyſam Hugonis poſtea Matiſconæ & Burgundiæ ſuperioris Comitis conjugem progenuit.

Vivente patre Ottone Magno (& quidem longævam adhuc vitam perducente) Otto Junior A. C. 12 2. Blancam maritavit. A. C. 1227. cum ſocero ſuo propter dotem compactus. A. C. 1230. filiam ſuam Alyſam Hugoni, Johannis Comitis Burgundiaci filio deſponſavit. Vid. Nic. Vignier. Chron. Burg. p. 146. ac ex eodem Wigul. Hund. Bayr. Stammb. part. 1. c. 4. f. 33. Wolffg. Laz. de migrat gent. lib. 7. de Boj. ſub tit. de Com. And. f. 304. in fin. Widman. cit. loc. f. 30.

Sæpè citatus Otto Junior, religioſis Majoribus ortus, propriâ turpitudine, ambitione & inſatiabili regionum cupidine; iram DEI non injuſtam & præcipitationem temporalem concitavit. Conrado enim Comite de Waſſerburg apud Imperatorem Fridericum II. infamato & totius Comitatus jacturam faciente; Otto iſte Junior hoſtili inſultu inconſultè non ceſſans, urbeq; Halla OEnopolenſi, Hall im Innthal/ repentino tumultu exſuperatâ & ſpoliatâ circumjacentia quoque ſurripuit. Verùm ipſe ſpoliator Otto Junior improvisè ſubinde graviori livore Imperatoris vapulans iterum ſpoliatus non ſolùm ſurreptam provinciam, ſed proprias quoque Neoburgenſes & Schardingenſes ditiones, ab Imperio antea conceſſas, relinquere & Comiti Palatino ad Rhenum cedere efflagitatus. Hundius citato loco.

Inſuperque ſubſequente anno Otto iſte Junior & familiæ ultimus, 50. annis vel ſuprà natus, Plaſſenburgæ (alii in arce Nyſſen prope oppidulum Weysmayn in Epiſcopatu Bambergenſi id contigiſſe reponunt) à Nobili Vaſallo ſuo Hager dicto, cujus uxorem violaſſe argutus, transfoſſus, & in monaſterium Langheim reportatus, certò traditur, A. C. 1248. Hinc ditiones ejus diverſimodè diſperſæ: Hugo Comes Matiſconenſis gener ſuus Burgundiæ Superioris diſtrictum retinuit: Quæ Tirolenſi Comitatui aggregata ab Alberto Comite Tirolenſi & Mannhardo Comite Gorizenſi occupata fuerunt: Iſtriæ, Dalmatiæ, Forojulii & Marcæ Treviſanæ pars Ducibus Carinthiæ & inde porrò Archiducibus Auſtriæ obvenit. De reliquâ Iſtria & Dalmatia quoad maximam partem Veneti cum Bela Pannoniæ Rege certârunt. Terra Baruthana vicinaq; Voitlandia ceſſit Burggraviis Norib. qui deinde Marchiones Brandenburgici facti. Reliqua autem Voitlandia Comitibus Orlamundanis & ſubinde per emtionem etiam Marchionibus Brandenburgicis contigit. Feuda in Fran-

Franconia huic familiæ propria Epiſcopi Bambergenſis & Würzburgenſis apprehendêre. Conf. Joh. Avent. lib. 7. Annal. f. 693. Caſp. Bruſch. in deſcr. monaſt. Langheim. Caſp. Peuc. in continuat. Chron. Carion. lib. 4. ſub tit. Arnolph. Imp. & lib. 5. à Frid. II. usque ad Carol. V. ſub tit. de mutat. provin. Duc. Meran. Cyriac. Spangenb. im Adel-Spieg. lib. 10. c. 13. f. 227. Putſch. in annal. Tirol. Nic. Vignier. in Chron. Burg. p. 151. Eli. Reuſn. in op. Geneal. ſub ſtirp. Carol. f. 199. Hund. im Bayr. Stammb. part. 1. c. 4. à fol. 20. usque 35. Widm. cit. loc. ſub tit. vom Geſchlecht der Herzogen von Meran. à fol. 23. usque 30. Mart. Krüger. Onomaſt. Chronol. p. m. 110. Mart. Zeil. in Tr. de X. circul. Imp. Rom. tit. 5. p. 405.

Nicolaus Vignierius & Hundius ulteriùs produnt: Ottonem iſtum Juniorem ſimulque ultimum, vulnere accepto non ſtatim exſpirâſſe, ſed teſtamentum prius denunciâſſe & obſignâſſe, in quo filiam ſuam Alyſam omnium bonorum hæredem nuncupaverit; ſed ob ſubſecutam filiam poſthumam, & alias diverſas cauſas reſciſſum fuiſſe. Nic. Vign. & Hund. cit. loc.

Wolffgango Lazio clariſſimo Hiſtorico ita aſſurgere libuit: *Otto Junior Dux Meraniæ, Ottonem Tertium* (qui maturè obiit) *& duas filias, Alyſam Hugonis Comitis Burgundiæ Conjugem & N. alteram tulit anonymam &c.* ſcilicet poſthumam. Wolffgang. Laz. de migr. gent. libro 7. de Boj. ſub tit. de Comit. Andecenſ. folio 304. in fin.

CAPUT XXXII.

De Miſcellaneis quibusdam.

INcidenter heic Comes Orlamundanus ſuperveniens, Ducis Meraniæ ultimi trucidati & affinis & gener poſteà conjunctus, proximum locum, licet extra limites appareat, ſibi vendicat.

Quâ ratione poſt cædem ultimi Ducis Meraniæ, Otto Comes Orlamundanus perinde præpotens in bona ex dodrante ſuccedens, Curiam Noriſcorum muro nondum cinctam anno circiter 1260. celebri illi Henrico Domino Ruffo, definitâ pecuniâ oppignoraverit; quomodoque Henricus iſte Curiam ad ſedem electam mœniis coronaverit, vallisq; , foſſis, propugnaculis, loricis & peribolis præmunîverit, nec non arcem ſpecioſam exſtruxerit, &c. inveſtiganda ſunt Widmanni Chronica Curienſia Germanica adhuc manuſcripta fol. ibid. 47.

(Henricus iste consimul Romani Imperii Voigtus provincialis constitutus, & monasterii Quedlinburgensis in Saxonia Patronus & Kastenvoigt præpositus extitit. A Friderico quoque II. singularem Voitlandiæ partem hereditariam obtinuit, atque Voigtus de Weida designatus. De quo posterisque ejus aliquandiu Voigtis de Weida insignitis, posteà Dominis Russis (quam etymologiam nondum pervestigavi) celebratis, hodiernorum Possessorum vel Satraparum de Weida, Gera, Gräz, Schlaiz, Plauen, Lobenstain, Saalburg &c. absolutè nunc omnium Henricorum Dominorum Russorum nuncupatorum, originem devolvunt. Vid. Caspar. Brusch. & Widman. cit. loc.)

Quibus conditionibus verò & circumstantiis deinceps Curia Noriscorum cum competenti diœcesi ad Serenissimam Domum Brandenburgicam pervenerit. Conf. Widm. cit. loc. It. Joh. Limn. Polit. Georg. Christ. Renschel. im Brandenb. Stammb. & Sigmund. von Bircken im Brandenb. Ulyss. oder Reisbeschreib. c. 1. p. 2.

CAPUT XXXIII.

De tristissimo aliquo effrenati amoris errore.

LUxuriosus ille Ethnicus Poëta, Ethnico more canere conatus:

Aut Deus, aut lapis est, qui non juveniliter ardet.

Quo concentu neminem fermè sensualium vel affectualium, à cupidinis tactu liberum & immunem esse, innuere voluit, sed excessus, ut aliis in rebus, ita & præprimis in nutritu nimii flagrantis taciti ignis valdè vituperandus est, ut ex subsequentibus luculenter apparebit. Ubi effrenati amoris abominandæ faces & truculentissimi impetus, facinus non intellectu tantùm, sed etiam auditu grave perpetrare viduam juvencam coëgerunt; cum omne serpentum & ferarum genus comparatione sui titulo feritatis superârit. Nam quæ illis dulcia vitæ pignora proprio spiritu chariora sunt, illa libidinosæ viduæ, victimæ extiterunt miserabiles.

Casparus Bruschius in descriptionibus monasteriorum, ac præcipuè in capitulo de monast. Grundlach. infanticidium illud duorum insontium tenellorum de familia Orlamundana recenset; consimulque propter commissum illud, inter alias expiationes & fundationes dilocatas, monasterium quoque Grundlach in Noriscis situm eò destinatum & ædificatum fuisse commemorat. *Infantes autem*, pergit:

git: *ipsa mater N. Ducissa Meranica & maritata Orlamundana, hereditaria in Plassenburg vidua, ut pinguiori matrimonio Albertum juvenem, Friderici Burggravii Noribergensis filium, pelliceret, clandestinè & crudeliter necavit.* Casp. Brusch. in descr. monast. Grundlach.

Idem Bruschius alibi ex oblivione & confusione intricatæ indaginis Elisabetham Ottonis Prioris sive Magni, Ducis Meraniæ, filiam ac Baronis cujusdam de Heerdegen in Grundlach uxorem, istorum tenellorum matrem & infanticidam extitisse, hariolatus. Brusch. de monast. Frauen Aurach. ac ex eod. Wigul. Hund. im Bayr. Stammb. part. 1. c. 4. f. 35.

Ipsa formalia Germanica ex prædicto Bruschio, atq; certitudo ex ipsorum monasteriorum Grundlach. & Frauenaurach. diplomatibus colligi & investigari licent.

Nonnulli etiam ejusdem Ottonis Prioris sive Magni, Ducis Meraniæ, alteram filiam Beatricem, Ottonis illius Comitis Orlamundani anteriorem conjugem, infanticidam extitisse distrahunt. Cæterùm chronologia prædicti Ottonis prioris sive Magni, Ducis Meraniæ, filias utpote tunc temporis vel vitâ defunctas, vel senectute languefactas, non admittit.

Ottonem Orlamundanum Comitem de Beatrice conjuge suâ anteriori piâ & verecundâ tres filios adultos: Ottones duos & Hermannum propagâsse; deinde verò Beatrice extinctâ aliam Ducissam juvenem, cujus familia studiò reticita foret, duxisse, quæ Comite Orlamundano depontano mortuo duobus infantibus illis relictis, vidua admodum locuples facta, Enochus Widmannus evidenter demonstrat. Widm. cit. loc. f. 82. & 84.

Anantapodaton igitur sive subticentiam spontaneam vel artificiosam sive metabasin & transitionem reæ flagitiosæ istius, ad aliam Ducissam, ad Ottonis nimirum junioris & Meranicorum ultimi filiam posthumam collimare, inter alios præclaros autores, præfulgentes illi viri antesignani, Wolffgangus Lazius, Casparus Peucerus, Elias Reusnerus, & siqui plures subinnuunt.

Juxta Wolffgangum Lazium: *Altera Ottonis ultimi anonyma filia, cuidam Comiti Orlamundano erat conjuncta. Quæ vidua, capta formâ Alberti Burggravii Noribergensis, ut eo potiretur marito, proprium filium puerum trium annorum & filiam annorum duorum crudeliter necavit in castro Plassenburg. Quorum martyrum reliquiæ adhuc adservantur in Corona Cœli cœnobio pro-*

ximo. Laz. de migr. gent. lib. 7. de Boj. sub tit. de Comit. Andecens. fol. 304.

Casparus Peucerus, infanticidio licet reticito, trucidati tamen Ottonis ultimi filiam anonymam, eamq; illam Orlamundanam viduam, quam Friderici Burggravii Norib. filius perinde ibidem anonymus uxorem duxit, & maximam hæreditatem cum ea acquisivit, hisce contentis apposite enucleavit: *Ottone ultimò sublatò, provincias diripuerunt vicini. Bavari occupârunt oras subditas Alpibus & omnes plagas Bavaricis limitibus inclusas: Quæ ad Athesin & Rhenum, item Tirolensem Comitatum Menardus Carinthiæ Dux: Istriam invaserunt Veneti: Et de Merania, Dalmatia & Croatia decertârunt iidem Veneti cum Belâ Pannoniæ Rege. Voitlandiam inter se partiti sunt Episcopi nostræ Franconiæ Bambergensis & Würzburgensis; item Comes Thuringiæ, qui & postea Ottonis filiam in matrimonium duxit, & Fridericus Comes de Zollern; cujus filius deinceps ducta Comitis Thuringiæ vidua in uxorem ea etiam, quæ Comiti Thuringiæ obvenerant prioribus adjecit.* Casp. Peuc. in continuat. Chron. Carion. lib. 5. à Frid. II. usque ad Carol. V. sub tit. de mutat. provinc. Duc. Meran.

Juxta Eliæ Reusneri genealogiam, à Friderico illo Burggravio progeniti fuerunt: *1. Fridericus Burgg. Norib. stemmatis propagator, 2. Anna uxor Walrami Comitis Nassovii, 3. Helena virgo, quæ Noribergæ apud Franciscanos sepulta. 4. Conradus Viceburgravius Norib. Princeps laudatissimus, 5. Albertus, qui Comitis Thuringiæ ad ostium Orlæ viduam Agnetem uxorem duxit.* Elias Reusn. op. Basilic. Geneal. edit. Francof. 1592. in stirp. Columnin. f. 375. & 376.

Denuò senis illius depontani Ottonis Orlamundani secunda vota illicita reassimi, animadverti & argui requiritur. Ex iis enim quatenus cum anterioris conjugis consobrina, inquinatis & illicitis nuptiis, DEI justissimi & castissimi tædium ac fastidium, ne quis consanguinitati propius, quam par sit, consocietur, apparet.

Ante-citatus Widmannus nudè tantùm & simpliciter supposuit: Comitem Orlamundanum, defunctâ priori conjuge, aliam Principissam juvenem duxisse, cujus familia haud frustrà obtecta foret.

Subticitam autem Principissam juvenem, à Reusnero Agnetem dictam, genusne Ottonis Junioris ultimique Ducis Meraniæ filiam posthumam, ultimam Ducissam Meranicam extitisse, unà cum autori-

toribus suprà-allegatis aliæ circumstantiæ ad superfluum concordant.

Ottonem Meranicorum ultimum 1248. occisum fuisse, solidissimè constat; proinde posthumæ hujus juvenilis ætas vel viduitas non præmaturè inferenda est, nec serotinus protrahenda. Quod in casu hoc tragico strictim observari requiritur.

Quamobrem Widmannus hoc saltem diverticulo præcipitanter impegit, quando autumatus; ac si Albertus pro Sigismundo confusus fraterq; Johannes Burggravii à fabris falcariis Noribergensibus ob pusillum fabri cujusdam à canibus Burggraviorum commorsum, trucidatus foret; deinde, quando porrò compegit, ac si infanticidium illud crudelissimum ineunte eo anno contigisset. Contrarium facilè subsentiendum est.

Quamvis porrò alii atque ipse Widmannus horum Burggraviorum cædem in annum 1298. postponant; attamen longè prius 1265. contigisse, multis argumentis firmissimis, quæ brevitatis gratia transmitto, evinci posset. Conf. Chron. Norib. accuratiora ad h. l.

Casparus Bruschius, ac ex eo Wiguleus Hundius infanticidium illud ad annum 1275. referunt.

Cæterùm originale diploma fundationis monasterii Himmelcronensis: Ottonem Comitem Orlamundanum senem superstitem cum contestatione trium filiorum prioris matrimonii, 1280. ad redemtionem animarum suarum monasterium illud erexisse, articulatè exprimit. Eodem igitur annô vel paulò post, senem illum Orlamundanum discessisse apparet. Viduam verò 30. vel 31. annorum, Alberti juvenis Burggravii magis alliciendi gratia, propriam sobolem trucidâsse, præsumi offertur. Diplom. Himmelcronens. de dato Plassenb. 1280.

Plurimi ex manuscriptis monastericis Langheimensibus & Himmelcronensibus, ubi de nuptiis eorum nihil extat, Albertum istum cœlibem maturè obiisse conjiciunt. Nonnulli quidem matrimonium concedentes, Albertum statim post nuptias fato cessisse, obfirmant; quum nihil ulterius de hoc inveniatur.

Hisce omnibus sepositis, species facti ita se habet: Ducissa illa Meranica ultima, Orlamundana vidua relicta, Plassenburgi residens, postquam Friderici Burggravii Norib. filio Alberto juveni 18. annorum, consobrino suo, tacitos ignes flagrantissimos intimasset; tectamq; responsionem illam: ni quatuor oculi impedirent, scilicet parentum, percepisset, fatuo amatorio enthymemate decepta, pro-

prios liberos, herulum triennem & filiolam bimulam, acubus per cæsuras craniorum impressis, sceleste & clandestinè sustulit.

Nicolaus Dumannus Sacerdos olim Himmelcronensis pervulgatam illam tragœdiam, rhythmis ejusmodi Germanicis, dilucidare cœpit.

Ich wolt / sprach Albert, dem schönen Weib
gerne zuwenden meinen Leib
zur Eh' Sie nehmen in Zucht und Ehr/
wann es nur ohn vier Augen wär.
Die Rede für die Fraue kam/
so sie bald in die Ohren nahm /
und sie im Hertzen stets betracht/
all Augenblick daran gedacht.
Dardurch doch ihr verliebtes Hertz
nur kam in grösser Leid und Schmertz.

Gleichwie das Feuer sehrer wütt'
und tobet / wann man Oel drein schütt.
Also auch ihre Liebes-Flamm
hefftiger brannte und zunahm
durch deß Burggrafens gehörte Red'
dacht Sie die Kindlein so sie hätt':
werden gwiß die vier Augen seyn/
die mich berauben deß Buhlens mein.
Und war das Weib so sehr bethört/
daß Sie ihr eigne Kind' ermördt /
und jämerlich ihrs Lebens beraubt/
stach sie mit Nadeln durch ihr Haupt;
wol durch die zarte Hirnschal/
die zart und weich war noch zumal.

Latina versio.

Albertus referebat: ipse vellem
despondere latus meum Ducissæ;
Votum conjugiumque sanctè inirem,
ni limi hîc oculi quaterni obessent.

Coram dite venit citò Ducissâ
sermo, quẽ rapuit sinistrè ad aures,
& sub corde socorde volvit usque,
momentisq; revolvit usque cunctis.
Quapropter Veneri datũ cor ejus
plus flagrans malo amore deperibat.

Ignis namq; furit, magisq; sævit,
si fortasse oleum suprà sipatur;
ita flamma cupidinis Ducissæ
plus arsit vehementiusq; crevit
hujus Burggravii brevi loquela.
Quâ seducta, duos statim putabat
Infantes, oculos eos quaternos
esse, illas remoras amasiive.

Fit amens, cor amans, levis Ducissæ;
ut vesana satos suos necaret,
& vitâ spoliaret hos acerbè.
transfigens acubus glabris, acutis,
calvas innocuorum & insciorum,
subtiles, tenues, adhucque molles.

Dar-

Dardurch Sie ihre Bosheit wolt	Astu nequitiam, rata est, latere,
bergen/ daß niemand wissen solt;	nec ullos facinusve suspicari;
Dieweil sie röhrten gar kein Blut/	quũ nec corpora guttulâ cruoris
solt jeder dencken in seinem Mut:	stillassent, reputare quosve semper:
Ein jäher Tod hätt' ihrem Leben	præmatura duos scidisse fata
ein so geschwinde Endschafft geben.	insuetâ, celeri, truci rapinâ.
O weh der gantz grausamen That/	Proh dirum facinus nimisque durum,
dergleich man kaum erhöret hat!	vix cujuscemodi antè comperitur!
Soll dann die grausam Lieb so zwingen	Heu! sævum stimulasse sic amorem,
ein Mutter-Hertz zu Dingen:	maternum cor ad impium nefandum?
daß sie an ihrem Fleisch und Blut	ut in pignora sanguinis sativa
ein so erschröcklich Ubel thut/	tale immane patraverit scelestum,
mit so unmütterlichem Mord/	tanta, terribili, vafraq; cæde;
daß einem/ so es nur erhort/	ut, si quis modo contigisse captat,
zu Berg solten steigen alle Haar/	totus protinus obstupescat inde.
ja auch die liebe Sonne klar	Nec mirum, si alacer nitensque Titan
verbergen ihren Schein und Glantz/	jubar tunc nitidum recondidisset,
und werden recht stockfinster gantz.	& totam faciem nigrasset atram.
Wer will nun ferners glauben nicht/	Quis nunc amodo fidem habere nollet
da im Poetischem Gedicht	antiquæ, lepidæ, vagæ Poësi;
Naso Medeam so beschrieb/	quæ Medeam adigit, Nasone teste:
daß sie aus gleich schändlicher Lieb/	olim quod pariter furente amore,
so sie gegen Jasonem trug/	in Jasonem adamantinum sodalem,
ihr eigne Kinder auch erschlug.	natos ingenuos vafrè necârit.
Wer will auch laugnen die Geschicht/	Quis nunc porrò negabit hocce gestum,
so meldt/ wie Progne die Böswicht	quod tradit: furibundam abinde Prognen,
aus Rachsal/ Zorn und Bosheit groß/	iracundiâ & ultione pravâ,
ihr eigner Kinder Blut vergoß/	prognatos etiam suos necasse,

und

und richtet sie zu fressen an	necatos in edulium parasse,
dem Tereus ihrem eignen Mann.	paratos Tereo viro dedisse.
Diese Meranische Unhuld	Hæc trux Meranica Atropos
hat gleich begangen so grosse Schuld.	patravit tam crudele nefas, & immò pejus.
Drum thut ihr niemand kein Unrecht/	Ita nemo facit notatæ iniquum,
der Sie die Teutsch Medeam schmächt;	qui Medeam Alemannicam hanc prehendit;
weil Sie ein solche Mörderthat	quum tantum scelus, in suos duosque
an ihren Kindern begangen hat.	commisit teneros: satum atque natam.
Diese klein unschuldige Märtyrer	Prædicti innocuiq; martyresve
seynd bracht in diese Kirchen her;	in Ædem hanc benecognitam relati,
und in eim schönen Sarg gethon/	illic in cenotaphium politum
auch bis hieher erhalten schon.	servati, incolumes adhuc manentes.
Nun ist es fast dreyhundert Jahr/	Nunc fermè tria secula avolarunt,
nachdem ihr Leben geraubet war;	his postquam tenuis recisa vita;
doch sind ihr beeder Leib gewesen	verùm corpora, ceu modo relatum,
bis heutigen Tag noch unverwesen/	permansere subinde sarta tecta;
auch nicht erfaulet um ein Haar/	nec putredine quave marcuerunt,
sam wärens verstorben vor eim Jahr.	ac si tempore jam moderno obiissent.
Dardurch GOtt der Gerechte allen	Ostento DEUS omnibus recludit
Zu mercken gibt den Ungefallen.	indignum facinus, simul stupendum.

Nicol. Dumann. in libell. inscr. monial. Himmelcron. Germ. script. an. 1559. circ. med.

Rumor etiam vulgaris adhuc superstes, ac si libidinosa illa vidua, ex sinistro intellectu Amasii verborum, propriam sobolem enecare quidem tentasset, abhorrente autem materno animo, trementibusque manibus perculsa, frivolum & temerarium satellitem Nobilem, Hayder vel Hager cognominatum, ad hoc immane facinus suscipiendum & peragendum, donis & largitionibus in arce Plassenburg com-

compulisset. Quem blandientem & supplantantem sicarium, ut fabula supplet, persentientes infantes anxiè, sed frustrà, inclamarunt: Herulus jam loquax prædia aliquot ad lytron vitæ obtulit; Herula verò balbutiens crepundia porrexit, ut prisci rhythmi modulantur:

Herulus:

Lieber {Hager / Hayder} laß mich leben/	Mi {Hager / Hayder} parce amabò
Ich will dir Orlamünden geben/	Tibi Orlamundam dabo,
Auch Plassenburg deß neuen/	Cum Plassenburgo recenti;
Es soll mich nicht gereuen.	Tibi non pœnitenti.

Herula:

Lieber Hager laß mich leben/	Mi Hager! parce amabò!
Ich will dir alle meine Docken geben.	Tibi crepundia mea dabo.

Sicarius iste in nequitia perseverans, alio latrocinio commisso, captivus in tormento expassus, ante supplicium confessus: Heruli istius Principis sentiscere jam incipientis & heredia impertiti, afflictim quidem pœnitere, sed vehementius Herulæ ex pura puta infantia crepundia dilargitæ. Quod etiam præclarus olim concionator Valerius Herbergerus obliquâ circumstantiâ subinnuit, concinnans: Latro iste percognitus nullis tormentis tantoperè, quàm resuscitati conscientiâ & recordatione infanticidii tenellæ illius crepundia offerentis, se angi & discruciari vociferatus. Val. Herberg. in seiner Hertz-Postill in conc. de insont. infant. membr. 2. f. 103.

Occisi infantes confestim à Plassenburg ad monasterium Himmelcron in patris Ottonis senis Comitis Orlamundani concavatum cenotaphium repositi sunt. Quos adhuc usq; ad perpetuam memoriam sartè tectèq; asservatos, peregrini desiderantes, foriculis revolutis persp[illegible]ere possunt.

Parochus modernus Himmelcronensis Johannes Raspius, seipsum cenotaphium illud ostiarium, ubi enecati illi infantuli spectabiles & palpabiles antea fuerant, singularibus rationibus cæmento firmiter obstrui procurasse recenset.

Exitum immitis juxtimq; infelicis matris accuratè conscriptum pervestigare nequii. Traditio vulgaris bifariàm fabulatur: Est, quæ spargit, matrem conscientiæ stimulis agitatam, nudis pedibus Romam peregrinasse, reversam verò ante fores Ædis Himmelcronensis morte repentinâ obiisse. Alia & divulgatior matrem contritè pœnitentem, calceis per acus & clavos intrinsecè aculeatis indutam à Plassenburg ad Himmelcron sesqui milliaria vel leucas peragrasse,

ibidemque coram introitu Ædis elanguisse. Tempus præcisi anni deficit.

Cæterùm in ipsa æde concionatoria Himmelcronensi citra occisos infantes obscurus tumulus erga Septentrionem, & exigua in pariete effigies matris, absque literis & anni characteribus monstratur. Plura in Archivis Plassenb. recond.

CAPUT XXXIV.

De epiphonemate antecedentium quorundam.

NOn possum heic Meranicæ fatalis periodi, tristissimæ periodi satis demirari. Cujus origo Diva & propagatio Christiana: Unde S. Rathus, S. Conradus, S. Otto Pomeranorum Apostolus, & alii Ecclesiasticorum bonorum autores progerminarunt excellentissimi: Unde S. Mechtilda, S. Elisabetha, S. Hedwigis & aliæ causarum piarum collatrices accreverunt religiosissimæ. Quàm miserabiliter & improvisè in Ottone ultimo, propter ambitionem regionum ac honorum, propterque commissum adulterium desciverit & collapsa corruerit.

Deinde ex reposito illo illicito Comitis Orlamundani Senis, cum propria consobrina adolescentula tutelari consortio, exemplum apparet Divinæ abominationis & pœnæ insecutæ manifestissimum. Deus enim justissimus, parvulos licet insontes cæde præmaturâ inter martyres promoveri indulserit, parentes tamen prævaricantes variis malis ærumnisq; exposuit.

Atq; iterum summâ mentis consternatione confundor, matrem naturalem viduam adhuc juvencam cæcis effrenati amoris illecebris, propriam enatam sobolem trucidare vel ipsam valuisse, vel saltim instituere potuisse.

Tales vicissitudines & seductiones generis humani singulari stylo, quò tam adhortantia quàm dehortantia exempla contemplanda obtineamus, apposui.

Convenienter igitur & concinnè pronunciatum est: *Si vir, qui in statutis meis ambulavit, genuerit filium grassatorem, effusorem sanguinis, qui pauperem & egenum læserit, rapinas rapuerit, pignus non reddiderit, oculos suos ad idola sustulerit & abominationem fecerit. Vivetne ille? Haudquaquam vivet, sed propter cunctas abominationes, quas fecit, certissimè morietur, & sanguis suus super ipsum erit.*

Quod si filium genuerit is, qui videret omnia peccata patris sui,

quæ

quæ fecit, & vitaret, ob iniquitatem patris sui non morietur, sed vivendo vivet.

Anima, quæ peccavit, ipsa morietur. Si justus averterit sese à justitia sua & fecerit iniquitatem, posuero offendiculum coram ipso, & ipse morietur. Si averterit à viis suis malus, vivat.

Et si justus averterit sese à justitia sua, & fecerit iniquitatem; paulò post: *Num is vivet? Omnium justitiarum suarum nulla erit recordatio; in transgressione sua, quâ transgressus est, & in peccato suo, quo peccavit, in his morietur.* Vid. Ezech. 18. per tot.

Idem alibi probè considerandum: *Quilibet proprium ob peccatum suum moriatur.* Deut. 24. v. 16. 2. Reg. 14. v. 6. 2. Paral. 25. v. 4. Jer. 31. v. 29. & 30. Ezech. 18. v. 19. & 20.

Lector itaque ascetice! cave ne securitatem in majorum merita ponas; cohortationem potiùs illam fidelissimam: *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat:* sedulò contemplari velis. 1. Cor. 10. v. 12.

Judicia DEI occulta sunt, sed non injusta. Tu verò mens pia & sincera Spiritus S. gubernium indesinenter & ardenter implora; juxtimq; orans laboransq; sorte tuâ contenta esto; officio tuo quantulocunque vaca. Si in hoc aliquid perversi tibi contigerit, omnia ex voluntate DEI ad tuam dependere salutem, tunc demùm assecuratus eris.

CAPUT XXXV.

De Monte Pinifero, qui pars Sudetorum montium & aliis miscellaneis ex Casparo Bruschio atq; Sebastiano Münstero Latinè translatis.

MOns Pinifer, qui pars Sudetorum, montana sunt Noriscorum supereminentissima. Istis autem Noriscis serotinus ad fidem Christianam conversis, Theodoricus I. Dux Bavariæ hanc plagam colere latiusq; exstruere commisit; quæ adhuc usque Norgovia denominatur, intra Danubium, Albim & Mœnum distanter inclusa; ad Bambergam quoq; Noribergam & Coburgum conterminat. Hodiè ut plurimùm in Voitlandiam, tractum Egranum, & Palatinatum Superiorem dividitur.

Jam dicta Montana ab Oriente attingunt Bohemiam, ab Occasu Franconiam, Meridie Bavariam, Septentrione Mysniam & Thuringiam. Nonnullibi cervices, cornua, clivosque ramosos, ad Lunam usq; sylvam, Böhmerwald/ protendunt. Unde ab aliquibus non immeritò collimitium Germaniæ erga Bohemiam, periphrasticè delineantur.

Ipse quidem Mons præclarissimus, cui vix aliud Germaniæ, quinimò Europæ cacumen dignitate & honore æquipollet, à Scriptoribus tamen antiquis parum decenter vel condignè dilucidatus videtur. Quod verò priscæ Cosmographiæ, Geographiæ aliæq; periegeses de monte jam incumbente altum silentium egerint, causa præsumenda est; quod Romani, gloriosi alioquin non solùm Italiæ, sed ingentis orbis partis domitores, licet juxta eorum jactantiam etiam Germaniæ limites pervagati sient, & sicubi latera Bavarica aliquandiu occupare cœperint, ulteriùsque tam togæ quàm sagi tempore audaciora facinora persequi tentaverint; hos tamen Noriscorum saltus, quin & Montana Francica transilire nequiverint.

A Romanis Noriscorum coronarios colles non exsuperatos fuisse, eò colligi fluit; quod Romanos Bavariam 500. annis prementes ultra Danubium processisse vel saltim tranasse, non inveniendum.

Perobscurumquoq; montibus involucrum attulit, quod ante 800. annos, haud satis exculti, nec eorum arrugia gnaviter & refusim pervestigata fuerint; sed plurima ex parte, ut eremus deserta, delituit solis hisce obstaculis, & non aliunde evenit, quod circuitus iste, ubi Mons Pinifer residet, haud æqualiter, ac alii Germaniæ situs, à priscis Scriptoribus haud congruè amplificatus refulgeat.

Circuitus autem iste Noricus, cui Palatinatus superior, tractus Egranus, Voitlandia ulterior aliaq; latifundia intersepta, tempore Friderici Barbarossæ inclutum Ducatum designabat.

A Neotericis, Conrado Celte natione Franco, Bilibaldo Pirckheimero Patricio Noribergensi, Conrado Bintingio Patricio Augustano J.U.D. & Andrea Althamero Suevo, tanquam Germanis & Germaniæ fautoribus, plaga ista excellenter elata.

Cæterùm montis istius singularia cacumina & flumina, arduis de rupibus dilabentia, qui integrè, solidè & perfectè absolvere susceperit, nemo hactenus assurrexit.

Celtes Germanorum Poëtarum primus & ab Imperatoriis manibus, Comitiis quondam Noribergensibus coronatus, de quo supra mentionem feci, præ omnibus auspicatus: Montem Piniferum esse & haberi caput Hercyniæ sylvæ. Ego ipsemet, adstipulatur Bruschius, partes obtineo; quin & jure meritoq; ita nominari propter altitudinem admirabilem & incomparabilem, magis confirmo. Non solùm enim Mons propositus eminentissimus, sed etiam integra circumpadana admodum ardua & sublimia conspiciuntur; præcipuè verò prope urbem Weistatt altiora & salubriora reliquis Germaniæ plagis præferuntur. Quod etiam Augustissimus potentissimusq; Imperator Maxi-

Maximilianus I. optumè observavit: quando per Consiliarium suum Nobilem, Vitum de Bith, prædicti montis naturam, qualitatem & situationem delineari & consignari curavit.

Specialiter Montana ista sæpiùs reiterata, tot partes, cornua & cervices tanquam membra cohærentia, quæ vix numerari queant, in diversas regiones dimittunt. Ex quibus subsequentia, se præstantiora imò præstantissima exhibent.

Proximus Orienti clivus est prope oppidum Wunsidelium. In cujus vertice adhuc pervetusta ædes S. Catharinæ jam semiculta cernitur, undecunq; circa hunc clivum aurifodinæ opimæ & earum indicia dehiscunt.

Losburg vel Luxburg è diverso inexsuperabilis stupenda altitudo, prope idem oppidum Wunsidelium adjacet; cujus ad latus rudera adhuc dirutæ acropolis olim prædatoriæ, Nobilibus de Losburg quondam assignatæ, cernuntur. Quam Senatus Egranus aliquando diripuerunt, prorsusq; dilacerarunt.

Kossein posthinc sequitur, unde rivulus similis nominis Redwiz vicum lambens in T'Rebniz se effundit.

Schwarzberg variis præclarus metallis ad Palatinatum Noriscorum, prope oppidulum Kemmat se vergit.

Oelberg cum pago ejusdem nominis pertinet ad Comitatum Waldeck.

Flossea palus, die Flötz/ mons utcunq; sublimis, miraculosè tamen uliginosus; unde aliquot incluti amnes exoriuntur.

Mons ad Rotenfurt à venis meatibusq; rubris auriferis sic dictus, ut à longinquo temporis dispendio, de opulentis aurifodinis observatum.

Mons Vallaris, der Wihrsberg/ circa quem calida & frigida ærocolluvies, die warme und kalte Stainnach/ ab interioribus Montis Piniferi laticibus dilabentes profluunt.

S. Conrads-Berg prope Wunsidel, in cujus præclivo, ubi se exsuperat, fons refrigerans & exuberans scaturit; in vertice verò, pervetustæ ædis S. Conradi rudera commonstrantur.

Hisce porrò supereminent: Meta Præalta, die Hohe Metz/ item Semi-ferorum vel Gigantium Mons, der Kühnen-Berg/ item der Schiefer-Stain/ Plattenberg/ die Fahren-Laitern/ der Nussart.

Mons Nivosus, der Schneeberg/ altis promontoriis tantò præcinctus, ut annuatim nix ibidem concreta persistat. Quem eò denominatum Schneeberg/arx quoq; antiqua Rudolphstain allateralis acropolis (cujus adhuc diruta fragmenta cernuntur) alterum sibi simile

cognomen obtrusit. Quam Senatus Egranus tanquam prædabundorum olim Nobilium, immensas insidias noxasq; machinatorum aulam & conventiculum, gravi negotio diruerunt.

Ejusmodi latibulorum Raubschlösser duodecim in ambitu Wunsideliensi disposita fuerunt; quorum excellentissimum Rudolphstain. Ideòque, quando præda olim arripienda, vexillum in arce prædicta erigebatur; quâ conspectâ undiq; vicini prædones sese congregârunt. Donec tandem crudelis illa hostilitas & tyrannis per confines Magistratus subventa fuit & eradicata.

Prædictis etiam montibus Eremus Ericæa, die Hayde/ interjacet, unde Egra fluvius promanat.

Item Medioximus, der Mittelberg/ prope Kemmat recumbit; quem attingunt der Lützelmayn/ die Kalte Buch/ der Zweiffelstain der Einsiedel/ der Pyelstain/ aliorumq; montium juga & cervices. Quæ omnia singulatim percensere, prolixitate accrescente, fastidiosum.

Omnes jam dicti montes arboribus quàm densissimè consiti sunt; quos transire & pervestigare hodienum nec tutè nec amœnè obvenerit.

Jam relata de Sudetorum Montium cacuminibus & radicibus sufficiant.

Hisce explanatis, factum memoratu dignum non prætereundum est: Inter Sudetos montes & vicum Weidenberg spaciosam regionem cerni, Campum Regium, Königs-Hayde/ ideò nominatum; quoniam, ut antiqua fabula refert, Rex quispiam ibidem, cujus memoria effluxit, ingentem ibidem stragem ediderit. Quod simul ossa, crania, arma æruginosa, scutaq; obsoleta & parmulæ, hinc & inde effossa ac reperta satiscunq; redarguunt.

Item de Rege Maeno vel Moeno civitas Mainz fluvius Mœnus vel Menus, & antiqua urbs Menosgada in confinio Noriscorum, nomina retinuerunt. Vid. Ptol. Tab. Europ. 4. lib. 2. c. 11.

De Rege Maeno vel Moeno, quem nos Mayn vocamus, Strabo Plinius & Pomponius Mela mentionem faciunt (ut Bruschio & Münstero apparuerunt, præsentanea exemplaria haud satis exprimunt.) Ex nostratibus Vadianus in Melam, Bilibaldus Pirckheimerus, Henricus Glareanus in Tacit. & Althamerus &c. vestigia triverunt. Nonnullis etiam Mogonus vel Mogus est; sed Beatus Rhenanus lib. 3. dissentit. Conf. Seb. Münst. & Casp. Brusch. original. Germ.

CAPUT

CAPUT XXXVI.

De Monte Pinifero carminicè descripto.

ARx Noriscorum celsô contermina Cœlo
Pinifer! undarum celerum Pater inclute: Mœni,
Egra piscosi, Nabi, Salaq; potentis.
Quæ labuntur aquæ tacito rumore fluentes.
Exere famigerum, de nubibus exere vultum,
Heic nova virtutum pullescit fama tuarum:
Heic ex visceribus, fatorum munere grato,
Inclute Mons! resilitq; tuis, materia famæ.
Cœlitùs ut pandat natura grandia dona,
Queis te præ multis Europa montibus auxit.
Nunc seu proceri monstret vestigia colli
Sponte suâ Vesulus, tibi cedit; & alta Pyrene,
Et manet Arcadiæ longè te Mænalus infra.
Seu quoq; participas cum caris aëra alumnis
Affinis Cœlo Zephyri purissima captas;
Quæ solidare queunt constanti robore pectus.
Seu fundenda tibi rimantibus arte metalla
Auri grande decus, quantum non Tmolius audet,
Largiris; tanto argenti ferriq; superbis,
Quanto non Chalybes populi & Gangetica tellus.
Quod Venetus callet factus tibi sæpius hospes.
Adjiciam segetes medicas, numerosq; virorum,
Quot vigor æthereus cumulat virtutis & ardor,
Æternumq; trahunt nomen laudesq; perennes;
Deficit ingenium: Tradam cui mellea fandi
Copia, sincerè qui scit cantare columnas.
Inclute mons! ad quem residet mihi patria dulcis,
Quæ tibi, jam recitans, insigniter optuma dicam?
Lux Phœbea tuas nunquam candore recente
Deserat ambages, melius quo concoquat aurum.
Teq; penes nostrum generosè pectus honestet.
Haud minus & vos, vos urbes sub monte jacentes
Felicis tractus, populi, gens optuma morum
Unanimes salvete mihi! Nec heic pudeat vos
Deposuisse Lares. Nec unquam lambere cessent
Flumina Piniferi campos & mœnia vestra.
Quid de Ægyptiacâ, quid jactitat incola, terrâ:
Ægypti sulcus Libyæ non curat arenas.

Rectius

Rectius hoc dici de vobis posse, fatebor:
Noriscus sulcus Libyæ non curat arenas.
Cultus sed veræ præstet pietatis in oris
Finibus inq; tuis Bonitas Divina perennet.
Pergat & æternis in te pax gressibus ire.

CAPUT XXXVII.

De Voitlandis Noriscis metricè descriptis.

NOrici ab antiquo Germano germine clarent
Et Noriscorum fons & origo patent.
Qui modò Narisci Nabo de flume dicti
Francorum patres, incluta facta probant.
Perfortes etenim præstantes ac animosi
Ex Taciti scriptis hinc aliisq; micant.
Insignes bello; quales Aurelius olim
Expertus fuerat non sine clade sua.
Rhætica post etiam & lætissima Norica prisca
Alpibus adjectis perdomuêre loca.
Cætera plura latent, abscondita, tecta sepulta
Proh! Noriscorum commemorabilia.
Suntq; Voitlandi, qui tantum pars specialis
Postremi minimè; qui super astra volant,
Participes famæ eximiæ, ceu scripta loquuntur.
Certamen verò discolor, unde Voit,
Agnomen veniat? Sed præstat nomen honoris
Esse, quod antiquis sic placuisse ferunt.
Hinc non immeritò præclaros prosiluisse,
Autorum gravium nos monumenta docent.
Quodve Voitlandos propriè concernit adactos
Sunt isti celebres integritate bonâ.
Constantes, alacres, fortes quoq; belligerantes,
Prævalidosq; pares obtinuêre Duces.
Nunc omninò colunt, majore ex parte Præaltas
Brandenburgensem Saxonicamq; Domos.
Ritè Perillustres, Excelsas atq; Serenas;
Quas ut persistant, protege juste DEUS!
Comparent Dominis Russis Illustribus æquè,
Cum reliquis Ducibus, quos tegat Omnipotens.

Soli DEO Trinuni Gloria.

INDEX.

A.

B.

Budo-

E.

Eberus

Eth

Gyges

Her-

I.

Maſſi-

Mun-

Ni-

Pelech

Regma

Schir-

Sen-

Stry-

FINIS.



Annotata, quæ ita reſtituenda.

Ξίσυθρον. p. 7. Circeus (non Circius) 25. Meſcha 128. vejiſcheon. item. κατοικητάτω. 134. & 139. Palæſtina (non Paleſtina) 147. 176. 177. Gentium fundandarum. 149. Bartholomæus Facius. 197. Ab Æliſa. item πολυπλάνητα ἔθνη. 172. Benedictus Jovius in libel. de Larii lacus deſcript. 189. mutationes exortæ. 191. Poſſidonium. 205. Alia ſubinde manus Germanorum veſtigia priorum ſecuta. 208. ἀδελφῶν κἀκείνων. 210. Habitator Olympi. 229. Ingevones, medii Herminones, cæteri Iſtevones vocantur. 241. Βὰν δ' ἴμεν. 243. Atergle. 250. Joh. Bôttiger. 263. Sanfordus. 266. Conſulatus. 268. Potitio. 272. Nicol. Loenſis. 276. Cæterum. 296. Scolotis (non Scoletis) item interfuſas pennas. item. experrectus (non exporrectus) 312. Supra hos Grypas, qui aurum aſſervent. Ac ſupra hos eſſe Hyperboreos 213. Garſias. 317. NB. ubi Tzetzes, ſemper Tzetza. Muhammetes (non Muhammedes) 321. Ἀνδρειοτάτους. 327. Dio Caſſius (non Dionyſ.) 331. â peregrinando. 345. navibus â Phocide profecti. 348. ἀπὸ τοῦ ἀμαυροῦ. 355. accenſis utrinque animis. 362. Multos in Tiberim. it. Brennonam. 363. victoria incipiat. it. equitatum. it. periculis publicis piacula ſimus. 365. totum Orientem. it. Dardano Regi. 366. maximam prædam. 367. Celenarum tumuli. 369. in gemeiner Ausleg. it. accidet ut viduæ illi Sareptanæ. 376. Latine tranſlatis. 377. NB. pro Norgovia ſemper Norgavia. Franconiæ oculus atque metropolis Germaniæ. 392. Juxta alios 150. (non 750.) 400. Κάτλον. 402. Romano nomini. 403. Celeja (non Caleja.) 405. Chatæ (non Ehatæ) 414. reſuſcitatâ conſcientiâ. 473. caris æthera alumnis. 479. Reliqua facilia Sapiens Lector ipſe reſtituet.

:(o):

